
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
12 E
21/1

2

# ILLVSTRIVM MVLIERVM, ET ILLVSTRIVM LITTERIS VIRORVM ELOGIA,

A IVLIO CAESARE CAPACIO Neapolitanæ vrbi à Secretis conſcripta.






NEAPOLI,

---

Apud Io. Iacobum Carlinum, & Conſtantinum Vitalem. 1608.



# ILLVSTRISS. DOMINO
# D. BERNARDINO
## È BARIONOVO
## CVSANI MARCHIONI,
### IN SVPREMO CONSILIO
### REGENTI,



*IVLIVS CAESAR CAPACIVS*
*Neapolitanæ Vrbi à Secretis S.*



VM totum me tuis laudibus, Illuſtriſſime Marchio, effundere debuiſſem, vaſtiſsimum Oceanũ nactus, ingredi profectò paruo meo lembo, poſſe animaduerti, ſed quis, niſi merge-

 rer,

rer, exitum præberet? Quamobrem perterritus curſum retardãdum potius, quàm vela facienda conſtitui. Laudet te ipſum tuæ domus præconium, quo & patris gloria, & fratris præſtantia apud Auſtriacos maximos Reges eluces. Laudet tua ipſius virtus, qua ad ſupremi Conſilij Magiſtratum euectus, atque titulis honeſtatus, talem te prudentia præbuiſti, vt in publicis Conuentibus Regiæ Maieſtatis dignitatem amplificaueris, in decernendo ornaueris Principis aulam, in adminiſtrando rem Neapolitanam ferè labantem, conſilio, diligentia, integritate erexeris, qua de cauſa Ciuitas ipſa, Regnumq. ipſum immortale tibi gloriæ monumentum omnium vocibus & memoria poſuit. Quid ipſe cũ tot illuſtribus teſtibus exili & ieiuna oratione conferar? Sileat agreſtis calamus, cùm Famæ tuba maximo clangore obſtrepit; nec audeat inter Gigantes pumilio ſuarum virium periculum facere.

Ad aliorum laudes me conuerti, illuſtrium ſcilicet mulierum, & illuſtrium litteris virorum; addam & heroes qui bellica virtute præfulxere, ſi Deo annuente dabitur ocium. Tibi eas do, dicoq. Paruum profectò munus, ſed maximum, dùm ea qua ſoles animi magnitudine accipies. Interim te Deus ſeruet. Neapoli Cal. Februarij. CIↃ.IↃ.C.VIII.

# AD LECTOREM.





*CCENDITVR ad maximarum rerum gloriam varijs Elogijs hominum genus; dùm enim aliorum Fama eorum præclara gesta percrebuisse sciuerint, & nominibus, atque familijs ipsis dignitatem atque amplitudinem egregijs operibus esse comparatam, quis adeò segnis est vt ne inglorius iudicetur, aliquo pacto aliorum virtutem non studeat æmulari? Quid? tanta gloriæ cupido est, vt neminem sanè ità stolidum natura effinxerit, quin, licet in ima rerum ratione constitutus, vel ardua petere, vel maximas difficilesq. dignitates saltim voluntate attingere non conetur. Tantum apud Etnicos rerum opinio valuit, vt non dicam Relligionis obseruantia, sed interitus ipse, cruciatusq. ad gloriam expetendam excitarit; quam nec à seipso alienam arbitratus est, qui incenso Dianæ Ephesiæ templo, memoria & encomio viueret apud posteros immortali. Idipsum ad illustrium virorum elogia me conscribenda impulit, qui dùm mihi soli aliquot lucubrationibus consulerem, non alienum ab honesta ambitione arbitratus sum aliorum quoque laudibus exerceri. Debet humanitati humanitas; nec quicquam proprio honori multa adscribere proderit, nisi alienæ auctoritati amplificandæ quibus poterimus modis non studere velimus. Mordaces, Zoilos, inuidos ableganto, qui dùm possent illustrium virorum laudum esse fautores, de quorum meritis tanta sapientum iudicia facta sunt, subiectis inuidiæ facibus ardeant ad liuorem, & aut obtrectatione lacerare, aut velint acerba offensione virtutes reticere.*

*Habet muliebre genus suarum laudum apertissimum campum, & multarum nomina animi magnitudine, pudicitiæ constantia, coniugali amore excellentia, adeò inclaruere, vt quisquam*

*quam existimauerit omnium ætatę esse colendas. Accedunt bellorum trophœa, quibus insignia plerunque mulierum extant, quibusq. maximis comparatas Heroibus, vetustas famæ præconio æternitati consecrauit. Adde & litterarum celebritatem, quarum studijs, omnium scientiarum disciplinis, quibusque temporibus floruere; vt inficias iturum neminem arbitrer virilibus eas sæpissimè fuisse moribus institutas, & ad ea quæ virorum sunt, imperando, docendo, administrando audacter esse ausas cùm se occasio obtulisset. Ergo ne mulier paludamentum induta, non vnguentis delibuta, sed puluere sordida, in aciem non prodibit? Eadem cathedræ nixa, non disceptabit in scholis? Et in puppi sedens, Imperij nauem non gubernabit? Nouimus ea gerentes; nouimus huiusmodi facinora mulieres perpetrantes. At verò famosas tu laudabis aliquando meretrices? Quid ni, dùm ex earum sceleribus pudicarum commendatio elucebit? dùm formæ venustatem, cui periculorum agmina imminent, modestia tueri edíscent? Dùm quæ malorum incommoda petulantia solet afferre, aliarum exemplo summa prudentia vitare conabuntur? & spinæ ob custodiam laudantur in rosis; & saxea margaritæ crusta conteguntur.*

*Sed placuit in aliorum virtutibus collaudandis, criticè interdùm si quis neuus adfuerit, esse censores. Ad ingenium isthæc, non ad inuidiam faciunt. Nec tanto elogio quispiam dignus censendus fuerit, qui aliqua ex parte non possit vrbaniter notari. Quamobrem iudicia elogijs adiecimus, quæ illustrium virorum qui litteris claruere, imagines efficiant notiores. Placet in eo studio versari, cùm multarum rerũ varietate, hilarior efficiatur legendo animus, eaq. animaduertamus, quæ obscuris dùm obsita tenebris reperiuntur, tot insignium virorum famam obliuioni tra ditam occuparent. At quæ ab alijs scripta sunt in medium profers. Ità quidem. Nouus tamen scenæ ornatus, eandem variam reddit, & calamistri, coloresq. ex pagis rusticam, veluti ciuem conspi ciendam obijciunt. Quæ vetera sunt, nouis delectabunt ornamentis; quæ verò noua, expectatione digna fortasse ij amplectentur quibus huiusmodi studijs curiosissimis detineri graue non erit.*

**Consti-**

*Constitueram eos quoque celebrare, qui armorum gloria excelluere, sunt enim plurimi nostra ætate quos ea decent, quæ totius orbis tumultus, turbæq. propalarunt. Haud tamen in maxima rerum occupatione licuit. Quod si aliquando licuerit, laboriosior sudor excitabitur.*

*Atqui omnia quæ lingua profert, quæ calamus exarat, irrita sunto, & Apostolicæ auctoritatis dignitati, & emendationi subijciantur. Atque huiusmodi probatis fruere. Vale.*





# ILLVSTRIVM MVLIERVM ELOGIA.

## Heua.



ALVE mortalium generis prima parens Heua, quam summus rerum opifex Deus ex hominis latere, Viraginem excitauit. Eò quidem viro nobilior, quò carnem ex qua sumpta es, Damasceni agri cœno illustriorē existimamus. Sic ex CHRISTO in Cruce dormiente æterna sibi initia Catholicorum Ecclesia comparauit. Nec tamen illo sopore vetus, nouusq. Adam elanguit, sed tantum roboris assumpsere, vt suam os Heuam de suis ossibus primus dixerit, cùm idem secundus de ossibus in campo dissipatis esset dicturus, dùm inuicta fortitudine, qui carne, mortalitatis opera fuissent exuti, Resurrectionis immortalitatem essent consequuturi. Pulcherrima specie te decuit esse, quam non pigmentis temerè in tabula aspersis, sed diuinitatis coloribus, penicillis digitorum in quibus venustas inest, & potentia, in bono obedientiæ lumine collocatam, non Tymas aut Polygnotus, sed naturæ omnium rerum principis auctor effinxit. Et licet te ream dixerint, quòd per quem lucem aspexeris, luce priuare conata, mortem inter delicias intuleris; omnem tamen salutis procreatrix MARIA, quæ ex te orta est, noxam abstulit, labemq. abstersit, dùm quæ tu maximo cum dedecore perdidisti, maximo cum ho-

1 SACRAE MVLIERES.

nore recuperauit. Quod si muliebrem in te ignominiam detestamur; per te quoque muliebris excellentiæ laudes celebramus. In te enim fœdè à teterrimo hoste victa, victricem illam admirabilem contemplamur, quæ nos hostili fraude interclusos, in perpetuam libertatem vendicans, eum qui nimis insidiarum ad demulcẽdas aures, & capiendos oculos adhibuit, in alta detrusit Orci loca, & miserrimè profligauit. Et quæ lege sancita perfidè abrogaueras (quamobrem ceteri homines habiti sunt perduelles) suæ ipsius vocis suffragio, quæ ancilla effecta fuerat, nouis iuribus, nouæq; legis præceptis, è cœlo deducta renouauit. Sin secus? Ex magnitudine commodorum quæ temperatio cœli elargita est, quæ terrarum fœcũditas protulit, quæ marium præbuit feracitas, ex omnium rerum dominio, non modò nos in fulmina, grandines, nimbos, pestilentiam, terræmotus, tempestates, & rerum creatarum seruitutem impelleres, sed crudeliter necares. Sis nostra semper Heua. sic tamen, vt hebetior ille sensus quo in præceps ducimur, intellectui qui sopore humanarum rerum torpeat, & ad diuina vigilet, sanctißimè coniungatur.

## Caroli Pinti Dialogus.

*Eua heu cur lacrimas? quæ tua fles mala?*
*Vir cur enumerat quæ patitur sua?*
*Attollas animos; luxit enim dies*
*Magnis cum tenebris obruta iam fores.*
*Antiquus coluber, vafer ab arbore*
*Res Diuum posuit pollicitis tumens.*
*Illi nos celeri credidimus fide,*
*Ærumnæ vndè, dolor fluxit, inops fames;*
*Cæcorum vndè parens sæua Cupidinum,*
*Orci mors, animi, barbara vulnera.*
*Ne in te tot miseris questibus, o mea*
*Sæua, Eua, esse velis. Ex MARIA salus*
*Orta est, si doleas corpore languido;*
*Lucet Stella tibi, si videas minus;*

Ad

*Ad portum illa feret, si mare nauigas;*
*Te si castra premunt, vindicat hostibus;*
*Vrit si igne Venus, virgineis aquis*
*Restinctas fugat è pectore flammulas;*
*Angustis laribus pauperies agit?*
*Vastis ditat agris. Quid genitrix prece*
*Ex nato omnipotens non homini obtinet?*

---

## Sara.



Væ mutato nomine Sara dicta est ( vox ipsa Dominatum significat apud Hebræos ) re ipsa Princeps extitit, quippè Abrahami vxor, tùm Regum multorum imperia, tùm Gentium amplitudinem, diuinæ vocis oraculo propagauit. Chara coniux coniugi; quam cùm fames orbem terrarum peruasisset, atque ea de causa in Aegyptum essent discessuri, quòd formæ nitor hominum moueret oculos, & delectaret, sororem potiùs quàm vxorem libuit appellare. En tibi eiusdem Ecclesiæ progressus. Vxor, in abscondito, CHRISTI est. Quis enim intelligat, quo pacto diuino Verbo anima copuletur humana? At sororiæ, fraternæq; cognationis coniunctio, in omnibus Sanctis, concentu quodam, & continuato consensu, dilucidior explicatur. Chara igitur Deo mulier, quam ab incestu Regis Gerare seruatam(vt vel mortis pœna sequeretur scelus si fuisset admissum) auro, & pecoribus locupletẽ dimisit, cuiusq. oratione eiusdem domui partus allatus est, maturitasq. gignendi. Quænam hæc secreta fœcunditas? Ipsam quoque nonagenariam, è tabernaculo accersitam, præter spem parituram, prædicit. Copiosior additur fœcunditati vbertas. Quid illud est? Risum esse vides. Isaacus nascitur; & matrem ridentem, quòd nõ irrideret, præcipuæ consolationis argumentis recreauit. Quid matrem? Mundum recreat, voluptatis Paradisum renouat, qui non fluuiorum vorticibus, sed lacte irriguus, nutrit heredem.

Nouo sic viuendi ordine, vt modò geniti, Gentilium fœtus, è veteri matre nouum lac ebibentes, nouo grandi conuiuio, non fructu venenato, nouæ Legis apparatu educantur. Implet in Sara quæ Deus loquutus est, plenitudine temporum. Parit in senectute, cùm senescente malis orbe apparuit salus. Et quæ prædixerat Prophetarum, & Sibyllarum vaticinijs, suo aspectu in humanitate confirmat. Isaaco, nomen filio est; propterea quòd luctuosa quæ priori tempore acciderant, ad voluptatem cõcupita, adepta iam lætitia efferuntur, & gestiunt. Circunciditur, ne quis antiquam legem dissoluendam crederet. Risuiq. corrident ceteri, vniuersali Ecclesiæ adhærentes, qui eijciunt ancillam, à conuenticulis abhorrent, & Isaaci tantùm hæreditatem exposcunt. Quid prætereà ab hac insigni Heroina effectum est? Asperà quæ priùs & inuia erant, facillima reddidit. Eius voci esse parendum statutum est, vt prædicatione, & præceptis, nec Aethyopem Solis ardores, nec niuium rigores Scytham, nec marium immensitas Antipodem, à fidei laboribus, & veritate excusarent. Ismahel in gentem magnam cõsurgit, cùm magna ex auditu Fides euaserit; & pane in viatico, & aqua in Baptismate, errantes in solitudine, sub vna Arbore, vna Cruce, vno Christianæ militiæ vexillo, vel morientes vitam consequamur. Hæc Sara illa est, quam cùm magnarum rerum prænunciam Abrahamus habuisset, apud Chananeos, post centum viginti annos quibus vixerat, idem pijssimus honesta condidit sepultura.

## Caroli Pinti.

*Coniux fida nimis seni Abrahamo,*
*Ancillam thalamo viri dedisti,*
*Ad dandam sobolem: tua quod essent*
*Matrices sterili sera reclusa.*
*Conceptu in senium at suo tumentem,*
*Seruam arces miserè domo. hanc supernus,*
*Per lucos, monet Aliger, vagantem;*
*Et sedes redit ad suas beriles.*
*Ast tandem pietas iubet Tonantis,*

Te

*Te non fructiferam situ senecta,*
*Danda progenie, magis placere.*
*Tempus, quo parias venit cupitum,*
*Risu, & lætitia dies serenos*
*Imples: Isacij sonus vocati*
*Signat nominis id suæ parenti.*
*Hæc dat gaudia Iupiter bonorum*
*Largitor, filio suo beatus.*
*Quid non, quod tenebris fiet refertum,*
*Quid non, mæstifico solo relictum,*
*Quid non, quod sterili nota vocetur,*
*Altis perpetuò nitens lucernis*
*Lustrat, lætifico lari reponit,*
*Facunda vehit astra ad vsque prole,*
*Et terræ infimæ, & ætheris creator,*
*Iustorum Dominus virumq; custos!*

# Rebecca.



Mnem in Rebecca Bathuelis filia pulcritudinis speciem, omne virginitatis decus, decorisq. dignitatem hæc imago repræsentat. Felix tanta virgine Mesopotamia; felix vrbs Nachor; felicissimus verò aquæ fons, ad quem cùm puella accederet, vberrimos, suauissimosq. latices profundebat; quos dùm Abrahami seruus camelis præberet, sponso Isaaco pulcherrimæ vxoris gratiam propinabat. Effundentem hydriam nitido brachio Rebeccam, præcordia ipsum nimia voluptate aperientem seruum cernes. Inaures, & armillas dùm ipse largitur, dicto se illa audientem, manusq. ad viri nutum ligantem patefacit. Quæ hauriens aquas, vno haustu diuinam voluntatem, matrimonij sanctitatem, suorum obedientiam perpotauit. Vis eodē Saræ mysterio, cuncta cum Rebecca innouari? Iam plena est, iam pinguis Ecclesia, & gratiarum copia affluēter abundat; & huiusmodi gētibus innotuit, vt omni sororis sublato timore,

timore, vxor summa cum libertate appelletur. Quàm publicè ad petendam vxorem Eleazarus mittitur? Quis rerum perficiundo negotio adhibetur apparatus? Quàm longè Paranymphus proficiscitur? Sed nec sororis idcircò nomen abijcitur, quandò sororis & sponsæ priuilegium non debuit irrogari. Soror in Sara, cùm humili & inermi piscatorum turba incipiens, metueret; vxor in Rebecca, cùm eorundem spiritalibus armis, summi Ducis potentia inuictis, obtecta, cunctis imperitans, adeò formidolosa facta est, vt quosque videas maxima cum reuerentia prostratos. En Hydriam, venustissima virgo, afferas in scapula. Hæc nimirum summæ auctoritatis potentia est; quippè in humeris, principatum esse factum, impositis lignis, in montem iturus, vir hic tuus prædixerat. Tuq. notiora prædicis, cùm aquas vel in canales effundens, Ecclesiam ex CHRISTI corpore ditissimos thesauros omnibus copiosissimè aperientem significasti.

## Auctoris.

*Hydria, Fons, Puteus, Legum sunt symbola. nascens*
*Natura admouit labra tenella scyphis.*
*Sobria (lege data) largos exquirere fontes*
*Didicit, & viles hausit inops latices.*
*At Sol dùm rosea vitali lampade fulxit,*
*Concordiq. thoro iuncta viro querula est,*
*Tentauit penitus putei scatebrosa profundè*
*Ilia, queis lymphas, flumina pura trahit.*
*Hæc Rebecca monet, saturat cùm pulcra camelos,*
*Et sua vesanam detrahit vnda sitim.*

## Pinti.

*Priamida cultas Helenas, Veneresq; Cytheris,*
*(Quando mouent se pulcra magis) mea corda repellunt;*
*Omnibus his pulcris Bathuelis nata præisti.*
*At species quid grata iuuat sine dotibus, intus*


*Pectora*

*Pectora quas condunt, foris & quas dextera pandit?*
*Et tibi purpureum os ridet, flauiq; capilli;*
*Et Charitum tibi spirat odor, te plurimus ardor,*
*Te comitatur amor, cæli ditissima donis,*
*Omne tegis decus, at casto velamine frontis:*
*Hæc tua, magna nurus, virtutum lumina vidit*
*Antè Abraham, genitiq; sui te destinat alto*
*Iure thoro, degensve Chanæ, te quærit ab oris,*
*Quas colit Euphrates, quas longo limite Tigris* i. Mesopotamia.
*Ambit agri, Galilæa tui spectauit honores,*
*Connubio iunctæ Isacco, propriæq. dicatæ.*
*Non Abrahæ famulus nitidæ pro munere læuæ*
*Ornam.nta tuæ, non auri insignia gesto;*
*Non latices rogo te putei, quos hydria traxit,*
*Quò m·deant mea lassa viјs, mea guttura sicca.*
*Perge iter inceptum, nec virgo vocata redibis.*
*Sunt domini mihi dorsa mei non dena camelûm,*
*Qui ilignis valeant potare canalibus vndam;*
*Non paleas, non posco meis fenilia frænis.*
*At, quæ clara tuo præfulget nomine, virtus*
*Sit, quæ res patiens nouit perferre sinistras,* Rebecca idem sonat ac patiētia.
*Postq; meos luctus, risus sint dona mariti.*

## Pauli Portarelli.

***Pectore magnanimam, & dùm pulcra Rebecca modestam***
***Se monstrat: nitidas datq; libenter aquas.***
***Et famulis Isaac missis, pariterq. Camelis,***
***Est ducta in thalamum læta puella viri.***
***Omine sic fausto connubia grata Tonanti,***
***Solenni pompa sunt celebrata domi.***
***Fortunata domus, felices prole parentes,***
***Quos, placuit Superis, tot cumulare bonis.***

# Rachel. Lia.



Vm pastoribus inter ouium greges pulcherrima mulierum de Haram commoratur Rachel,quæ vel in virentibus agris inter flores sedeat, vel sub frondenti arborum coma degat;aut oues sub Solis ardoribus pascat,aut ad caulas Hespero adueniēte deducat, semper decora facie, venustoq. aspectu intuentium oculos reficit, & consolatur. Osculo à flente Iacob excipitur; amoto è puteis lapide, sitim à pecoribus ablegat, patruum oculorum radijs ferit, quod lippis oculis Lia soror efficere haud poterat; eundemq. septem annorum seruitute retinet,& temporis momentum ab amore effectū est temporis diuturnitas. Ceterum cùm pro Rachelis connubio,Liæ coniugium esset expertus, totidem annos accepta in coniugem Rachele, despiciens Liam, ad quam nihilominus noctu admissus est, seruire non abnuit. Contemplatur Rachel. Agit Lia. Oculorum lippitudo aliquid turpitudinis Liæ afferebat; quis enim actiuæ vitæ laboribus aliqua ex parte huiusmodi non defecerit, vt summo bono constanter perfrui liceat? Sed qua aspectus dignitate Rachel nitebat, quam libatis osculis vtrinque expetita mentis cōcordia, humanarum actionum supplantator exquirit? At cum Lia Iacob pro mandragoris dormire permittitur, vt sapientes quos vulgus ignorat, agendo, suadendo, iuuando perducantur ad gloriam. Habes in Rachele potiora, cū patris Idola furatur. Hinc raptus, & exstasis.Hinc mentis humanæ diuitiæ,cùm cœlesti illa supellectili,varijs modis contemplando ditatur.Qui præsunt,prodesse discant;& in Rachelis venustate,Liæ fœcunditatem æmulentur. Iuuit Rachelem inuidia; cùm enim fœcunda soror sex liberos genuisset,apud virū questa,ex Balam ancilla duos filios, duosq. ex coniuge Iosephum, & Beniaminum impetrauit. In Ephrata mortua est, & in sepulcro posita Mausoleis nobiliore.

Pinti.

# MVLIERVM ILLVSTRIVM
## Elenchus.



✱ Isabella

VIRO-

# VIRORVM LITTERIS ILLVSTRIVM
# Elenchus.



Petrus



# Errata:

| | | |
|---|---|---|
| Pag. 22. ver. 21. | tonitruis vix | tonitrus vim |
| 25. ver. 25. | Adeste animis | animi |
| 39. ver. 20. | Auertitur. | accersitur. |
| 47. ver. 1 | Fascis | Fasces |
| 49. ver. 4. | Licientibus Ducibus | Licienses Duces |
| 52. ver. 12. | Apostolos habuisti patronos. | Qui Apostolos &c. |
| & versu 18. | hæc | hoc |
| 92. ver. 4. | Constantinopolitanis | Constantinopolitani |
| & versu 6. | Anatilio | Anatolio |
| 146. | alliciebat quoscunque | alliciebat & quoscunque |
| 158. ver. 15. | adde. Quis æstimet Vincentium ab Henrico IIII. affine Commendatoris insignibus honestatum? | |
| 281. ver. 4. | Emicuit | enituit |

## Pinti.


*Aurea Colchis habes tantum tu vellera? Laban*
*Hæc quoque nata Rachel.*
*Signat ouem formosa Rachel; pro vellere virtus*
*Ipsius alta manet.*
*Dos animi, atque oris veniat licet altior, auri*
*Quos libet ad pretium.*
*In te totus inest, Colchis, dux fortis Iason*
*Dùm mare transtra secant.*
*In te pulcra Rachel, totus persistit Iacob*
*Ortus ab Isacio.*
*Vellus vt exciperes pecudis, qua Sibaris horret*
*Culmine Caucaseo,*
*Quot pelago fereris Princeps subijsse pericla*
*Nauita Thessalice?*
*Quotq; etiam es passus magna vir nate Rebecca*
*Virgine pro Assyria?*
*Aesònide hoc tu maior eris: quid vellus adeptus*
*Ipse nisi est pecudis?*
*Ast tandem tibi tota pecus virtutibus almis*
*Aurea iure datur.*

## Cyrilli Candidi Carmelitæ.

*Quàm tibi, magne Pater, ducta est pulcherrima coniux?*
*Certè erat informis plus satis illa Lia.*
*Seruitio annorum bis septem hæc fœmina constat.*
*Cur tanti? Laban sic mihi auarus erat:*
*Adde quod haud vidit dotes, quæ in corde latebant,*
*Externoq; lateni pulchrius ore decus:*
*Prò si vidisset, seruissem secula centum,*
*Post, spem lusisset rursus & ille meam;*
*Nempe mihi, si vis, animo dicturus auaro*
*Natam, iterum centum secula seruus eris.*

C Maria

# Maria Moysis soror.



Væ admirabilia exercituum Dominus cōtrà Aegyptios gesserat, cùm vehementi, atque vrente flamine ventus vastum Rubri maris alueum siccasset, relictaq. inter medios fluctus via, currus equitesq. inimicorum ad Israelitas insequendum inuitaret; Quæ indè gloriosa accidisse cognita sunt, vt Ducum omnium fortissimo, sapientissimoq. extendente manum Moyse, in vndarum diuortio hostis Pharao cum suis miserrimè interiret, post ea quæ frater cecinerat, sapientissima Prophetissa Maria, non Sistris, aut Crotalis, quæ obsoleta antiquæ Legis voces resonabant, sed tympanorum nouæ Euangelicæ melodiæ sonitu, sanctarum mulierum choro decantauit. Quos (dic age) cantus edidit? Quibus nihil suauius Græca licentia, nihil excelsius omnium Musarum chordæ concinerent. Audi, & oblectare. *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est; equum & ascensorem eius deiecit in mare.* Quod grauius, magisq. proprium epigramma superbis Romanorum inscriptionibus legimus contineri? Benè cecinit; malè operata est. Propter Aethyopissam vxorem, in fratrem inuehitur. Quid si acerbè & petulanter? Fratri Maria detrahis? Et fratri qui mansuetudine homines qui commorantur in terra antecellit? Quàm seuerè in mites opprimentes Deus animaduertit? Tu discito, quæ extrà castra eijceris, quæ lepra deuoraris, quæ nequiter insultans, rubore suffusa, intelligas quonam pacto cum fidelibus seruis à Deo agatur; tu enim per somnia, Moyses verò absque ænigmate accipit apparitionem. Abstrusa omnia sunt quæ à Deo proficiscuntur, vt eius potentiam secretiora quædam redoleant. Quid tu inuides? An non recondita canis? Quì enim factum est, vt à tumenti vnda fluidum mare veluti firmissimo muro septum fuerit? fueritq. otij propugnaculum Israelitis? Abscondunt patenti miraculo fluctus

diuinam

diuinam omnipotentiam; quid tibi sumis? quid contrà fratrem garris? Tangitur à te tympanus qui extensa pelle carnis denotat macerationem,& abiecta humilitate superbis? Ades victoriæ cum choro, qui ciuium communione charitas est, & cum tuis à charitate longe es aliena? ergò & circuncisio tibi carnis arridet, & Neomenias laudas, & sanguinis amplecteris sacrificia? Tu Sinagoga es, quæ cum Aaron, cum Sacerdotibus, Moysem qui ad Aethyopissæ connubium transiuit,legem quam spiritalis lex vxorem accepit detestaris. Post Aethyopissæ copulam, non loquutus est Moysi Deus in ænygmate, sed in veritatis specie lex ipsa cognita est. Quamobrem in ea Gentium salus elucet. Sed ne cesses à laudibus. Quantum tibi vtilitatis attulere? Septem diebus è loco populus non decessit,donec fueris reuocata. Laudet quisque Deum. Nec ore tabido eius gloria inquinatur; & valent laudes ad remissionem.

## Auctoris.

*Tyrrheno audenti Inarimes imposta Typhœo*
*Obstrepuit, sæuos edidit vnda sonos.*
*Sparsit & Oromedon Vesuuinis rictibus iram,*
*Turbine cum piceo viscera adusta vomens.*
*Littore Erythræo, curru, fastuq. superbo*
*Cùm ruit in fluctus, cùm vada cæca petit*
*Crudelis Pharaon, nec Ganges fluminis exit*
*Aluo, nec Nili mus mura rauca tremunt.*
*Torpuit & diues Aegypti in gurgite tellus,*
*Dùm mare cum gemitu luxit & erubuit.*
*Nec mare, nec tellus, nec ruptus faucibus ardor*
*Commemoret facinus; sola canat MARIA.*

## Portarelli.

*Quem tremuit Nilus, qui Aegypto sceptra mouebat*
*Rex in Erythræis cùm obrutus esset aquis,*
*Extinctusq. potens, tantusq. exercitus: vndè*
*Rubra etiam notum littora nomen habent;*

*Virgo soror Moysis, tàm magnis læta trophæis*
*Ad cœlum illa oculos, sustulit illa manus;*
*Et cecinit Domino diuino carmine laudes*
*Prodigia immensi testificata Dei.*
*Qui facit vt serui incolumes ex hoste triumphent,*
*Illis & tumidi pareat vnda maris.*

Pinti.

*Sic soror in fratris gestisq. tanisq. triumphum ?*
*Sic Domino gratos fundis ab ore sonos ?*
*Quis tuo in hoc cantu Pharaon, quis tela Canopi*
*Non immersa vides sub vada cæca sali ?*
*Dulciter ore canis Moysi Iudæa Thalia,*
QVAM *Superis laudes promere dulce melos ?*

---

# Raab.

6 

Dmirare beatam hanc meretricem, cuius opera omnipotentis Dei virtus vel hostibus patefacta est; cuius vocibus eiusdem nomini honoris gloria accessit; cuius arte cùm iàm diuinæ voluntatis exploratrix esset effecta, seruantur exploratores, Rex deluditur, & inuictus ille Iosue, qui maximo Moysi ad præclaras res gerendas successor ab ipso Deo datus est, Ierico in suam redegit potestatem. Prophetico ferè spiritu sancta mulier Hebræorum vaticinatur excidium; Historica, narrat quæ in mari Rubro, quæ trans Iordanem acciderant; Oratrix, Dominum cœli & terræ confitetur; sed prouida, suorum salutem, suo hoc beneficio compensat. Prædicit, narrat, orat, prouidet. Hàbes Ecclesiam. Eius typus in hac ex gentibus ostenditur; quæ cùm anteà ob infidelitatem sordida extitisset, suscepta deindè Euangelica prædicatione, Salmoni nupta est, pacis afferens reconciliationem; Booz procreauit, supremæ auctoritatis dignitatem adepta; & ex meretricia humilitate, ad

Raab,

Raab, ad maiestatem atque amplitudinem prouecta, omnem sibi terram subiecit. Sedulò nunc tuorum saluti consule. Fit sanè. Ierico expugnare Iosue nititur; vincendum sibi mundum, eiusq. principem eijciendum Saluator statuit. Cuncta turbarum plena sunt; elementorum ipsa tumultibus iactatur natura. Quam tuis afferes spem salutis? In promptu est. Coccineo funiculo liberamur; sanguinis memoria viuimus; signumq. illud in Vaticani fenestra patens, cunctis in ea domo degentibus vitam esse datutum prædicamus. Efferat Manus, & Aquilas Romana Legio; Constantini Labarum Græcorum cohortes extollant. Insigne hoc Raabicum sequamur sanguine aspersum, in quo veræ salutis symbolum veneremur.

## Pinti.

*Pulcra Raab velox signabis fune fenestram*
*Coccineo: Iosue imminet vrbi*
*Armipotens, patriam mox bellaturus opimam,*
*Mœnibus, & populis metuendam.*
*Obstabit Iosue infelix & Hiericus armis,*
*Brachia cui sunt viribus altis?*
*Huic aditus arens faciet Iordanis, vt olim*
*Belligero Moysi mare rubrum;*
*Federis huic prastò inuicta est arca, omina tutus*
*Qua mala cuncta fuga dabit: auspex*
*Huic Rex omnipotens. restim suspendere cessas*
*Purpuream? cadet heu patria: an non*
*Tota, vides vt illa pauet, totisq; tremiscit*
*Artubus, vt se claudit, & armet?*
*Obsessam cernes, quin hanc clangore tubarum,*
*Vocibus, atque virum ruere: at tu*
*Funiculo rubeo (* IESV *an notat ille cruorem?)*
*Freta tui fugies obitum vna.*
*Tu meretrix lethi vitare pericla merebis,*
*Quod fidei non vincula frangas?*
*Non ne fidem seruent homines, promissaq; si vel*
*Hac meretrix timuit violare?*

Debora,

# Debora, & Iahel.

7 8



SAcras fortiſſimas Bellatrices alteram conſilio validam, alteram manu promptam & potẽtem, quænam facundior quàm ſancti Spiritus lingua eloquetur? Siſaræ Regis currus, quadrigaſq. & ſexcenta armatorum millia Debora nihil metuens, in aciem cum Baraco prodire audacter voluit. Iahel Regem fugientem, in tentorium acceſſitum, clauo & malleo tempora percuſſum interemit. Non ab re ſub Palma Debora iudicabat, quæ victoriam Iſraeli eſſet annunciatura. Non ab re in tentorio Iahel, pace inter Azorem & Heberum intercedente, quæ perpetuam gentibus oſtendere debuerat ſalutem. Surrexit Debora, ſic enim erecta Gentilitas eſt. Egreſſa in occurſum Iahel, propterea quòd ſancta nobis è cœlo occurrit omnipotentis Dei miſericordia. In monte Tabor Debora, in tentorio Iahel, triumphantem enim illa, militantem hæc Eccleſiam prædicebant. Et dùm Debora victorem impellit, nam ſemper in ſæuiſſimos hoſtes Fide impellente accendimur, Iahel Siſaram operit pallio, quippe Redemptoris humanitate, in nos irruentes, maxima cum Chriſtiani nominis gloria confundimus. Idq. huiuſmodi teſtimonio confirmatum, vt Iahel, non in Iouis templo ad tonitruis vix expellendam, ſed ad Gentium ſalutem confirmandam clauum fixerit, peruetuſtum confirmandæ rei teſtimonium.

## Portarelli.

*Quis laudes, quis virgo tuas æquare canendo*
*Virtutes valeat, quis tua facta loqui?*
*Tu populum Hebræum è manibus diri eripis hoſtis,*
*Vndè tuo eſt patria robore parta ſalus.*
*Dùm grandi, inuictoq. animo, dùm fortibus auſis*
*Siſara inhumanum das, bona virgo, neci.*
*Horrendumq. caput clauo transfigis acuto*
*Intrepida æternum nomen adepta manu.*

Pinti.

## Pinti.

*Debora Baracho forti comitata Prophetis*
*Surge: Deo totum tribuas hunc nacta triumphum;*
*Dextra etenim victrix hominum sine numine Diuum*
*Esse nequit. multa facinus memoretur in æuum*
*Laude, maritali Cinæo fulget Aberi*
*Quæ facula Heroi horrendi soror altera Martis,*
*Currentem celeriq; fuga quæ Sysara tecto*
*Castrensi excepit, cuius tum lacte fugauit*
*Blanda sitim, timidis constrauit pallia membris,*
*Malleo & hinc furtim præduro tempora clauo*
*Fodit humi; & mistum spumis vomit ore cruorem:*
*Interit, & Ditis crudelibus occubat vmbris.*
*Ausam dare insigne hoc factum es tu fœmina Iahel?*
*Tu infestum Chanaan potuisti fundere Regem?*
*Sola hæc speratam peperit tibi Delbora palmam:*
*Nunc est ascendens ad grandia culmina laudum,*
*Nunc verè tu eloquens, dùm tam concinna trophæis*
*Carmina das, superis & fundis pectore grates.*
*Felices ambo: mulier cui temnitur, vnde*
*Parta venire solet pax, & victoria genti?*

---

## Dalila.



NEc Palestinæ meretricis imago hæc te moueat? Dalila est. Fortissima est mulier. Meretriciam ignominiam occulta in sacrorũ mysterijs memoria occupauit. Hæc illa est ingẽtium virium domitrix. Nosti Samsonem? A Manue procreatum? Nazaræum Dei? Israelis liberatorem? Nosti inquam, virum illum in quo generando tot admirabilia intercessere, vt sterilis mulier conciperet, immunda fuerint interdicta, sacrificiorum libamenta, fœtusq. pecorum propositi,

flamma


flamma in cœlum cum Angelo aſcenderet,& cui genito diuinus Spiritus aderat in caſtris? Qui ſæuos diſcerpit Leones, Aſcalonitas percutit,Philiſtinorum ſegetes vineaſq. ſuccendit,vincula duriſſima ſoluit,Iudæos internicioni tradit,fores ciuitatis humeris impoſitas in montis verticem portat? Potuit'ne fortior exiſtimari? A Dalila ſuperatur. Qui? Dùm decipitur. Cùm enim tantarum virium rationem expoſceret, è ſeptem eius capitis capillis eas oriri, blandis verbis extorquet. Raſo dormientis capite, vires huiuſmodi perfractas reddit, vt in hoſtium poteſtatem redacto,vtroque oculo excæcato,in piſtrinum adhibito,indignis modis illuſerint. Quænam meretrix noſtra erat humanitas, ex cuius ſanguinibus, ex cuius carnis voluntate, dicta, factaq. noſtra prodibant? At eadem attritis myſtici Samſonis viribus, ab eo aſſumpta, quamobrem abſque capillis (diuinitatis ſcilicet virtute demiſſa) ludibria ad ſalutem non contempſit, quàm diues, quàm munda, quàm legitima Saluatoris ſponſa euaſit? Fortunata Dalila,quæ tantum valuit. Sed beatior,ſub cuius nomine redemptionis humani generis tegitur hiſtoria.

## Pinti.

*Horrendum in Lybico laſciuit littore monſtrum,*
*Pars reliqua eſt anguis, femina pube tenus.*
*Iſta viatori Veneris blanditur amanti,*
*Pectore dùm mammas explicat, ore ſonos.*
*Incautus properat, capitur, concluditur vlnis,*
*Vltima at amplexu clàm venit atra dies.*
*Tùm fatur moriens; Me forma fefellit. Amore*
*Hinc fuge femineo perdite quiſquis amas.*
*Dalila, tu monſtrum es,Lybicas quod terret arenas,*
*Dùm ſciſſo fortis vir tibi crine cadit.*
*Ille Philiſteis non mille repellitur armis,*
*Et qui victor erat, ſic tibi victus adeſt!*

Iuditha.

# Iuditha.



Ognita Sapori Persarum Regi est Zenobiæ 10
Reginæ virtus, quæ recuperata Mesopotamia, Oriente recepto, Ctesiphontem vsque exercitum, magnæ cladis calamitate est insequuta. Perspectum Cyro Scythicæ Tomiris robur, cuius abscissum caput redundante sanguine spreuit inuolutum. Reginarum potentia, mirificus militaris gloriæ adfuit apparatus. Quid verò timidam feminam Iuditham, viduitatis solitudine afflictam, in Olophernem Assyriorum potentissimum Ducem, in centum septuaginta millia peditum, & duodecim millia equitum audentem, animi præstantia, corporis viribus, bellica virtute celebriorem non admiramur? Venustatem fortasse vicisse dices? Vicit quidem. Et eò Vidua clarior, quò pulcritudine ferociam reddidit crudeliorem. Iam mœnia, ciues, fortunas, Betulia triginta quatuor dierum obsidione, prohibitis aquis deperdita, hostibus erat traditura. Miseret suorum eam ciuium, non Ciuica, sed cœlesti corona dignam. Componit se ad pulcritudinem, ornatur vestibus, comitur, & fuco ad alliciendum coloratur; noctuq. è ciuitate, ancillula tantum comite egressa, ad hostium castra contendit. Percrebuit rumor è Betulia insignem forma, atque habitu aduenisse mulierem. Ad eam ruunt, & ad Olophernem ducunt. Misericordiam exposcit, & simulat saluris causa indè profectam, veluti futuræ ruinæ consciam, atque Hebræa calliditate, Assyriam sibi fidem acquirit. Triduò ibi commoratur, impetratq. vt nocte intempesta ad vallem Deum præcaturæ progredi liceret. Accenditur amore temulentus, & ea in tentorium excepta, post dapium, vinorũq. voluptates, omnes explodit. Adeste animis fauete viribus. Impauida iam facta mulier, somno sepultum Ducem obtruncat, & reuulso capite, in ancillæ peram immisso, ad vrbem redit, dùm qui ad custodiam corporis erant,

ad vallem eam profectam esse sibi persuaderent. In mœniorum propugnaculo capite suffixo, impetuq. ab oppidanis facto, ad Ducis tentorium à militibus concurritur, qui vbi interemptum conspexere, tanto timore sunt perculsi, vt terga vertentes ad internecionem interierint. Sed quæ potior in hac muliere victoria? In ea rerum perturbatione pudicitiam potuisse tueri.

## Pinti.

*Nùm patrios patiar muros circundari ab hoste?*
*Femineo vindex pectore fortis erit.*
*Non vis in dextra hac? dabit ipsi robora summus*
*Magna Deus. tali guttura voce sonant,*
*Et validos Iuditha subit munita lacertos*
*Castra, & Olophernis discidit ense caput.*
*Surgite vos calami, vos musica surgite plectra,*
*Ausus, & tantum tollite ad astra decus.*

# Noemi, & Ruth.

11, 12 
Lterius ne despice Viduæ miseriam; ne afflictæ illudas; ad Regiam enim amplitudinem huiusmodi prouecta est, vt ex nurus filio Obed, Isaì procreatus, Davidem genuerit. Noemi, Bethleemiticam intueris, quam in Ruth Moabitide Deus exaltauit. Famem cùm Elimelech in Bethleem, quæ panis domus erat, explere nequiret, cum vxore, duobusq. filijs in Moab regionem se contulit; quam vix attigerat, cùm decessit. Filios matrimonio cum Orpha, & Ruth iam coniunctos, post decem annos Noemi amisit; quæ filijs, & coniuge orbata, vtramque nurum dimissura, in Bethleem cogitabat. Quarum altera abijt; altera inuita socru, nunquam se discessuram obstinato animo affirmauit. Bethleem reuertuntur; laudatur Noemi. In humilitate autem constituta, non pulcram, sed amaritudinibus plenam esse appellandam dicebat. Mox paratum

campum,

campum, ſpicis refertũ (hæc diuina illa prouidentia eſt) & Booz in pauperes reſpicientem inuenere. Efficax nimirum eſt, mendicitatis patientia. dùm enim colligendis cadentibus modò ſpicis animum Ruth intendit, meſſoribus, ſpicis, agro dominatur. At verò hordeum colligit. Ita quidem. Hanc meſſem quis potiorem, & aſperiorem neget? Inter Legem, atque Euangelium hæc intercedunt; quamobrem & panem in aceto intingit, cùm poſteà in vinariam cellam eſſet introducenda. Sed vtrumque ita manipulo colligauit, vt vnum reddiderit; & tandiù meſſuit, donec hordea, & triticum in horreis conderentur. Magna hæc in hiſce mulieribus admiror. Illud autem nimis reconditum quis reticeat? Suſcitatur in Noemi, vendito agro, in hereditate propinqui nomen, ceditur propinquitatis iuri. eiuſq. rei teſtimonium calceamenti ſolutione confirmatur. Soluit quoque calceamentum Moyſes, hereditatem CHRISTO relicturus. Nec immeritò à pedibus orditur, qui caput anguli eſſet faciendum. Et nudis pedibus Apoſtolica Fides, quæ in mare turbationum, vocationis ſagenam quotidie erat immiſſura. Rudiſq. pedibus fidelis, qui ſpinarum, & tribulorum puncturas non perhorreſceret, quas amoris ignis aduxerat. Dumq; alter calceamentum exuit, induit alter; quippe nihil Moyſi cum CHRISTO, nihil cum Eccleſia Sinagogæ, quæ proximo ſuo cedere coacta eſt, licet mulieris Ruth filius quem ex Booz genuit, Noemi filius dicatur, cùm ex Hebræis Saluator ortus, cum Gentilibus voluerit commorari.

## Pinti.

*Arepolis lux, fida ſocrus ſpeſq; alta Noëmi;*
*Dira abijt, ſpicas collige læta, fames.*
*Affinis tuus eſt, dominus, Ruth, ruris opimi,*
*Cui metitur vaſto blandula ariſta ſolo.*
*Perfice iuſſa ſocru monitus quicunque ferentur,*
*Et tibi meſſis herum mox fore crede virum.*
*Hæc hominum ſors eſt: poſt fletum gaudia ſurgunt.*
SPERET *in aduerſo qui tulit ægra die.*

# Abigail.



13 Armeli cautibus asperior Nabal, tãtum malitia & improbitate increbuit, vt meritò in omniũ inuidiã fuerit adductus. Animaduerte nomen. Stultus est. Quid stultius? Dauid, qui mortuo Samuele in desertum Pharan se receperat, ab eo pecora tõdente, per pueros, vt summã ipsi pacem, summãq; tranquillitatem concederet, nulla iniqua proposita conditione, afflictionis subsidio, quæ posset, quæ iuberet, est deprecatus. Sed magis perfido, quàm inurbano animo rusticus, contumeliosè & insolenter denegáuit. Num diuitiarum locuples, & humanitatis inops egestatem propulsare cùm queat, & abnuit, viuet? Ad eius domum excidium, ira percitus Dauid contendit. Quid statueret, nisi speciosa, & prudentissima vxor Abigail, calamitati occurrendum deliberasset? Ità diuina prouidentia factum est, vt sapientes vxores quamsæpissimè, virorum insanias corrigant. Panibus, vino, arietibus, passis vuis, & caricis, inconsultò Nabal asinum onerat. Ad Dauid properat; quem verba minarum plena cùm iactantem audisset, efficaciori qua potuit eloquentia ex tempore composita oratione, tàm benè dixit, vt nihil cultius quisque Oratorum summus, nec vberiori facundia protulisset. Quos humilitatis locos, quas Dauidicæ virtutis laudes, quæ profudit enthimemata? Ad eius pedes procidit, dominum vocat, se ancillam dedit, coniugis iniquitatem ad seipsam reuocat, eiusdem stultitiam confitetur, donorum oblationi benedicit, inuictum Ducem effert, sanguinis detestatur effusionem. Quid? allicit, hortatur, persuadet. Vis oratoriæ persuasionis argumentum? *Benedictum eloquium tuum; & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem.* Nec Hortensia vnquam tantum valuit, nec Cornificia magis dicendo vicit. Sic blandi sermonis fluuio, si mores hominum spectes, furoris flamma extinguitur. Sic sanctæ orationis eloquio, diuina ad vindictam ira placatur.

Pinti.

Pinti.

*Carmeli Abigail desere verticem,*
*Dùm tondent pueri lanigerum pecus,*
*Si te forte ciet salus.*
*I, discriminibus ne doleas tuis,*
*I, ne mœsta viri funera defleas,*
*I, ne firma ruat domus.*
*Desertas Pharaan te fer ad arbores,*
*Turmas inuenies obuia, bella quæ*
*Ingratis animis mouent.*
*Dauid nonne acies magnanimi Ducis?*
*Dauid non ne minis horrificas tubas,*
*Dauid non clypeos times?*
*Nullus, commonuit conscius illius*
*Iræ, ex tot pueris, quos alis indies,*
*Insani Abigail viri?*
*Perge hinc non vacua dextera, & alloqui*
*Ne te illum pudeat, muneribus latet,*
*Verbis atque tuis quies.*
*Rudentumq. humeris cæcuba, caricas*
*Impones, Cererem, fercula carnium;*
*Nabal quò fugiant mala.*
*Et quantum validis munera viribus*
*Possint, perspicies; quantum humili prece*
*Fusa, pectore proderis.*
*Dauidi eloquium pluris erit tuum,*
*Quàm culta hæc species, quàm tuus hic lepor,*
*Quàm si ipsi omnia deferas.*
*Compones animos vt mare feruidum,*
*Extincta ad solium iunget Hymen duo*
*Nabal coniugij face.*
*Vt tu, quæ es sapiens, lumine sub Iouis*
*Est quid sordidius, quàm bona si neges;*
*O digna imperij tholo?*

Esther.

# Esther.



14 B Indis ad Aethyopes Assueri Regis Imperium, centum viginti septem prouincijs circumscriptū; eiusdem magnitudinem, atque potentiam, centum & octoginta dierum cōuiuio Persis, Medisq. amplissimo luxu parato, omnium oculis summa cum admiratione obiectam; opacorum nemorum oblectamenta, in quibus hyacinthini coloris tentoria, byssinis funibus, eburneis circulis, marmoreis columnis sustentata, tùm Smaragdino & Pario stratum lapide pauimentum, in quo lectuli ex auro, argentoq. dispositi; picturarum varietatem; pocula rorantia quibus tota bibendo superabatur Asia; Vasthi demum Reginæ comessationes, & venustatem, adeò vilia Susanita Esther Mardochei nepos effecit, vt ipsam Assuerus amaret, honoraret, præterea nihil. Sceptri maiestas, Esther facta est, cuius nutui omnia cederent. Omnem amplitudinem, sola venustatis forma exhausit; nec opus habebat oleo, aut myrtinis vnguentis, quæ vultus nitore præfulgebat; nec aromata, aut fuci ad mulierem accedebant, cui sola admirabilis species ad omnem cultum superesse videretur. Quid tum? Valuit ad Iudæorum salutem simplici ornamento pulcritudo conspicua. Valuit ad potentiorum superbiam deprimendam. De Amano loquor. Nolint Regum gratia, & fauore prouecti, tantum sibi sumere, vt gentis, patriæ, stirpis, inopiæ obliti, genua sibi flectenda procurent, nec in solio, fortunatis Solibus, iubeant sibi ministrari. Nec Reges, si quis eorum gratiam fuerit aucupatus, ad aliorum inuidiam prouocent; in ipsis enim met vespas denique concitant. Nec ab ipsis Regibus aulicis faciles aures præbeantur, à quibus diuenduntur. Excæcat tunc Esther dominantis oculos, cum occultis negociorum artibus volens lubensq. illuditur. Ecquid sacco indueris Mardochee? Quid fles? Neptem tanti nominis, tantæ apud Assuerum dignitatis habes, & times? Iudæos necandos ploras? Murus ipsa, & clypeus gentis tuæ calamitatibus efficitur;

Omnium

Omnium ipſa ſubire periculum decreuit. Ad Regem ingreditur vel ſi eſſet pereundum, quippe legis præcepto aduerſabatur. Fidentem cur admirabor? Trium dierum,& trium noctium ieiunio fortiſſima euaſit. In furore ebrium, ſancta ieiunij armatur audacia. Quas malorum cohortes, quos peccatorum impetus ieiunium non perfringit? Omnia habet; cuncta impetrat; & placet, & placat, & in honore vel in cœlo habetur. Idcircò in domus atrio nunc Eſther ieiuna conſpicitur, vt in penetralibus ab ſummo Rege in ſolio ſedente excipiatur. Et vbi quis vino incaluerit,de excidio,de calamitate cogitet neceſſe eſt.

## Pinti.

*Mille quæ ex pulcris placet Aſſuero*
*Vultibus, ſceptrum meret vndè Vaſthi,*
*Quæ patris fratrem precibus ſuperbo*
*Vindicat hoſte;*
*Quæ trabes mortem patruo minantes*
*Suſtulit, Regis metuenda cultu*
*Et malum in ſe, turpe alijs quod optat,*
*Struxit Amanus:*
*Neptis hinc gaudet prece Mardocheus,*
*Suſcipit ſedem benè primus Aulæ,*
*Vnde Amadathi cecidit vetuſto*
*Sanguine cretus.*
*Quæ potens verbo incolumem paternum*
*Reddidit Iudæ populum, rogatu,*
*Hic ne ab hoſtili maculatus enſe*
*Iret in Orcum;*
*Ire in his noſtris poteris Camœnis?*
*Maior hic ne ibit mea, quàm* CAPACI
*Laus? ſilet ſidus, rutilo loquente*
*Lumine Phœbi.*

Anna

# Anna vxor Elcanæ.



Ntiquarum omnium mulierum æmulā Annam
15 Elcanæ vxorem conſpicito; quæ in Chriſtianæ patientiæ ſimulacro conſtituta, non modò Phenennam quoque ſibi dari ſociam in coniugio, ſed etiam ſacrificiorum vnā tribui partem paſſa eſt, cùm plures Phenennæ filijs, immolationis lætitia geſtientibus animis diſtribuerentur. Recrudeſcere doloris vulnera ſentiebat, cum Helim, Ophnim, & Phineem Sacerdotes pro Phenenna libantes reminiſceretur, cùm de cibi potuſq. abſtinentia percunctaretur Elcana, & cum ſterilitatem (quem mœrorem in præcordijs conceptum continebat) ad templum aſcendenti ſocia exprobraret. Qua verò animi fortitudine rem ſuſtinebat? Quibus conſolabilibus lacrimis animi amaritudinem recreabat? Obduruerat iam, & percalluerat in ardua & difficili mulieribus calamitate, quæ huiuſmodi benedictione ſuperantur, voluntaria & prolixa perpeſſio; & ad ea luctam benefica natura mulier accerſita, non agreſtibus atque horridis viribus, ſed nitore ac palæſtra luctata eſt. Non indignabunda, lugebat; & virum amantem ſexcentorum liberorum loco habere ſat habuit. Nec cum Phenenna tantum, virilem ſe præbuit athletam; Prophetas etiam habuit prouocatores. Dùm enim vota, preceſq. Deo fundebat, cordis arcana labiorum motu pronuncians, ebria ab Heli habita eſt, & temulenta. Honori id tibi Anna tribuas, non contumeliæ. Biberas enim in Silo, & Meſſiæ deſiderio teneri iàm cœperas, eius expectatione animam fundens; Quàm bona ebrietas ex vineis Engadi? Abſtine vino quo illuditur Noë. Obſeruet accuratiùs Heli. Tu enim ad vinum alacritatis deſerta, quæ recondita corde promis, labia balbutire permittis. Quid maius in te deſideramus? Elcana Deus zelotes eſt, qui in Phenenna procreabat, & iuſtitiæ operationibus orbem terræ, & aquam iugi perennitate obruens, & Leonum ferocia occidens, & maria, inſulaſq; igne comburens, gentibus innoteſcebat: Tu verò, Miſe-

ricordia

ricordia ipsa es, quæ à Iustus viro delecta, sed conclusa sterilitate non dùm pepereras; cùm tandem, *Recordatus misericordiæ suæ*, in omnium Prophetarum oculis te lugentem est consolatus, & Samuelem, hoc est Gratiam, pace, & rerum tranquillitate parta, humano generis præsidio, edidisti. Quamobrem dùm in pace ab Heli dimitteris, gratiam in Dei oculis deprecaris. Atqui abis, comedis, surgis. Abis in eius viam, qui Via est; comedis Angelorum panem; non comederis à zelo; & surgis mane in Ramath, cùm vesperi sederis in flumine Babylonis. In vberibus feliciſſima cognosceris, quæ non nisi ablactatũ infantem ad Deum ducis; quis enim absque lacte quod Misericordiæ mater præbet, ad Deum accedere audebit? Tunc eius vbera meliora vino, cuius in te nota ebrietatis inerat; tunc puritatis lacte enutriti cum cœlestium laudum vitulis, contritionis farina, lætitia vino, ad domum Domini ascendentes, te admirabimur, quæ corde exultas, os dilatas, in salutari tuo lætaris; Dei prædicas sapientiam & fortitudinem; qui arcum fortium confringit, famelicos saturat, steriles fœcundat, mortis & vitæ auctor est; pauperes ditat; humiles subleuat, solium gloriæ tenet, terræ cardines reserat, sanctos seruat, impios opprimit, fines terræ iudicat, Regiq. suo CHRISTO imperium dabit. Hæc Anna prædicit; quis ea sapientior?

## Pinti.

*Hinc Charites multa miserantes nomine in Anna,*
*Hinc Dei in Elcana zelus amoris inest.*
*Quem Deus apposuit, Samuelis vox sonat, Heli*
*Obtulit, hocce notat, qui pia dona Deo.*
*Quattuor in templum hi veniunt, nos inde rogemus,*
*Ad nostros properent nomine, req. lares.*
GENTE *domus, felix auro, felixq. salubri*
*Corpore: at illa magis, cui Deus astat ope.*



E Susanna.

## Susanna.

16 


Enis aurarum spiritus dùm inter frondes grato murmure susurrat, fragratq. floribus currenti lympha cespes irriguus, plagas insidus tendit auceps, simplicesq. decipit aues, quas visco adhærescere cogit. Hem; sub arbore, infelici aucupio deceptæ sunt aues Paradiseæ, quibus ima mortis nō tangere licuisset, si callidi veteratoris sibilo nō paruissent. Immortalitatis pennis, quarum effugia ab omni corruptione habuerant primi parentes, visco mortis circumuolutis, & mori, & pati, & sudoribus victum sibi quærere coacti, omnem in posteros miseriam transfuderunt. Hinc peccatorum turmæ, durissimæ seruitutis onera, atque variarum cupidinum fomenta; factusq. Paradisus est Babylon, in qua Seniores, qui leges condere, iudicia populis proferre consueuerant, & quorum ad exemplum ceterorum mores componi oportebat (rectè enim ciues facere, Administratores faciendo docent) impudica, & libidinosa lue affecti, in Susannam, Ioacimi vxorem, Helciæ filiam impudenter sæuire non dubitarunt. At speciosissimæ pulcritudinis lenocinio allecti fuere; & aridiori esca faciliùs ignis accenditur. Falleris. Tetra libido effœto iàm corpore arescat, & petulans arceatur voluptas, cùm pudicitiæ vallo tabefacta ferè membra deceat muniri. Qui enim fieri poterit, vt impudica mente, itineris metam intueamur? vt sordido cœno lutulenti alterius vitæ, ad quam accedimus, puritatem contemplemur? At in pomario erāt. Periculosius ibi commoramur; oblectant lusciniarum cantus, florum odore detinemur; ripæ, thoriq. passim varijs placent virgultis conuestiti; in herbescente solo, aut sub foliorum tegmine ornatis arbustis somno consopimur. Vitreis fontium aquis, quid delectabilius? pomorum fragrantia & varietate quid lætius? Seminarium illud est lasciuiæ; tùm si mulieres adfuerint. Delitescit serpens. Illicò ex latibulis se emergit, & ore trilingui persuadet. Adest in pomario Susanna,

in la-

in lauatione, in vnguentis, nuda. Lubrica idcircò nimium aspici. Corruit in Bethsabeæ lauantis libidinem Deo charus Dauid. Intrat mors per fenestras. Optimè. Sed mala mens, malus animus in senibus quid concupiscit? Cur ab indigno facinore non cessant? pudicitiam sanctæ mulieris violandam decernunt? adulterij nota falsò inurunt? Ingemuit honestissima mulier, opemq. petit è cœlo, & dùm lautiùs lacrimis, quàm balneo lauatur, emori mallet, quàm fœdari. En, præstò est auxiliator Deus. Quod clàm effectum fuerat, palàm à Daniele damnatur, & iniqui sceleris testes, sontes, veritatis testimonio, necis supplicio traduntur, cui sanctam matronam destinarant. Facta est inuicta hæc mulier, falsi criminis clypeus, pudoris tutela, libidinosæ senectutis accusatrix, falsorum testium iudex, innocentiæ vindex, innoxij sanguinis salus, Deoq. continentia, lacrimis, oratione tàm chara, vt omnium votis, ac vocibus ad falsitatem detegendam, ad castitatem seruandam debeat inuocari.

## Pinti.

*Vos ne pennati genitrix puelli*
*Cœpit obscœnis laqueis? amœno*
*Helciæ tantum speciosa nata in*
*Ambulat horto?*
*Estis an Iudæ niuei Senatus,*
*Estis an vestræ immemores senectæ,*
*Illud è vobis cecidit senilis*
*Lumen honoris?*
*En pedes auertite ab hoc scelesto*
*Igne, nam sancta vt mulier iugalis*
*Ioacim coniux, metuit nitorem*
*Lædere lecti.*
*Tam procul vestris pudor omnis errat*
*Mentibus? vos hanc probibete pestem*
*Cælites, quorum metus, & recessit*
*Iudicis alti.*


*Abditis scenis iuuat ecquid esse?*
*Vas vel abdatis tenebras in antri,*
*Attamen Regis superi penetrant*
*Lumina Olympi.*
*Vultis an solam, miseri, adamatam?*
SOLVS *is non est, comes est vbique*
*Cui Deus: binis feret ille seruis*
*Robora Martis.*
*Ite, ne vestra capiatis aure:*
*Tendite bis clatrum foribus puellæ,*
*Lecytos pingues oleo, lauacro*
*Smegmata ferte.*
*Ite, ne castis lacrymis queratur,*
*Ite, ne dicat, male pressa vestro*
*Impetu, infelix quid agam? dolores*
*Vndique vexant.*
*Ite, ne præstat, fateatur, absque*
*Crimine, in dextras hominum venire,*
*Quàm scelus coram Patre perpetrare,*
*Qui regit orbem.*
*Linquite amentes aliena: adulter*
*Si foret vestris male puniendus*
*Iussibus: saltem cinis, heu, sepulcri*
*Terreat atri.*
PRÆTERIT *somnus, velut vmbra nubis*
*Lampade Eoi veniente Phœbi.*
*Ridet, & tantum placet hæc libido?*
*Fœda voluptas?*
*Ite, ne flectat precibus Tonantem;*
*Ite, ne culpæ iuueni notentur.*
*Quam necis dignam statuistis, insons*
*Inde patebit.*
*Daniel tantum scelus an silendum?*
*Cognito vero, Daniel, monebis,*
*His vt effrænis popularis omnis*
*Aestues ira.*

Vi-

*Viuat æternis numeris Susanna,*
*Quæ senum vires repulit petulcas,*
*Quæ viri leges pia certiori*
*Fœdere sanxit.*
*Hanc beant cæli specimen pudicæ*
*Coniugis. vos ast Erebi cauernis*
*Iudices, clausi, impietatis acti*
*Flamma ab Amoris.*

---

# Sara, Raguelis filia.



Vi vteris, & matrimonij iura ad benè viuendum, 17
tibi expetenda proponis, ad Raphaelem confugito, qui Saræ Raguelis filiæ Tobiam copulandum huiusmodi erudiuit, vt sacri cõiugij vera lege seruata, à dæmonis interfectoris metu, semper fuerit alienus. Septem Saræ viros dæmonium occiderat, quorum obitum tàm patienter pertulit, vt tandem meruerit consolari. Malè viri obierant, quòd libidinosa voluptate salaces, atque intemperantes, luxuriosiùs coniugij societatem violarant. Non est coniux illicienda in stuprum; nec filiorum procreatio impudica licentia in scortationem commutanda. Absit ab honesta sancti Iuris Aula luxuria, nec inter Fidei honores vnquam locus detur corruptelæ. Dùm more pecudum coniuges coeunt, thorumq. nulla Diuinæ Legi adhibita reuerentia, sordidum sibi lupanar effingunt, recedant à Sacramento necesse est, & in stabulo, non in contubernio viuant. Angelico id testimonio confirmatur. Sara experta est. Sed eam non peccasse idcircò arbitror, quod Tobiæ præcepta dantur, ne à viro muliebris castitas corrumpatur, quam simplicem, quæ ad matrimonium spectant, sanctè docuit venerari; sic enim dæmonium religatum in superioris Aegypti desertum eijcitur, & à puro intellectu surgente Deus non ignoratur. Ieiunant, orant, tribus diebus continenter degunt. Cum adiutorio Heuæ simili Tobias, misericordiam & se-

nectutem Sara precatur. Quid mortem times? Quid sepulcrum paras? Iàm persequens hostis profligatus est, iàm sanitas reddita. Eia, age, sacrificium laudis offeras, reple fossam, conuiuium para; nihil enim est sanctius quàm Saræ nuptiæ, quibus vnicus parentibus Tobias seruatur, quibus temporis diuturnitas, liberorum procreatio, vxoria fides, coniugalis tranquillitas promittitur. Sumant ex Sara, & Tobia coniuges exemplum, castisq. delectentur Hymenæis, vt diutiùs feliciter viuant.


## Pinti.

*O nulla arbitrij gnara reconditi,*
*Ancilla in dominam iurgia das tuam?*
*Audi, cum lacrymis preces*
*Quas pia Sara offert Deo.*
*Non est hæc, miseros, quæ interimit viros:*
*Hæc non connubij vult obitum sui,*
*Vana haud mota libidine,*
*Quæritat optatum genus.*
*Cur conuitia non sordida projcis?*
AVSVS *materie turpe lacessere,*
*Dignum supplicij fuit,*
*Seruitium faces heram.*
*Septem orbata viris Sara dolens iacet:*
*Octauo dabitur læta propagine,*
*Magni filia Raguel.*
*Improba cernes nuptias.*
*Et qui pernocuit spiritus impius,*
*Ibit terrificè pulsus, & haud necis*
*Iactabit mala: coniugi*
*Tobiades viuet diu.*
*Aspectu accipiet, munere Raphael,*
*Immensa genitor lumina lampadis*
LVCEM *post tenebras feret,*
*Omnipotens iustis viris.*

*Prosti-*

*Proflixisse solet, quos peramat pater,*
*Pressos altius his euehit, & pati*
*Non longum patitur, vice hac*
*Se gerit in natos suos.*

# Abelæ ciuitatis mulier.



NVsquam in sanctiori Ariopago quisquam vtiliorem sententiam tulit, quàm sapiens illa mulier in Abela vrbe, à Ioab & Abisaì fratribus Dauidis Regis iussu obsessa, vt Sibam Iemineum interficerent. Is, odium quo Regem prosequebatur, non modo maledictis, quibus detractoris typum gerit, sed buccinæ etiam clangore insolenter voluit publicari. Quin, tantum proteruitate valuit, vt suas Israelem partes sequi, deserto Dauide persuaserit. Siccine factiosus homo cum Rege contendit? Quandiù viuet, & pęnas luet? Iàm ciuitas oppugnatur, adhibentur machinæ, muros diruere & propugnacula deturbare Ioab molitur. Quò Siba euades? Omnis in te conuertitur iracundia, & cùm tu vnus ciuitatem perdas, te vnum perdere mulieris huiusce sapientia deliberauit. Auertitur ab ea Ioab, & veteri prouerbio, *Qui interrogant, interrogent in Abela;* ex labore gloriam consequuturum affirmat. Addiditq. ne hereditatem Domini præcipitans, matrem in Israel euerteret. Cùm verò respondisset Ioab, se nunquam ciuitatem demoliturum, si vnum Sibam tradidissent, inito consilio prudentissima mulier, conuocato populo, tàm disertè loquuta est, vt Sibæ abscissum caput, per murum ad Ioab proijciendum statuerint, quamobrem obsidionis periculo ciuitatem liberauit. Ecquid ipsa eloquentia maius persuadere potuisset? Quod magis fidele, magisq. salutare consilium ab optimo Senatorum animo, in publico consessu seruandæ Reip. studio esset profectum?


Pinti.

Pinti.

*Quòt sunt, quòtve fuere feminarum*
*Splendor, quæ patriæ timent, in arma*
*Casuræ, Isaida Duci potentis*
*Visa es, consilio magis valere:*
*Tu circumpositas manus Abela*
*Muros prospiciens, sonos tubarum*
*Exaudis; patria paues ruina,*
*Ductorem aggredere hostium, disertis*
*Et sermonibus, & venusta vultu.*
*Fidentes monitus tuos capessit,*
*Turbas præcipites Ioab retardat.*
*Quid tu cum populis agis? Bochri ne*
*Cretus sanguine contumax valebit?*
*Non ceruice tibi caput reuulsum,*
*Fortis Saruiade, datur? futurus*
*Palmæ vt sis memor, vna plurimarum*
*Audax quam peperit, pij virago*
*Cordis; quove abeant loci mali hostes*
*Pessum, qui famulos Dei insecutos,*
*Letho condere moliuntur atro:*
*Vtque ex feminea venire dextra,*
*Multis posse viris diem salutis,*
*Noscas: dulce recordor illud: ipsi*
*O serpens mulier caput recidet.*

---

## Chananea.



19 CVr Tyrum, atque Sidonem regiones beatas appellem? An quòd altera in Phœnicia, altera in Palæstina prouincijs positæ, prophanis, sacrisq. historijs celebratissimis, odore, & vineis fragrantibus, in nobilissimo illo totius Asiæ littore Orientalium oculis conspicuæ sedent? An quòd in Assyriorum maria excurrentes, præclaræ portubus,

tubus, nauigantibus mercium & diuitiarum emporium fuere? Tu verò Sidonem Venere Aſtarte extolles, in Deorum templis munera tholis ſuſpenſa,& tabulam Europæ commentitijs nugis continentẽ. Nihil minus. Quòd eas cùm Sol iuſtitiæ CHRISTVS perluſtratur, Fidei lumine Gentes nitent; quòd eò terrarum diuinus Archiatrus accedens, veram ad ſalutem comparandam medicinam adhibet, idcircò laudo. Quid ſi ob Gentium anteſignanam Chananæam laudandæ fuerint? Quid anteſignanam? habuimus in ea re Centurionem. At vide, quàm bellè cum eo contendat, quòd *tanta*, cùm Centurionis Fides dicta fuerit, *magna* Chananææ Fides eſt appellata. Neque ceſſit illa temporis momento, quæ filiam illicò ſalutem adeptam amplexa eſt, cùm *in illa hora* Centurio etiam puerum ſanitati viderit reſtitutum. Et quæ non vterque conſequitur oratione? Sed grandior dicendo Chananæa. Rogat enim ille; hæc miſericordiam quoque deprecatur. Domini encomio IESVM ille decorat; hæc Dauidicæ Regiæ ſtirpis adijcit amplitudinem. Grauiori atque magis periculoſo morbi genere Chananæa filiam à Dæmonio vexatam,quàm paralyſi affectum Centurio puerum antè oculos ponit. Illud quidem ne te, illuſtris mulier, offendat. De Verbo Centurio loquitur, Verbo puerum eſſe ſanandum confidit. Tibi verò non reſpondit Verbum. Optimè factum cenſeo. Dùm enim Dæmonium nominas mendacij patrem; Verbum, ipſa Veritas, tacet. Sed ne deſperes. Verbum quod in abſcondito venit,tacito ſtratagemmate Dæmonium eſt victurum. Sic vincit.Pelliceas veſtes, quas primus Adam induit, eiectus è Paradiſo; Spiritus Sancti opera in Virginitatis Paradiſum introductus ſecundus Adam induit, & Paſtor effectus, ad oues quæ perierunt domus Iſrael mittitur; dùmq. Arca fœderis ſub pellibus eſt, panis filiorum ſeruatur ad ſaturitatem. Tu,ouis quæ perieras, Chananæa, paſtorem agnoſcis, atque veneraris. Tu, Canis anteà antiquæ Legis latratu, filiorum adoptionem es conſequuta. Neque Canis nomen abhorreas, quæ Paſtoris ouile ſumma vigilantia es cuſtoditura. Quin Catelli nomine delecteris,cùm profunda cordis humilitate gratiarum micas guſtaueris, in lautiſſima cœleſti

mensa pingue conuiuium pransura. Tunc, quæ Verbum nunc in ænigmate reticet, immortali voce propalabit, *O mulier, magna est Fides tua; fiat tibi sicut vis*; iàm enim ouis, filia, catella æuo sempiterno frueris.

## Pinti.

*Sidonios, mulier, desine limites,*
*Pastor non procul est à gregibus. Canis*
*Nomen ne fugias. Pastor enim canes*
*Ducit post pecudes: tu, vt reor, es canis*
*Latrans Tartareo progenita Lupo.*
*Quod si est fida canum cura fidelium:*
*Quàm vera Dominus laude tuam fidem,*
*(Latrasti eximiè) sidera ad extulit.*
*O si hanc quisque animo det vigilem canem,*
*Certe sæua foret nulla nocens fera.*

---

# Samaritana.



20 T cur Samariam fortunatissimam dicam? Quòd insignis ille Abraham è patria Haran, & è patris domo egressus, in eam terram, diuini oraculi monitu, se contulit cum omnibus suis, vel cum Lot etiam accepta propagationis benedictione, ibi fuit commoratus? An quòd Syriæ Regis Benadab, quo cum triginta duo Reges conuenerant, eius prouinciæ campi, militũ atque equorum sanguine redundarunt? In Syrum suos impetum facientes victores extulit? An quòd in summa annonæ caritate qua opprimebatur, Elisei vaticinio, similæ, hordeiq. modij in eius porta statere vno facti fuere? Leprosi, hostium castra diripienda nunciarunt? Vestibus, vasis strata viarum plena vidit? Digna profectò hæc omnia sunt, quibus eius felicitatem, meminisse, & commemorare possimus. Nihil verò ad eam accedit, qua Samaritanæ mulieris, & CHRISTI congressu

congressu ornatissima redditur. Expleturus Saluator sitim qua ad animarum salutem ardebat, in Samariam, ad fontem Iacob aduenit, qui cœlestis fontis perennitatem sitiens (indè enim promissæ populorum gratiæ erant emanaturæ) vt sederet inuitauit. Cùm ecce tibi, vt aquam hauriret hæc de Samaria profecta, vberrimum nacta est sapientiæ, & diuitiarum fontem, quem sitire admirata est, cùm ex Iudææ terræ venis gratiarum scaturientes fluuij, Samaritanorum ariditatem essent irrigaturi. At sitire iàm ipsa cœpit, *Dei donum*, aquam esse viuam animaduertens. Cur se contineat? Turbidas peccatorum aquas non haurire Christum, & eius mysteriorum profunditatem non posse penetrari confitetur. Quid enim Fonti, & Puteo? Aquas in superficie fons habet, & Legis præcepta litteræ studio Iacob perscrutabatur; sed profundè Putei seruantur aquæ, quas nisi secretior spiritus hauserit, viuas bibere quisquam haud poterit. Fons, ad sitim reuocat; Puteus cum æternitate sitim depellit. Quæ ex fonte emanant aquæ, in terram decidunt; quæ ex Puteo erumpunt, contrà aquarum naturam, igneo ferè spiritu in cœlum ascendũt, spiritus siquidem Deus est, & in spiritu debet adorari. Iàmq. ardet, & sitit auidiùs. Aquam viuam exposcit; se mortuam, mortuorum hircorum sanguine cognoscit; celerem vitæ satietatem petit. *Da mihi hanc aquam*; te Saluatorem agnosco; te sitio; te bonorum omnium fontem exquiro; sed fontem, & Puteum. Fontem, qui cum in humanitate apparueris, aquam veluti fons Iacob pecoribus præbeas, ne crucifixorum voluntati esses impedimento; Puteum verò cùm diuinitatis arcana non aperiens, te Deum absconditum ostendas. Fontem, morte humilem; Puteum resurrectione altum. Fontem, in quo te viatorem constituis; Puteum, in quo comprehensor in vitam æternam salis. Cùmq; potasset, satietate bibendi expleta, ebria quasi amore, ea loquitur, quæ adhuc ignorat. Dominum potentia, Prophetam sapientia, Messiam Euangelio veneratur. Et benè virum se habere negat, nesciens se fideli sensui esse emancipatam, quæ priùs corporeis tantum sensibus nupta fuerat. Ad Latriam se conuertit, Caluarij locum prædicit, hydriam relinquit, Samaritanos euocat, qui

mortuorum,vitæ,& salutis ergò ingreditur,quibus clauo in cruce suffixis, firmamentũ ac robur totius redemptionis explicauit. Aruerat infelicis mulieris cor, libidinum æstu. Descendente pluuia in Vellus, soluitur in lacrimas; & dùm in hoc ligno quod plantatum fuerat secus decursus aquarum, cùm à Deo abesset, Amoris ignis accenso, humor vanitatis extruditur. Obdurucrat obstinatione; percutitur à mystico Moyse,& aquarum fluenta è petra perenniter emanant. Quid ex nostris oculis, excelsa mulier,tantillum lacrimarum non elicis? Vna si cor nostrum lacrimula irrigaretur,cùm te pœnitentiæ speculum imitari nequiremus, saltim ad pedes accedentes, ad nostrùm ipsorum cognitionem perduceremur, stantes enim essent pedes nostri in atrijs, cùm tu sanctissimorum pedum vestigia sequuta, in intimam domum intraueris. In atrijs eras cùm pedes vnxisti; ad sancta properasti,cùm super caput recumbentis vnguentum effudisti; & ad Sancta sanctorum properans, cùm Maria Iacobi, & Salome, totum Iesu corpus vngere desiderabas. Quæ illustrium matronarum meruit pedes Domini rigare, tergere, osculari, vngere? rigare spiritu contribulato,tergere cordis puritate, osculari oris confessione,vngere contritione? Quid maius? Quæ nam vnquàm meruit fortem Samsonem ligare? Facillima vincula capilli erãt; & fortissimum detinuere. Inuicta diuini Amoris potentia. Multum diligis; multum potes; multum in peccatorum remissione consequeris. Quid multum? Cuncta tenes; omnia nosti. A Christo, salutem & pacem; mox defuncti fratris Lazari quatriduani resurrectionem; Fidemq. vitam æternam parere. A Marthá sorore;quicquid à Petro Apostolorum Principe Fidei firmamento gentes nouerant, Redemptorem scilicet, esse Christum Filium Dei viui,verumq. eundem Messiam. Quod vt apertiùs patefaceret, ex deserti petra virga misericordiæ, & humanatum rerum affectu percussa, aquas erumpere permisit, cùm lacrimatus est, vt tuis lacrimis gratiam referret, quas omnibus pœnitentiam agentibus in peccatorum remissionem, passionis præclarissimo testimonio est elargitus.

Pinti.

## Pinti.

*Martha magna soror, reuocati fratris ab vmbris,*
*Nunc es magnifico nomine clara tuo.*
MAGNA *facit, scelerum dùm quisquis deserit vsum,*
*Pectoris &* IESV, *qui reserauit aquas.*

## Eiusdem.

*Crimina multa tibi, multi vis ardet amoris.*
*Crimina conculcat pes, tibi parcit amor.*

## Eiusdem.

*Voce, & pulcra genis, mulier, ditissima gemmis,*
*Pulcra magis* IESV *dum capis ore pedes,*
*Hiq. tuis madeant lacrumis, veniamve silendo*
*Posce:* SATIS *lacrumæ reddere verba queunt.*

## Eiusdem.

*Nil mirum, Maria es, lacrimæ si fundere fontes*
*Mœsta vales, & aquas dat mare diues aquis,*
*Sunt vnda, cordis lacrimæ, sunt ventus, amores,*
*Crimina tempestas, pes tibi portus adest.*
QVI *tutum hunc potuit, felix, appellere portum;*
*Hunc nisi prospiciat naufraga puppis eat.*

## Eiusdem.

*Pes liber Cererem, dabit idem obsonia vinctus,*
ECQVIS *non tantam quærat habere dapem?*

## Eiusdem.

*Titan Iustitiæ* CHRISTVS, *ventosaq. nubes*
*Crimina, quid lacrimæ? sunt velut imber aquæ*
*Sugitur hæc sursum (Phœbi est vis magna caloris)*
*Impluit hinc veniæ lympha beata tuæ.*
*Hùc miser accurrat noxarum fasce grauatus,*
SVB *Ioue quàm felix, quem lauat hæc pluuia.*

Fabij

### Fabij Leonidæ.

*Quæ lacrimæ? Maria: quod circum funus? IESV;*
*Hoc illum saxa quis tumulauit? Amor.*
*Felices lacrimæ, felicia funera, felix*
*Vrna, quibus licuit sic decorare Deum.*

### Ignatij Braccij.

*Quid coma, quidve iuuant oculi me? non habet, heu heu,*
*Iàm coma, quos tergat; quos riget vnda pedes.*
*Arida cum lacrumis amittite lumina lucem,*
*Et coma de tota vertice vana cade.*
*Quin sic state comæ; atque immotæ sistite luces,*
*Maximus attonitam nam facit esse dolor.*

---

## Herodias.



Ristobuli filiam Herodiadem, magni Herodis neptem, Herodis Agrippæ sororem, Philippi vxorem, adulteram sibi Herodes Antipa Tetrarcha, primiq; Herodis filius adsciuit, & è fratris lecto, eiusdemq. sinu raptam, Romam profectus, incestuosæ libidinis exemplar in perfida ipsius fide ostẽtauit. Fraternæ ipse violat honestatis iura; Coniugis illa thorum, decore neglecto, sternit turpitudine. Hinc iustum, debitumq. odium Philippi, Agrippæ, & Arethæ Regis, cuius primo loco filia ei nuptum tradita fuerat. Hinc Ioannis sanctißimi viri increpatio, qui obscœna eorum contubernia perferre nequibat. Sed vox clàmantis in deserto. Quid enim de honoris dignitate cum eo ageret, qui omnem pudorem deseruerat? Qui à ciuili cultu abhorrens, immanis fera inter impudicitiæ vepres ac dumeta commorabatur? In Herodiadis venustate, & lenocinijs desertus, pro nihilò gloriam putabat, omniumq. dicta, tùm Ioannis auctoritatem contemptui habebat. 23

Dùm

Dùm verò illecebræ ſtimulis amoris mentem concitant; omnes eiam in Ioannes cogitationes cruentant. Pungit, foditq. libidinoſa mulier, & currit veſanus ad glorioſiſsimi viri interitum. Qui eo ſcelere paratur; vt in menſæ conquiſitiſsimis epulis, ad citharædorum cantum, Herodiadis filia, quæ communia cum matre ſcelera habebat, Caput Ioannis muneris loco expeteret. Natalitium Regis intempeſtiuum concelebratur conuiuium Lapitharum & Centaurorum conuiuio luctuoſius; maximis ibi miniſtratur poculis; ferculatum inſtituuntur pompæ; Accumbunt; ſymphonia, & cymbalis domus perſonat. amœni Ioci, & deliciarum comes ſaltatio exquiritur. En, mollis & ſoluta in geſtu ſaltatrix in medium exilit;talario ludo,motus varietate delectat; ſaltat, inquàm, & placet. Regio munere optat cohoneſtari, & mater Erynnis precatur, atque contendit. Quæ petis? Quæ poſcis dona? Nefandum; In tenebricoſa potius popina,Euangelij Caput poſtulans, in quo Apoſtolorum voces exaudiebantur, & Prophetarum ſilentia conticuere,mortem Præcurſoris lugere non vetat.Ianitor ipſe carceris Herodes,ipſeq. Lictor,& Carnufex, auguſtiſsimum Caput, à ſacrilego Carnifice reuulſum Herodiadi traditum, in gremio ſuarum voluptatum ſepultum potuit contueri; nec in tanto occaſu occidit? Dimidium regni pollicitus fuerat. Quantò locupletiùs hoc promiſsionis monumentum? Qui dimidium ſe daturum dixerat, totum præbet, cùm Ioannis Caput donat,qui antè CHRISTVM Angelus miſſus fuerat ad parandam viam, ad prædicandam pœnitentiam in remiſsionem peccatorum.Et licèt in dimidio ſuæ vitæ itinere Agnum Dei potuiſſet gentibus manifeſtare, totum tamen ſic exprimitur,vt omnis vallis impleatur, omnis mons humilietur,& omnis caro videat ſalutare Dei. Lugdunum à Cæſare in exilium miſſi, miſeriarum vitam refertam tranſegere.


## Pinti.

*Quo te inſana trahit Venus? fatentem*
*Sic verum inſequeris virum, camelum*
*Intexta tunicą pilis amictum?*

*Huius*

*Huius ne iubeas caput reuelli,*
*O Herodias effera o Leæna,*
*Detestabilis o libido. Regis*
*Affinis ne tibi esse concubinæ*
*Herodis licet? hocce nunciari*
*Tantum displicuit nefas? SCELESTIS*
*Tam res sunt mala dicta Veritatis?*
*Vel vites choreas, dapesq; festas,*
*Vel ne veridicum Dei Propheten*
*Tangas. Gorgoneæ comæ Medusæ,*
*Ne fiant lapides tui videntes.*
*Perseus contra ego, dira, te fuissem.*

## Viduæ Naim, & Sareptana.



NEc rore, nec pluuia terra maduerat, cùm Elias 24 25
Thesbites contrà Orientem profectus, in torrente Carith ad Iordanem latuit coruorum solertia pastus. Victuq. prorsus carebat cùm ad Sareptæ portam à vidua ligna colligente, panem & aquam exposcit. Quid autem offerret misera, quæ pugillum tantum farinæ in hydria, paululumq. olei habebat in lecytho? Quin cùm ea dona Propheta elargitus esset, atque effecisset, vt nec farina, nec oleum deficeret, donec pluuiã Dominus super terram esset immissurus, dolentiùs aliud malum conquesta est, quandò eius aduentu filius ad interitũ ægrotabat. Attulit illum in cœnaculum, collocauit in lectulo, tribusq. vicibus mensus, viuum tradidit matri. At quidem in vellus iam ros descenderat, multisq. gratiarum pluuijs terram virescentem perenni fœcunditate cœlum rigauerat, cum Saluator torrentis Cedron aquas potaturus, ex Diuinitatis Oriente ad Humanitatis occasum profectus, antequàm doloris pane à Iudæis cibaretur, ad Naim portam accedens, vnici filij obitu afflictæ Viduæ fit obuiam. Sed quàm diuersa sorte? Colligebat illa ligna, cùm

Prophetarum vaticinijs Crucis insigne parabatur; Hæc feretrum ornauerat, cùm in ea Crucifixus esset resurrecturus. Illa, ad Sareptam, inter Oraculorum angustias; Hæc ad Naim ad veritatis Euangelicæ venustatem, atque candorem. Ambo tamen in porta; altera enim Hebræorum egressum, altera Gentium ingressum significabat. Carebat Sarepta pane, Verbo carens; & carebat aqua, Baptismatis fonte non scaturiente, quorum altero Nauem institoris plenam; alterã vberrimè è lateris fluuio emanantem Gentilitas cognouit. Felicissima idcircò Vidua, cuius mortuo filio Vita vitam restituit; quæ mortis triumphatorem tanto miraculo venerata est; quæ non lecythum, sed misericordiæ pectus oleo plenum laudat; cùm CHRISTVS vt Saluator accedit, vt omnipotens tangit, vt consolator luctum depellit, vt Dominus morti imperat, vt omnium bonorum dispensator, adolescentem qui resedit matri libentissimè donat. Quid elementorum pugna in humano corpore timenda est, vbi rerum omnium creator corpus tabefactum reuiuiscere iubebit? Quò quatuor hi portatores ruent, dùm ad potentiam manifestandam æternus Motor occurrit? Quis verò corporum resurrectionem moliebatur præter illum qui innocens accessit ad pœnam, volens mortem tetigit ad gloriã, obediens passionis fletu, Paradisi voluptatem parauit ad æternitatem; imbellis dùm viator esset imperitauit morti, vt tenebrarum principem confunderet; reseditq. tandem, vt quam tulit ex carne, diabolo, morteq. victoriam confirmaret? Quem vides Vidua? Quo cum sermonem habes? Quis est qui potestatis, ac misericordiæ suæ munera tàm liberaliter tecum exercet? Salutare omnium votis expetitum vltrò ad te venit. Manus quam ex alto optauerant, te præsente loculum tangit, quæ amplissimos cœlorum ambitus ludens in orbe terrarum fabricauit. Verbum, cuius sonitu fragores atque tonitrua edebantur in nubibus, cuius spiritu ad comburendum ignis è cœlo micabat; cuius nutu exercituum phalanges Angeli vnius gladio perimebantur; terra dehiscens, sæuientesq. feræ deuorabant; à sæuitia & terroribus recedens, tenui placidaq. obloquitur aura, animosq. formidine perterritos recreat, & quæ furore gesta fue-

runt,

runt, mite iàm denique & mansuetudine præclarum Redemptionis iure rescindit. Qui mortem tot modis intulerat, vt in diabolum animaduerteret, quem non puduit Veritatem mendacij arguere, cùm nequaquam morituros primos parentes dixisset, quibus mortem eorum creator minatus fuerat, nisi obtemperassent; iàm ipse omnium mortem subiens, omnibus etiam vitæ suæ dispendio vitam restituit.

## Pinti.

*In porta via làta manet, via lata in Olympum:*
*Est ibi mors iuuenum: vita ibi* IESVS *adest.*
*Altera flet genitrix, extinctum hic altera natum:*
*Naim hinc: Sarepta hinc femina clara Soli.*
*En rursus viuunt: Domino hic: hic viuit Eliæ,*
*Quos fleuit, viuos vtraque mater habet;*
*Vtraque iucundo luget viduata marito,*
*Visa Prophetarum lux & vtrique fuit.*
*Plorat, & hæc sperat: lacrimatam hanc spes tenet: ambæ*
*Obuiæ eunt Sanctis cum pietate viris.*
FERT *quid ab aduersis (viduæ) sors atra procellis?*
*Fidite, & hæ viduæ sint vt imago duæ.*

---

# Tabitha.



E rerum magnitudine, & de Christianorum gloria cum Sarepta, & Naim Ioppen contendere quis neget, in qua Apostolorum Princeps Tabitham extinctam ad vitam reuocauit? Quid Tabitha cunctas in sacra Historia mulieres æmularis? Meritò. Interitum filiorum luxere matres. Mortuam te cœnaculum excepit, tuiq. cadaueris fœtore omnibus infensam agnouit. Obruenda vermibus, aspergenda tabo, fœdanda cinere, sepulcri cærimonias expectabas; cùm ex Lydda reuocatus Petrus, in testimonij Petra nõ epitaphium 26

inscripsit, sed miraculorum CHRISTI memoriam renouauit. Atque ea, quæ Paulus in Damasco prædicauit, disceptauit in Ierusalem, in Cæsarea & Tharso gessit, dùm Sancti Spiritus consolatione in Iudæa, & Samaria ædificabatur Ecclesia, Petrus Ecclesiæ caput, hoc miraculo confirmauit. Iocundus homo qui miseretur & commodat. Opus illud maximum misericordiæ te ad vitam excitauit. Quid prætereà expetis? Aperis oculos, resedis, erigeris. Ergò mortua ob eleemosinam viuis? præsens auxilium experiris? gratiæ lumen vides? in miseria iacens resedis ad diuitias? amissis viribus destituta, diuinæ manus potentia robur acquiris? O felicem, quam pauperum lacrimæ & preces cohonestarunt, Apostolos habuisti patronos, eorumq. Principem vitæ datorem. Felicem, cui manus illa opem tulit, qua summi CHRISTI Vicarij potestas significabatur, quæ regnum cœlorum clauibus illustrissima effecta est, quæ thesaurorum Ecclesiæ promptuaria aperiens, omnes animas implet benedictione. Nihil maius Petro in orbe est. Nihil maius, quàm vitam à Petro eras consequutura.


## Pinti.

*Astant en Viduæ, te lacrumis petunt,*
*Regnata Andromedæ flet vrbs Ioppe,*
*Textrix cunctarum optuma.*
*Condi tabifico nescia puluere,*
*Tabitha, ad superas redi vocatá*
*Auras; te Petrus vocat.*
*Letho occumbere te non libuit Dei*
*Aequo consilio: reuiue: Surge*
*Contingat vox hæc mihi.*
QVI *delinquit, obit: viuida si salus*
*Extinctum adueniat, superna ab aula:*
*Infelix mors disperit.*



CLAV-

# CLAVDIO BLANDITIO
## REGIAE CAMERAE PRAESIDI.



NEFAS esset sacrarum mulierũ historiam prophanis intexere. Idcircò quæ commemorantur in Biblijs variorum mysteriorum reconditæ, alijs antecellere, ab alijs quoque secerni voluere. Fecimus id quidẽ; suaq. contineri maluimus aula, quàm in aliarum hospitium introduci. Eas Silentio dicauit Harpocrates, qui tacitus prætereundo tantùm admiratur. Aliarum encomia tibi examinanda propono. tibi (inquam) qui ingenio polles, studiorum varietate oblectaris, & in Regijs muneribus assuetus, in Imperatricum, & Reginarum præclarè & infeliciter gestis, veluti in Theatro, ad vitam, & interitum alienæ gloriæ, vicissitudines, & commutationes rerum intueris. Vale.



# Iulia Mammæa.

1 IMPERATRICES RELLIGIOSAE.



ELICISSIMO doctorum in Ecclesijs virorum sæculo, quo viuebant Beryllus Episcopus ad Bostram Arabiæ vrbem, Gorius, cuius disputatio extabat aduersus Proculum Cataphrygam, Alexander Hierosolymis, Hyppolitus, atque Zebenus, tùm præcipuè maximus ille Origenes, qui & Alexandriæ ad docendum à Demetrio Episcopo inuitatus fuerat, & Cesareæ, & in Antiochia, in omnibus disciplinis, & præsertim in sanctas scripturas commentarijs, quæ conscribenda fuit aggressus impellente Ambrosio, florentis & perspicacis ingenij specimen ediderat; Iulia Mammæa Alexandri Seueri Imperatoris mater, tantarum rerum quæ vulgò de hoc magno viro referebantur, desiderio accensa, rara quæ ad relligionem spectabant exoptans, Origenis (qui & Adamantius dicebatur) nomine & fama permota, quæ ad omnium Principum aures incredibilis peruenerat, cùm quæ ex Pantæno, & Heracla hausisset, quæ ex omnium Philosophorum scholis comparasset, ex Platone, Numenio, Chronio, Apollophane, Longino, Moderato, & Nicomacho didicisset, quæ ex Cheremone, & Phornuto fuerat assequutus, cum omnium admiratione maximo eloquentiæ flumine profunderet; nihil ardentiùs optauit, quàm Origenis præsentia & sermone perfrui; litteris, fide, prudentia à tanto viro institui. Misit ad eum milites, quorum comitatu Romam veniret. Vt obsecrent, vt supplicent, omniq. reuerentia recipiant,

iubet;

iubet; Origenem Imperio anteponendum exponit. Venit tandem; & præsentia quàm fama clarior, omnibus ritè peractis quæ Dei gloriam decebant, quæ firmandis in fide eorum animis cognouerat, Antiochiã rediit. Hæc tàm egregia, Mammæa, æmulta est? Tantum relligioni attulit adiumenti? Cum filio igitur extollatur, qui relligioni huiusmodi fuit addictus, vt rem diuinam matutinis horis, in loco vbi Lares erant, Diuorumq. Principum Imagines, non modò Apollonio, Orpheo, & huiusmodi numinibus, sed etiam CHRISTO, & Abrahamo faceret; & CHRISTO templum condidisset, nisi à sacra cõsulentibus esset prohibitus, qui Christianos indè omnes futuros prædicebant. Cur igitur in Alexandro pietatem, atque humanitatem admirabor, qua à cædibus, & crudelitate abhorrebat, vt neminem nisi iudicio damnatum perire passus fuerit, si à matre tàm pia procreatus optimi Principis simulacrum præseferebat? Barbaro atque impio sit animo Princeps necesse est, cui desit clementia, quam dotem dicunt Imperatorum. An fortasse Mammææ auaritiam accusabis, cuius causa deficientibus ad Maximinum militibus, cum filio in tabernaculo occisa fuit? Auara profectò habita est, & congerendæ pecuniæ adeò cupida, vt sordida fuerit existimata; sed à militibus. Quis ignorat hoc hominum genus, velle sibi à Principibus omnem sustantiam erogari? Prudentia hæc in Imperatrice erat, quæ ab alijs matribus neglecta, florentissimorum Regnorum attulit labem & calamitatem. Vario Genesio Martiano Syro nupta fuit.

## Pinti.

*Iulia quæ Mæsa genita es, genitrixq. Seueri,*
*Quæ augusto es Vario sanguine nupta Syro,*
*Pulcra fide, studijsq. tua per pulcra Mineruæ,*
*Spectandisq. tuis credita pulcra genis;*
*Vtraque mamma tibi probitatis lacte repleta est,*
*Vtraque pro eximijs mamma remuncta viris.*

Matilda.

# Matilda, vel Matildis.



Abuit in ea relligiosi animi constantia & firmitate cõsortem Agnes Matildem Malaspinam Henrici neptem, Gottifredi primùm, deinde Accij, vel Azonis Estensis vxorem, quæ multos annos in potentissimo Galliæ Cisalpinæ, & Etruriæ dominatu fuit. Hæc, plus quàm virilis pars etiam postularet, constanti obedientia, pro Romanorum Pontificum voluntate, pro Christianæ relligionis tutela, oneris & muneris suscipiens, cùm animaduerteret Gregorium VII. qui cognatione & affinitate Gottifredo deuinctus fuerat, velle ab Accio eam separari, maluit liberorum memoriam obliterare, & coniugij societatem dirimere, quàm non obsequi Pontificis desiderio; tantosq. vera pietate animos sumpsit, vt nec Cisalpinis omnibus Cadolo Antipapæ obtemperantibus, à vero Pontifice defecerit; & comparato exercitu ad Pontificiam dignitatem tuendam, cõtrà Robertum Guiscardum Apuliæ & Calabriæ Ducem acies protulerit, atque ea, quæ ad Romanã Ecclesiam spectabant, restituere coegerit. Nec ab ipso Henrico armis abstinuit, vt Saxonum iniurias, qui Clementem in Pontificatum erant collocaturi, à Gregorio propulsaret; qui tandem, ea deprecatrice, Henricum ad Canoscam agri Regiensis oppidum, Regali ornamento deposito, nudis pedibus veniam petentem, adiuuante Sabaudiensi Comite Adelao, & Cluniacensi Abbate, excommunicatione damnatum absoluit, & Ecclesiæ reconciliauit, pace iureiurando cõfirmata, & obedientia promissa. Nec transitus per Italiam libere patebat, cũ Gebehardus Constantiensis Episcopus occultiores Alpium semitas ingressus, Matildis opera ad Pontificẽ ductus est. Hæccine præclara & egregia facinora pro Dei Ecclesia, à Matilde gesta, inter optimos, & relligiosissimos Principes, qui res Ecclesiasticas, auctoritate, & munificentia auxerunt, nõ eam summo cum posteritatis honore

colloca-

collocarunt? Est ne illa Carolo Magno inferior? Quidve Magno Constantino cedet, quæ humilitate obtemperat, robore defendit, liberalitate donat? Quæ suæ ditionis Romanam Ecclesiam tanta amplitudine heredem instituit, hæc verbis; *Ego Matilda Dei gratia Comitissa, pro remedio animæ meæ, & parentum meorum, dedi, & obtuli Ecclesiæ S. Petri, per interuentum Domini Gregorij Papæ Septimi, omnia bona mea iure proprietario, tàm ea quæ tunc habueram, quàm ea quæ in anteà acquisitura eram, siue iure successionis, siue aliquo quocunque iure ad me pertinentia, omnia Romanæ Ecclesiæ dedi, & tradidi*; vt adhuc ea hereditas, B. Petri patrimonium dicatur, eiusq. gloriæ nomẽ in perpetuum ad Matildis nominis gloriam sit duraturum? Quæ ciuilem gubernandis populis administrationem, rerum bellicarum artes, & pietatis monumẽta huiuscemodi coniunxit, vt à Dante Alighe-rio, veluti Actiuæ vitæ simulacrum in suo poetico Paradiso terrestri, fuerit collocata? Habeat suos Mantua honores, insignibus illustrissimis ornata in media Italia sedeat, suorum Ducum, tùm in primis Vincentij Gonzagæ perenni fama toto orbe vigeat; hoc tamen habeat gloriosiùs, quòd tantæ mulieris ossa intrà sua mœnia seruat. Eius gesta à Domnizone rudi eius ætatis scriptore sunt exarata. Obijt anno 1115.

## Auctoris.

*Pro tumulo septem surgant ad sidera Colles,*
*Et sint ætheræ lumina clara faces.*
*Ipsaq. perpetuum celebret lacrimabile funus,*
*Roma genis laceris, languida scissa comas.*
*Suspirent Thermæ, fundantq. Theatra querelas,*
*Et det pro lacrimis Tybris amarus aquas.*
*Tùm magnum decus Italiæ, tùm gloria Regni*
*Iàm cum Matilda depereunte cadit.*

Saluator eidē fixus fuerat, quorum vno pro galeæ amuleto vſus eſt, alium equi loris affixit, tertium ad maximam tempeſtatem ſedandam, in mare proiecit. Cœlorum alij ſummis laboribus perquirant gyros, alij ſyderum curſus diuturna obſeruantia patefaciant; nec deſinant alii abſtruſas rerum cauſas, abditiſsimas terræ venas, metallorum, lapidum, herbarumq. virtutes perſcrutari. Nouos alij tētent orbes, & dùm ad nouas inſulas permeant, in Oceani vaſtitate, & remotiſsimorum littorum ſinubus, nauticis periculis, & ſudoribus famam ſibi perennem quærant. Sat fuerit Helenæ maximæ Imperatrici, poſt victoriam contrà Maxentium, ſigno Crucis in cœlo accepto, à filio partam, in ſomnis monitæ, Hieroſolymam fuiſſe profectam, ſublatiſq. Veneris, Adonidis, ac Iouis ſimulacris, quæ in Caluario, ad Præſepe, & in loco, in quo CHRISTVS reſurrexit Etnici poſuerant, non fabularum illuſiones, ſed verum humanæ ſalutis teſtimonium, non ligna quibus Hercules ſacerdotes ad ſacrificiorū ritus præfecerat, ſed lignum in quo Sacerdos æternus pependit; quod in amaras aquas immiſſum, cuncta dulcedine perfudit, tanta cum eius Imperij maieſtate propalaſſe. Accedat ad Salomonis thronum Saba; quæ ſciet? Accedat ad Crucem Helena; quid ignorabit? Nec in triumphis militum clamor, aut tota illa oppidorum, auri, & argenti pompa tanti habendam eſſe cenſeo, quanti in marmoreis vbique cippis, ac monumentis, piiſsimæ, ac venerabilis tituli, quibus ab omnibus ferè populis Helena eſt decorata.

## Ferdinandi Celentani S. I.

*Pectore quod toto cælum complexa, Deumq.*
*Eruis, & ſumma ponis in arce Crucem;*
*Hoc mirum reor eſſe magis: quòd prima, quòd vna, &*
*Femina, quòd Reges tàm noua iura doces.*
*Aſpera quòd bellis, & claris aucta trophæis,*
*Omine non læto Romula regna notas.*
*Ipſa quòd & ſceptris genitrix aſſueta maritis,*
*In longam ſeriem ſanguinis iſta trabis.*

H 2 Quid

*Quid rear? est magnum Reges genuisse triumphis,*
*Est maius Romam supposuisse Cruci.*

Pinti.

*Ingens Christiadum militiæ decus,*
*O Constantini mater, & vxor*
*Constantini, Argiuis lumen in oris,*
*Quin nostra Italiæ maxima lampas;*
*Inuenta Cruce, ibi signo & Adonidis*
*Per te perculso, per iuga montis*
*Is, Iudæorum effreni impetus ira*
*Quo in* IESVM *exacuit sacrilega arma.*
*Constans imperio, nomine coniugis*
*Constans, & constans nomine nati,*
*Constans fortunarum es robore, sancta*
*Vexillo Crucis o quam mage constans.*

Eiusdem.

*Rex Meroës, reliqui Reges cum lumine lumen*
*Inuenere, Helene tu Cruce, Diua, Crucem.*
*Et Crucis, & Lucis, Iouis est in parte, figura:*
*Bethleem aspecta hæc; illa super Solymam.*
*Hic quid multa feram, quæ sunt, discrimina?* FELIX
*Qui colit hinc Lucem, qui ferat inde Crucem.*

## Irene.



DIuini cultus dignitatem, & Saluatoris nostri de antiqui hostis perfidia insignem victoriam, Helena in Crucis imagine extulit; sed non eadem in aliquot Græcis Imperatoribus extitit relligiosi animi magnitudo. Copronymus enim sic dictus Constantinus VI. quod infans Baptismi lauacro admotus, media cerimonia sacrum fontem ventris solutione fœdauit, quapropter Germanus Constantinopolitanus

Patriarcha hunc puerum omnia cõtaminaturum præſagiuit, poſt patris Leonis III. Iſauri (Iconomachus ob eam impieratem dictus) obitum regnans, ſortilegijs, dæmonum inuocationibus, omnibuſq. ſceleribus inuolutus, ſacrilegus effectus, vt nec Græcus, nec Hebræus, nec Chriſtianus eſſet, tantum à ſacrarum Imaginũ reuerentia abhorruit, vt ad eas abolendas Concilium cõuocarit, cui ſub Stephano Pontifice, Lateranenſi Synodo fuit abrogatũ. Venerem ille colebat, & humanas immolabat hoſtias, Flauijq. puer teſtimonio eſt, quem occultè ſacrificatum Deus manifeſtauit, quamobrem S. Mauræ ædem in carnificinam commutauit. Eius veſtigia Leo IIII. ſequutus eſt. Prodijtq. è mari cruentiſſima illa beſtia Porphyrogenitus, qui mortuo patre, cum Irene matre Attica imperauit. Nullos ſingularis femina labores ſubterfugit, quò Imperium filio prudenter retineret. At ipſe cùm ex pubertate exceſſiſſet, matrem Imperio deiecit, omnia crudeliter ſubuertit, Imagines, patris exemplo, Sanctorumq. Relliquias contempſit, & conculcauit. Incredibilem in Irene proponimus in ſacrum cultum animi propenſionem. Cùm filius deceſſiſſet, quicum decem annos regnauerat, ciues in priſtinam dignitatem eã reſtituerunt, cuius opera veteri relligioni & pietati ſuus nitor eſt redditus, moduſq. adſcriptus quo ſacræ Imagines coli debuiſſent,

*Nam Deus eſt quod Imago docet; ſed non Deus ipſa.*
*Hanc videas: ſed mente colas quod cernis in ipſa.*

Neſcio verò quid maius in ea cernitur, cùm Conſtantini ſoceri corpus, Theodori monitu, publicè effoſſum cremari, & cineres in vndas proijci iuſsit, quemadmodum ipſe Sanctorum corpora iactauerat, nullam eius memoriam habendam exiſtimans, qui lerna malorum, & immitis fera eſſet iudicandus. Cedrenus ab ea filium oculorum vſu priuatum ſcribit, vt ſola imperium teneret; & Erythro (quam alij Ruthrudem nominant) Conſtantino in matrimonium dari petijſſe, Elyſeo Eunucho miſſo, qui puellam Græcis litteris, Græciq. Imperij moribus inſtitueret. Sed quòd filij auctoritatem Francorum affinitas potuiſſet augere, & tueri, imperandi libidine commotam, reſciſſo cum Francis pacto, puellam

lam ex Armenia, Marinam nomine, inuito filio duxisse. Hæc dominandi cupiditate ingens mulier habenda est. Nec impiam in filium dixerim, qui detestabilem inter Christianos viuendi rationem sectabatur. A Nicephoro Logotheta à Patricijs Imperatore electo, cùm animaduerterent Aetium Eunuchum meditari Leonem fratrem, Thraciæ, & Macedoniæ Præfectum, ad Regium honorem euehere, Lesbum relegata, dolore amisſi Imperij diem suum obijt.

## Pinti.

*Nùm tu pacifico nomine prænites,*
*IRENE, assiduè prælia quæ moues?*
*Quæ praui soceri vstos*
*Nare alto cineres iubes?*
*Ex te quæ genitum (sola an vt imperes?)*
*Caro orbas oculi sidere? id est genus*
*Pacis? pacifera es, dùm*
*Isthæc pacis amore agis.*
*Hostes dùm Fidei projcis horridos,*
*Dùm consanguineos vlta tuos, pias*
*Effers Christiadum aras,*
*Pro cultu superi Dei.*
*Hùc (maiora meres) conuocet hùc lyras*
*Phœbus laurigeri Pieridum chori:*
*Irenes tibi cedant,*
*Irene, quot erunt pares.*


## Portarelli.

*Quis meritis vnquam te laudibus æquet Olympo,*
*Irene, inuicta quæ pectoris arce, superbos*
*Oppugnas animos, sperniſq; animosa Tyrannos,*
*Qui furijs acti, contempto & numine, Diuum*
*Templisq;, arisq; affigi simulacra vetabant?*
*Hæc cultus adamans, Adamas vt fortis, adoras:*

Hæ

*Hæc iugi Christi cultrix pietate tueris.*
*Gens nomen, Augusta, tuum, quæ Musa silebit?*
*Illud at in totis fuerit memorabile terris,*
*Et cunctis illud fuerit cantabile Musis,*
*Dùm circùm radijs Phœbus lustrabit Araxem.*

# Eudocia.



Claruit hæc relligione, & vtriusque Fortunæ experientia. Athenais primò dicta fuerat; 5 Leontij cuiusdam Atheniensis Philosophi filia. Duos pater filios opum heredes obiturus reliquit; suæ ipsius eam venustatis heredem instituit, qua sibi diuitias comparaturã non verebatur. A fratribus, quibus litem intulerat, pulsa, Constantinopolim profecta, suorum contumelias futuræ magnitudini viam sibi aperuisse cognouit. Cùm enim Pulcheriæ Theodosij Imperatoris sorori se commendasset, ingenio quo pollebat gratiam aucupata, in aulam sacro priùs Baptismate abluta libentissimè recepta est. Nomen in Eudociam commutauit, tantaq. eam beneuolentia complexa est, vt fratri coniugem desponderet. Quàm feliciter afflicta mulier ascenderat? Sed amoris suspicio eam deturbat. Prægrande pomum Imperator dono acceptum, vxori blandiens misit, quod illa Paulino docto viro dedit (adeò enim ipsa erudita fuit vt poemata de Arcadij, & viri victorijs scripserit) nihil minus, quã de lasciuia cogitans. Paulinus, qđ Regio munere pomum dignũ videbatur, Theodosio obtulit. Subitò occulti amoris suspicio irrepsit. Accusare tacitus vxorẽ, ambigere amoris vesania amantes esse correptos. Sed vt veritatem eliceret, ab vxore pomum petit. Edisse, facti ignara mulier, dicit. Denuò coniux repetit. At illa iureiurando edisse affirmauit. Quid faceret suspiciosus Imperator mendacio offensus? Paulinum necat. Eudociam abdicatam relegat. Quàm iniustè Paulinus perit? Quàm fortiter casum Eudocia pertulit? Hierosolymam se contulit. Indè fortasse à viro euocata est.

Legimus

Legimus enim, cùm ditissimam Sanctorum thesauris eam vrbem reperisset, & ijsdem Romam locupletare desiderasset, Prothomartyris indè Stephani relliquias artulisse, atque duas illas Catenas, quas è Petri Apostolorum Principis manibus Angelus disiecerat. Quibus cùm tertiam quoque addidisset, qua Romæ Petrus vinctus fuerat, triadem illam composuit (vt Sigeberti verbis vtar) qua non modo Etnicorum corda deuinciret, sed annuente Romano Pontifice, dùm festum Petro in Vinculis institueret, quandò gentilitio ritu Romanus populus Augusto sollemnia celebrabat ob victoriam, quam de Antonio bello Actiaco reportauerat. Pronior ad Romam amplificandam fuit, quàm Eudoxia, quæ Valentiniano III. Occidentis Imperatori nupta, quòd maritus ipsa inscia Maximi insidijs occisus fuerat, quòdq. id ex eodem Maximo cognoscens, Gensericum ex Africa accersiuit, qui Romam cum ingenti exercitu diripuisset, nisi Leonis Pontificis precibus flexus esset. Accessit ad eam pietate Eudoxia III. Honorico Genserici filio collocata, quæ ab Arriana secta abhorrens cui coniux addictus fuerat, Constantinopolim, indè Hierosolymam profecta, lacrimis & precibus honestissima traducta vita interijt.

## Pinti.

*Pulcheria quæ, pulcra nimis quæ iussibus hæret,*
*Fratribus exhæres dùm male pulsa domo est?*
*Suspiciosa viri quam falsò docta relegat*
*Ira sui? Solymam quam subijsse feres?*
*Millenos fudit quæ casta Poëtria versus,*
*Quales, Phœbe, lyris commodulare tuis?*
*Quæ pietatis opes,* CHRISTI *quæ vexit honores?*
*Quæ tua, Petre, vrbi ferrea vincla tulit?*
*Vrbis visuntur rursus cui mœnia Thracæ?*
*Regia cui Salomon, dum fugit ora viri?*
*Quæ hic totos patitur lacrimis traducere soles?*
*Quæ videt extremum sat lacrimata diem?*
*Omnibus aduersis mentem, rebusq. secundis,*
*Quæ seruare æquam, nos docet Eudocia.*

Agnes.

# Agnes.



Iliùs Imperatoriam dignitatem, quæ Ecclesiasticæ obseruantiæ ornamentis careret, Agnes æstimauit; atque triplicem illam eminentioris tituli coronam, quæ fulgentibus gemmis illuminata, summo Christianæ Reipublicæ Hierarchæ Angelorum preconio imposita est, cunctorum Regum, ac Principum maiestatem sibi subijcere optimè nouit. Quapropter, cùm Cisalpini Episcopi, Alexandri II. Pontificatum, qui Nicolao successerat, pestifero schismate perturbantes, Cadolum Parmensem Episcopum habito Concilio Pontificem crearunt, idq. Henricus III. Agnetis filius, Giberto potentissimo viro instigatore, permisisse videretur, vt simoniacè cõferret Episcopatus, eorundem beneficijs abuteretur, insatiabili auaritia orbem terrarum perderet; doluit eminentissima mulier huiuscemodi nequitiam filium tolerare, qua intemeranda Sedis Apostolicæ iura violari apertissimè cognoscebat; vt sacris Canonibus acquiesceret, contendit; grauissimo crimine, arguit; communi fidelium vituperatione reprehendit; esse Romanæ auctoritati parendum, reclamauit. Quæ cùm duriùs Henricus accepisset, ab administratione, veluti illata ignominia repulit. Sed quàm splendidè in eius pectore Relligionis pietas eluxit? Non ægrè Imperio caruit; & faciliùs filij contumelias sustinuit, quàm à Catholica opinione discessit. Audierat siquidem à Pontificia excommunicatione dignum esse, vt dignitate careret, qui maiestatem Ecclesiæ imminuere conatur. Vtq. se Romanæ Sedi deditissimam praeberet, Romam venit, ibiq. votiua ferè habitatione sanctissimè aliquot annos commorata, honestissima vita producta, nurus, vxor, mater Imperatorum, quæ Henricum II. Conradi filium coniugem, & hunc Henricum tertium filium habuit, sub Gregorio VII. decessit, & in D. Petri sepulta est. 6

## Pinti.

*Si te Tybris habet, cupias si templa Deorum,*
*Et Capitolini cernere saxa tholi:*
*Cur te non studium capiet monumenta videndi,*
*Hospes, vbi Agnetis membra sepulta iacent?*
*Cum te hùc forte feres, hæc figes dicta sepulcro,*
*Dicta, illi modulans quæ mea Musa dedit;*
*Inclytus Agnetis decor hic, quæ maxima nato*
*Tutelam ob fidei facta inimica suo est.*
*Hæc summi pro sede Patris, gemmasq; coronasq;*
*Ostri Sidonij nil habet esse decus.*
*Hæc olim eluxit fulgenti veste pyropo,*
*Dein luxit genito permale visa suo.*
*Vtrum horum fuerit maius, fortasse requires.*
PRO, FLERE, *hoc maius, relligione putes.*

---

## Galla Placidia.

7 ROMAE SERVATRICES.



Erpebat in Italia infinitum malum, & latiùs in dies manabat, cùm extincto Alarico Gotthorū Rege, quem Consentiæ superbissimis exequijs sepelierant, quandò auerso Bisenti fluminis alueo huiusmodi inter thesauros condidere, vt occisis omnibus, qui interfuerant, nulla posteris eius sepulturæ memoria reliqua esset; Ataulfus successor Romanæ vrbis bustum, atque cadauer crudelitatis rogo impositum, ciuilis discordiæ flamma consumere, atque in cinerem redigere studebat, vt Romani nominis dignitatem, quæ omnibus gentibus Laurea, fascibus, & secure fuerat formidolosa, omninò aboleret, atque extingueret, nouamq. vrbem Gotthiam appellandam ædificaret in illo solo, in quo non Cæsarum, non Augustorum, non Consulum, aut maximorum Ducum, sed Ataulforum vestigia apparerent, nomina in lapidibus incisa, quæ Romanam eloquentiam

quentiam redolebant, barbarica lue inficerentur,& lorica sordidis vinculis mancipata, illustria Quiritium trophœa deturparet. Debet fortasse Roma magis Romulo conditori, Augustis restauratoribus, quàm Gallæ Placidiæ eius relliquiarum, nominisq. tùm Vaticani splendoris, sanctissimiq. Senatus Comitiorũ conseruatrici? Columnæ quæ delubra, & porticus sustinuere, etsi deiectæ,& violatæ, Famam Placidiæ,non Praxitelis, sed Aeternitatis opere perfectam sustineant; atque in fornicibus, & Foro, non marmorea, sed aurea quoque eius collocentur signa; operumq. publicorũ apparatus ornetur Galla, nec statuæ cum præclaris inscriptionibus alteri decernantur. Huius admirabilis beneficio stat Capitolium, Romana gleba seritur, lapidumq. fragmenta cernuntur, quæ an ad interitum proijcienda essent, arroganter ad arbitrium suum ferus Romanæ Maiestatis hostis reuo cauerat. Artificem sceleris anhelantem ex infimo pectore sæuitiam (quid enim crudeliùs, quàm labefactatum Imperij simulacrum,in quo omnium Imperiorum honos relinquebatur,ex omnium mente, & oculis remouere?) Placidia placidè sedauit; atque ab immani facinore deduxit. Neque consumptos istos quibus obsita es pannos Roma haberes;In grassatorem enim incideras, qui auidiùs te spoliasset. Quid? Eius amoribus,quippè amabatur perditè à coniuge, viuis. Sis idcircò Romano Imperio gloriosior. An verò hac de causa non augustior euasisti,quàm quòd ex Magno Theodosio, & Galla Valentini I. filia orta es? Quòd primùm Ataulfo in Foro Cornelij in matrimonium fuisti collocata? Quòd te volens,cum Honorio fratre pace pacta,Constantio secundo viro reddidit, qui in Hispania deindè à suis militibus occisus est, quòd tuis precibus Romæ excidium non attulisset? Quòd cum Valentiniano III. filio adhuc puero, interfecto à Romanis viro, à Rauennatibus triumphantis pompa excepta es, in ea vrbe Imperij sede constituta? Quòd Aquileiam cepisti Asparis auxilio, Castinũ in exilium pepulisti, Aëtio ignouisti,tantaq. prudentia,& magnanimitate gubernasti, vt heroicis tuis virtutibus nullæ potuissent æquari? Quid relligionem commemorem? ornatissimum D. Ioanni Euangelistæ


 marmo-

marmoreis columnis, insignibusq. lapidibus templum Rauennæ, aliaq. illustria Constantinopoli dicata testantur, vt Augustam pariter & sanctam esse habendam scriptores iudicarint. Rauennæ sub Leone Pontifice Romano primo decessit.

## Pinti.

*Viuite mira Deûm vestigia prisca Quirini:*
*Viuite felices arcus, domus alta Triumphi*
*Viue diu, sanctiq. viæ, legesve Senatus;*
*Vosq. ædes, quot quot sitis, sedesve Theatri*
*Viuite: Romanis, non Gothis surgite colles;*
*Et Gallam simulacra notent memoranda per orbem.*
*Gotthia næ stares alio, quàm nomine Romæ,*
*Flexisset placidis precibus ni Galla maritum.*
*Et tantum potuere preces, quas femina fudit?*
*Femina & vna viri domuit, sedauit & iram?*
*Tòtq. ore hostiles valuit compescere turmas?*

# Fadilla Commodi soror.



Ebulones, terræq. filios, à quibus facetè eluduntur Imperatores, & qui tãtum vini exhauriunt, vt in eorum conspectu vomant, dùm & rebus gerendis, & ipsorummet vitæ imprudẽter præficiuntur, in seruitute hospitium & consuetudinem, & in beneuolentia Imperium flagitantes, Dominorum vitam, Reipublicæ ornamenta, suorum ingeniorum commendationem euertunt. Quid malum Cleandri arrogantia, qui Phryx genere publicè per præconem veniuit, & Imperatoriæ domus seruitio traditus, tantum sibi honoris comparauit, vt solus Commodi custodiam, militumq. præfecturam obtineret? Quam perditè honoribus abusus est? Vis nebulonis perfidiam? Auctus diuitijs, & fortunis locupletatus, Imperij spe stimulabatur, quamobrem grandem pecuniam cogendo frumento consumpsit,

ſumpſit, vt rerum neceſſariarum penuria laborantis exercitus voluntates ſibi adiungeret, dùm cariori annona repentè frumentum diuidere, & largiri valeret. Hinc cum inueterato odio, omnium quoque inuidiam ſic concitauit, vt nec de alio vſpiam, quàm de Cleandri potentia ſermo haberetur, & ad necem vndique eundem deſiderarent. Indulgebat aliquandò genio Commodus in ſuburbano, eòq. ſe Romani aliquot contulerant; cùm equites ex Imperatoris ædibus iuſſu Cleandri, inſcio Commodo, eruperunt, obuiam quemque vulnerantes. Tunc populus, qui illorum impetum inermis ſuſtinere non poterat, in vrbem, & in tecta ſe recepere, lapidibuſq. & tegulis ex tuto dimicantes, equitibus magnam cladem intulerant. Iuuit eorum audaciam peditum, qui in vrbe ſtationes habebant odium, quo equites habebant natura inuiſos, ex quo ciuili bello excitato, rem Romanã perdere cónabantur, niſi Fadilla natu maxima Commodi ſoror, ſumpta lugubri veſte, paſſo capillo lugens Imperatorem adijſſet, & ad pedes prouoluta, hæc dixiſſet; Quid iners Commode in deſidioſiſsimo ocio verſaris? In maximo nos eſſe periculo ignoras? Res Romanæ iàm ruit; & de populo Romano actum arbitror. Noſti Cleandrum? Noſti viliſſimum mancipium à te ad Principatum ferè euectum? Hunc primum inimicum habes; ab eodem quæ in barbaris timueras, expecta. Eius inſolentia cruentas turbas commouit, maximamq. omnium rerum confuſionem in vrbe concitauit. Ex ira, atque odio ad arma ventum eſt. Exercitum omnem populi furore interiturum non vereor; mox in teipſum, in noſipſos inflammandum effrænata, & præcipiti omnium voluntate præſagio. Quid ſedes? Cæde & ſanguine improbiſſimus homo ſcelus luat, qui cæde & ſanguine Romã repleuit; qui cædis, & ſanguinis auctor nobis eſt futurus. Vtq. animum fratris magis accenderet, veſtem quaſi Furia ſceleris vindex ſcidit, qua veluti ardẽtibus tædis perterritus, Cleandrum ad ſe acciri iubet, cui venienti caput amputauit, contoq. præfixum circumferri voluit, iucundum ſpectaculum populo præbiturus. Ecquando Principes Paraſitos deteſtabuntur? Ecquando infimi generis aulicis, ſeipſos, remq. familiarem tradere,

dere, exitiale, & calamitosum existimabunt? Heu quàm malè cõsulunt, quàm subdolè polypos imitantes, petras referunt; mox nigrũ versutiarum colorem fundentes, ità Regum mentẽ perturbãt, vt quid rerũ agant, vbi necessitas adfuerit, prorsus ignorent. Ablegent Principes homines à quibus diuenduntur, & quorum consilio iudices faciũt, quos fieri nõ oportet, & amouent à Republica, quos debent obtinere.

Pinti.

*Cæsar, Roma perit, COMMODE, Commode*
*En incompta comas te soror aduenit,*
*Palla & quæ fletum notet.*
*En hæc aggreditur te precibus citis:*
*En permœsta Rei fert pia publica*
*Verba, in præceps ne ruat.*
*Ex te commoditas, qui male commodas?*
*Ni ex te commoditas, dùm dape commoda*
*Liber, te cepit Venus.*
*Nonne audis Equitum quos strepitus dedit,*
*Turbas in populum quòt furor ebrius?*
*Vrbis sic clades placet?*
*Cæco saxa volant aëre, puluere*
*Præ denso auricomi non radij micant,*
*Bellans, clamans vndique.*
*Fusus plebicolæ per silicem it cruor:*
*Mersus, ciuis ait, Somno ità Commodus,*
*Quin isthæc exaudiat?*
*Hæc princeps tuus hæc intulit aulicùm,*
*Hæc Phryx ille minor seruitiùm, domi*
*Totius nostræ lues.*
*Sic Fadilla soror fatur, & excitus*
*Dictis hisce (magis cum sibi conscidit*
*Vestes Alecto altera)*
*Cæsar; caussa mali cum nece, clamitat:*
*Ibit, Phryx; mihi Phryx tanta ciet mala?*
*Huius da lictor caput.*

*Circum-*

*Circumlata suis indicat hoc sudes ;*
*Sedatur fremitus, pernicies abit.*
*Fadilla vrbi consulit.*
*O si hanc cuncta habeant ciuica feminam*
*Damna, hanc scurra habeant, parce mihi, modos,*
*Fadilla, hos paucos habe.*

# Martia Commodi concubina.



I vlla vnquam vniuersi Romani populi, omniumq. ordinum ad liberandam Rempub. conspiratio laudata est, eam potissimum eximia laude dignã censuere, qua Martia Commodi concubina ad publicam libertatem defendendam, & temulenti Imperatoris ebrietatem compescendam conspirauit. Saturnalibus, quod Festum anno ineunte lætissima celebritate, salutationibus, purpura, muneribus, missilibusq. nomismatibus Iano vetustissimo Italiæ Deo, at Saturno Romani dicarunt, non lætitiæ, sed cruoris, & amentiæ sacrificia parabat Commodus, quippè non ex ædibus, sed ex gladiatorio ludo, non eleganti Imperatorio vestitu, sed armatus inter gladiatorum agmina in Romani populi conspectum, prodire deliberauit. Quod consilium cùm Martia vt temerarium, & periculosum improbaret, reuersus ipse in cubiculum, in libello conscripsit, quos ea nocte occisioni destinarat, inter quos primi erant Martia, Lætus militum, Electusq. cubiculi præfectus (quibus etiam ea quæ facturus esset communicauerat) ingens deindè eorum numerus, qui in Senatu plurimum auctoritatis obtinebant, tùm senes omnes, & paterni amici, quorum censuræ eius flagitia subijci non patiebatur. Erat ipse interim in balneis; cùm puerulus sibi charus, idcircò Philocommodus appellatus, ludibundus, sumpto libello, quẽ suprà lectum reliquerat, in Martiam incidit. Hæc agnita Imperatoris manu, legendi cupidine illecta, vbi tàm funesta libello contineri animaduertit, in ea verba prorupit. MVLTORVM VITAE CONSVLENS.

Hæccine

Hæccine amoris præmia Commode? Ego ne illa cui loco vxoris habitæ, præter ignẽ omnes Augustæ honores tribuendos iussisti? Tu ne ille Amazonius, qui me in Amazone pictã, adeò dilexisti? Ità de te merui, quæ multos annos, & contumeliosum, & vino madentem, olentemq. pertulerim? Hoc laboris præmium? Hæc optimi consilij remuneratio est? Iàm videris. Electum accersiti Aegyptium genere, audacem hominem, qui stupri cum ea aliquandò fuerat notatus. Libellum legit, lectumq. obstupefactus, & perterritus mittit ad Lætum. Conueniunt, remq. veneno agere constituunt. Martia pocula miscere, atque offerre solita, se daturam pollicetur. Atque ita fit quidem. Redeunti enim è balneis, in quibus voluptatibus indulgendo sitim collegerat, poculum odoratissimo vino propinauit, ipseq. temerè interbibit. It cubitum, atque in soporem prolabitur. Mox cùm veneni vis ad stomachum insinuasset, oborta vertigine, vomitus consequutus est. Ac veriti coniurati, ne veneno quoque cum cibo eiecto ipse sese colligeret, omnesq. necandos imperaret, promissa pecunia Narcisso cuidam persuasere, vt ingressus Imperatorem iugularet; qui languentem veneno constricto gutture belluam, immaneq. mõstrum interficit; cùm interim Martiæ vitam tot viri, qui essent interficiendi acceptam retulerint. Quid salubre consilium reijcitur? Quid facinus perpetrandum stultè scripto publicatur? Quid scriptum inconsultò inter puerorum manus relinquitur? Quantùm hæc ineptia sæpenumero familijs attulit doloris, & detrimenti?

## Pinti.

*Faustinæ genite, & populis infauste Latinis,*
*Quæ tibi propinat Martia, vina fuge.*
*Martia delicium, mutata, Commode, mente,*
*Exitium est: omen Martia Martis habet.*

II.

*Commode, si Herculeo Roma cognomine gaudes,*
*Deianyra tuæ est Martia caussa necis.*
*Ast hæc maior erit: Calydonis, sanguine Nessi,*
*Sustulit Alciden, sustulit illa senem.*

Cum

*Cum Læto, infensum, conspirans Martia viru,*
*Te iuuenem, Cæsar, tollit ab imperio.*
*Roboris, Aetholis, monstrum cordata dolendum,*
*Delenda at scelerum Martia plura necat.*

I I I.

*Consilio Lætus, medicamine Martia pellex,*
*Narcissus diro me pugil ense premit.*
*Ganea cum scurris, vnguenta, popina, valeto*
*Mens mala, me, damini, depereunte, neci.*
*Martia, Narcissus, Lætus dent læta Triumphi:*
*Laurea sed victrix Martia prima tua est.*

---

# Fausta.



MAximiani Herculei Imperatoris vxor Maxima 10
Fausta Augusta, ea tantùm re gesta meruit lau- CONIVGIS
dari, quòd cum Mediolani post bellorum pa- AMANS.]
cem,quæ vndique pullulauerant adscitis in Imperium, Diocletiano, Galerio, Maximino, se abdicasset pater, viueretq. priuatus in amœnissimis Lucaniæ agris,& filio Maxẽtio à Prætorianis euecto,mori satius esse, quàm sibi viuere cogitantem facti pœnituisset, ad Vrbem accedere deliberauit, simulans in administranda Republica, se filio adiumento fore, sed militari seditione oppressus, nam Regnum affectare suspicabantur, id quod persæpè multis accidisse legimus,qui vel ambitionis stimulo, vel leuitatis socordia ea deserunt, quæ mox in aliorum contemptum adducti desiderare coguntur, ad Constantinum generum se in Galliam contulit. Tantaq. cupiditate ad Imperij fastigia denuò properabat, vt genero ipsi insidias parare turpe, & indecens non arbitrabatur; quas cùm cognouisset Fausta,marito detulit, paterq. Massiliæ captus,fractis laqueo ceruicibus,occubuit. Quid? Virtus hæc ne dicenda est? Vxoria fide præstare, vt paternum scelus,coniugis salute pœnas luat? Debebat natura patri; Debebat coniugio

viro. A patre ad virum abierat, quicum coniugali nexu coniuncta, in vnum conuenerant. Sed nec scelestus pater ferendus; in quem filij à diuina iustitia vindices armantur. Alioquin infausta Imperatrix, quæ priuignum Crispum sæpiùs ad libidinem tentatum, & constanter renuentem ad maritum detulit, ac si vim ipsi inferre voluisset, ad necem innocentissimum egit. Tragicè eam historiam doctissimis versibus explicauit Bernardinus Stephonius Iesuita, actione quidem admirabili, & spectatorum oculis valdè iucunda, laudatissimis veterum saltationum schematibus, vt conuersiones, flexusq. Chori, antiquæ Tragœdiæ imaginem expresserint. Post aliquot annos necis causa cognita Constantinus, infaustè vxorem in ardentes balneas coniectam interemit.

## Pinti.

*P. Regnandi videas sitim.*
*Collo vincla patris nata parit sui.*
FAVSTA *infausta patrem necat.*
*Creta est lethiferæ sanguine an Aspidis?*
*Non læsisse virum: est fides.*
*Auctorem generis velle sui: pium est.*
*Prauè tempus in vltimum,*
*(Quamquam barbarus est) ferre aliquem: est scelus.*
*Quid si morte parens cadat,*
*Dum cauta imperio filia pertimet?*
*Magna est vis auida, & fera*
*Vis est, inq. animo vipereum genus.*
*F. Tantum, ne in socium ruat*
*Casus, pello, tori, mota libidine*
*Haud regni. P. Vxor amet virum, at*
*Ne sit, præ thalamis, interitus patris.*
*F. Fausta (audi) soceri sui*
*Pandit dum insidias coniugis, haud videns,*
*Quæ ventura patri sient,*
*Non est impietas, connubij est amor.*

Romani

# Romani Argyropoli vxor.



Celeratiorem neminem Græcis Imperatoribus 11
legi Constantino Basilij fratre, qui non modò de Imperio ornando nunquam cogitauit, sed omnem etiam adhibuit diligentiam vt Rempublicam perderet, citharædis, ac ludionibus deditus, virtutis, & eorum contemptor, quos rebus benè gerendis nosset occupatos. Quid? Magistratus si quos alicuius existimationis haberet, de eorum statu deiectos excæcãdos curabat, plus habens stolidis, ridiculisq. hominibus fiduciæ, quàm ijs, qui prudentia, & grauitate gubernarent. Cùm tandem subito morbo correptus esset, & ad vasa colligenda à Morte inuitaretur, secum ipse deliberare cœpit, quem relinqueret Imperij successorem. Cùm verò ex multis accepisset facillimè Romanum Senatorem cognomento Argyropolum Imperio potiturum, ad se accersiuit, easq. proposuit conditiones; Vel diuortio legitimæ vxoris facto, Imperatoris filiæ nuberet, vel excæcatis oculis Imperator renunciaretur. Fluctuanti inter eas opiniones Romano, vxor verita, ne quid crudele marito accideret, eam opem tulit, vt resectis capillis, nouæ nuptæ eum concederet; quo facto, marito seruauit oculos, & Imperium est elargita. Nomine, te magnanima mulier nosse cuperem, vt quæ nobilissimo facinore explicando in medium protuli, immortali quoque nomini dicarem.

Pinti.

*Hæc Argyropoli socia est castissima lecti,*
*Coniugis ipsa salus;*
*Totus amor, totusq. metus, cultusq. mariti,*
*Extitit ipsa sui.*
*Cur Romane vides? latè cur subdita tota est*
*Terra tuo imperio?*
*Sic visum vxori est (eius sin nomina nosti)*
*Maxima Philanira est.*

# Pulcheria.



Is SAPIENTER GVBERNANS, ET CASTA

Ortuo Arcadio, Theodosius filius Pulcheriæ sorori, quæ virginitatem Deo vouerat, ingenio,& pietate eximiæ feminæ traditus est erudiendus. Moribus puerum, disciplina Imperium tanta felicitate instituit, vt sororem fratre administranda Republica aptiorem populi iudicarent. Idcircò In Eunuchorum inuidiam adducta, infeliciter Regno submota, in Hebdomon Byzantij suburbanum abdita,tranquillam vitam ducere deliberauit.Quid inquies? Stolidum natura effinxit Theodosium, & Aulici stolidiorẽ reddidere; quapropter nutare Imperium cœpit. Reuocata Pulcheria est,vt rem propè cadentem veluti firmissima columna fulciret. Quæ, vt fratrem erroris commoneret, libellum composuit, in quo Eudociam vxorem in seruitutem sibi mancipari petebat. Subscripsit illicò Theodosius, rem tamen propositam ignorabat. Sed Pulcheria Eudociam retinet. Ab Imperatore coniux accersitur. Memineris(inquit soror)iure à me Eudociam possideri, quam libenti animo, Regio nutu concessisti. Hem (ait Theodosius) vbi à me id concessum probaueris? En tibi libellum, respondit illa. Quod cùm legisset, obstupuit. Atqui scito Theodosi (inquit Pulcheria) libellorum commendationibus ità temerè te subscribere consueuisse,vt Eunuchorum,Aulicorumq. fraude, qui suis cupiditatibus facillimè tuo genio abutuntur, paucos post dies fuisset Imperium periturum. Discite ex Pulcheria Principes, sitq. vestri hoc honoris exemplum, ne Magistratuum fide nixi, absque mentis & oculorum lumine,in maximos errorum scopulos cum publicæ administrationis detrimento incidatis. Mortuo sine liberis Theodosio, ingruentibus Gothorum,& Vandalorum bellis,Marcianum plebeium virum,sed maximum Ducem per Anatolium Patriarcham, ad Imperium prouexit, & cum eo nuptias nomine tantùm,re ipsa virgo, celebrauit. Quid Pulcheria pulcriùs? Quid sanctiùs, quæ virginitatem

tem

tem seruauit illibatam? Hac de causa à Summo Pontifice Leone, & Hilario Episcopo plurimùm est laudata.

## Pinti.

*Pulcrum pulcra decent, Pulcheria, nomine pulcra es:*
*Pulcro pulcra ore es, doteq. pulcra animi.*
*Scriptis pulcra tuis: fratris tu pulcra Magistra;*
*Moribus & pulcra es legibus imperio.*
*Pulcra tuis thalamis, solo tu pulcra recessu,*
*Est tibi pulcra, velut lilia, Virginitas:.*
*Tu quoque pulcra manes, magnorum laude virorum,*
*Et numeris vatum tu quoque pulcra manes.*
*Cernite rem pulcram hanc, vos ò qui sceptra mouetis,*
*Pro digno huic surgat serto Amerina salix.*

---

# Dominica, vel Domnina.



ELuctuabat Gotthorum orbis tempestatibus, quæ præsertim in Thracia æstuãtes, Valentem Imperatorem mergere videbantur, in cuius for tasse scelera huiusmodi Deus animaduertebat, quippè Arrianam impietatem amplexus, Orthodoxos Episcopos in exilium egit, quos Gratianus Symbolum Nycenum veneratus, reuocauit; milites, qui malè cum Arrianis sentiebant virgis cædi, & monachos stipendia facere iussit. Quamobrem CHRISTI cultor, CHRISTI pariter osor, & contemptor habebatur. Repressurus Persas in Antiochiam exercitum duxit. Sed reuocatus in Thraciam, quòd Gotthi duce Fridigerno Constantinopolim oppugnabant, cum ijs ad Adrianopolim collatis signis, accepto sagittæ vulnere, ex equo decidit, & in proximum pastoris tugurium ductus, cum ipso tugurio ab hostibus insequẽtibus combustus est. Mox Gotthi obsidendæ Constantinopoli acriùs incubuere. Iámq. postre-

15 FORTIS, ET PVDICA.

ma vrbi clades parabatur, cùm vxor Dominina, vel Dominica, raræ pudicitiæ femina, & inter maximas Orientis Imperatrices collocanda (nisi gloriæ illud oberit, quòd ad sectandam hæresim virum impulit) non mulierem, sed virum, nec imbellem virum, sed summum Ducem se barbaris ostentans, cùm ciues verbis obsecrasset, muneribus conciliasset, pecunia ex publico ærario sumpta donasset, atque allexisset, tantam in omnibus vincendi alacritatem excitauit, vt totis quisque viribus repugnans, adscitis militibus, quos subsidio miserat Martia Sarracenorum Regina, quæ Romanis fauebat, vrbem tàm nobilem, ab Alanis, Gotthis, Hunnis vehementissimè obsessam liberarint; atque ità qui Imperatorem deuicere, ab Imperatrice deuicti è Thracia excesserũt.

## Pinti.


*O decus magnum radijs Eois*
*Sol vbi illucet, Dominina, latè in*
*Orbe cui rerum est onus, atque in arma ita*
*Fracta potestas.*
*Vrbis in Thraca vigilans nitorem,*
*(Gotthico, dextra valida, repulso*
*Milite) in lætum redigis triumphum,*
*Teq. tuosq.*
*Nomen haud coniux mereat Valentis,*
*Arrij infamis studio execrandi,*
*Impius qui Christiadum insecutor*
*Tela ministrat.*
*Bosphoro excurrat tibi Fama cantu,*
*Vir tuus tanto cadat, & Valentis*
*Sit tibi nomen: valeatq. pessum*
*Pessimus hostis.*
*Ignis hunc vrat stipulis receptum*
*Aridis parui tuguri, Getarum*
*Dum furor sæuit: Dominina, Thraca*
*Viue superstes.*

Faxit,

*Faxit, vt viuas, Deus, vt secunda*
*Perferos Thraces subigas phalange,*
*Nostro quo fiant ibi tecta cultu, &*
*Virginis ædes.*

---

# Messallina.



Collegam nefandi muneris lasciuissimis feminis Messallinam do, quæ in obeundis impudentia, sæuitia, omnibus flagitijs, multa paria edidit. In hoc sceleratior Messallina, quòd prostituto, & vulgato corpore, à Lanijs, à Balneatoribus, à quocunque obuiam ierat, vrgebatur. Palatium cum lupanari, aulam cum titulari cella commutauerat turpem, & infamem quemuis luxum explendæ libidini tribuens. Quid verò lupanar? In ipso Palatio mulieribus, virisq. inspectantibus scortabatur. Matrona itaque nobilissima scortum olens, & Imperatrix maxima, infelicissima Ambubaia facta est. Circuire obtecta pallio ciuitatem, viros ad libitum exposcere, fœmora & æra petere, nulla muliebris honestatis, nulla viri habita ratione. At quem virum nomino? Claudium Imperatorum fæcem; Claudium, qui ab Aethyope regebatur; Claudium hominē potius inchoatum, quàm à Natura absolutum. Quem Claudium? (hoc profectò admiratione dignum est) cui dicenti Messallinæ, vt Mnesterem Pantomimum ad quæcunque eius iussa adigeret, mox obsequutus iussit vt ea quæ vellet Imperatrix faceret, sic facturam timenti Principem Pantomimo pollicita erat; qui iàm indè in eius corporis scenam liberè saltauit. Miror cur non fecerit stolidam belluam Claudium spectatorem. Fecit cum altero non Pantomimo, sed florenti iuuene C. Silio, qui ab ea in delicijs habitus, Consul factus, alter maritus adscitus est. Ad Hostiam enim ipso decedente, nuptiæ cum Silio celebrantur, omnis pompa congeritur, Senatores, Equitesq. aduocantur, sternitur lectus, sollem-

14 LIBIDINOSAE.

nia peraguntur, nouaq. nupta in adulteri gremio recumbit, & tetra libidine furit. Et Claudius sciens viuit? Quid ni mortuo spiritu viuens? Liberti tandem animos dedere nouum imperium extimescentes, quorum consilio & opera Tragœdiam luctus occupauit, Messallina, & Silio è medio sublatis. Hoc debebatur præmium efferatæ mulieri, quàm ad necem tot nobilium cædes, & exilia vocabant. Quæ nam hæc impudentia? In viri complexu corruptelas, & incestus admittere? Nec adulteros per se fœditate sua turpitudinem ipsam deterrere? At nunquam mariti nimiam licentiam vxoribus indulgeant, nec ijsdem omissa grauitate virili succumbant, sed libertatem coniugalem prudentia coerceant. Ab deambulationibus ad choreas, cùm patet mulieribus aditus, spectacula indè petunt, mox balneas, mox etiam & licenter errant, & dissoluta consuetudine, atque impunitate peccandi, ex omni dignitate, & modestia vel ipsæ matronæ deijciuntur, fiuntq. Penelopes Helenæ.

## Iuuenalis.

*Respice riuales Diuorum; Claudius audi*
*Quæ tulerit. dormire virum cùm senserat vxor*
*Ausa Palatino tegetem præferre cubili,*
*Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,*
*Linquebat, comite ancilla non amplius vna:*
*Et nigrum flauo crinem abscondente galero,*
*Intrauit calidum veteri centone lupanar,*
*Et cellam vacuam, atque suam. tunc nuda papillis*
*Prostitit auratis, titulum mentita Lyciscæ,*
*Ostenditq. tuum generose Britannice ventrem:*
*Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit.*
*Et lassata viris, nec dùm satiata recessit.*

## Pinti.

*Messallina canant veteres tua facta Poëtæ,*
*Det veteri scorto Musa vetusta sonos.*
*Nec Veneres male fida tuas hoc carmine possem,*
*Nec male fœda tuos dinumerare procos.*

*Augustam*

*Augustam ne decet scertari? respuat os hanc,*
*Cuius ad exemplum ganea Fama replet.*
*Non mea, sed contra hanc, Iunij vos surgite falces,*
*Horrea & huic scelerum condite messe tenus.*

Francisci Balisterij Zanclæi.

*Ambubaiarum collegia flete: sepulcro hoc*
*Mortua adulterijs nec saturata iacet.*
*Hocne meum natale solum Messana dolebit,*
*Quod Messalina est nomine dicta suo?*
*Dic Messalinam Messalæ sanguine natam:*
*Non ita: Romana est magna vocanda Venus.*

---

# Agrippina.

Vgustis omnibus mulieribus gentis serie, atque 15
Imperij fastu Iulia Agrippina superioris Agrippinæ, & Germanici Cæsaris filia, Agrippæ neptis, Caligulæ soror, Domitij Aenobarbi vxor præstitit. Maximi animi mulier, quæ vel cum Astrologus prædixisset Neronem regnaturum, sed ab eo matrem esse necandam, *Me verò* (inquit) *occidat, dùm regnet*. Quapropter omnia quæ ad Principatum spectant administrauit, in eadem sæpenumerò lectica vehebantur; respondebat Legatis, litteras ipsa mittebat ad Reges. licèt omnem potentiam posteà Seneca & Burrus fuerint consequuti. Sed impudicitia mulierum generi antecelluit, non quòd Lepido stuprum puellari ætate admiserit; ad Pallantis libita se prouoluerit; patrui nuptiarum flagitio, & Caij fratris stupro fuerit notata; sed quòd extrà libidinis fines animũ, mentemq. promouerit, & cõceptam superbiam retinendo dominandi potentiam exerceret, Neronem filium ardere non erubuerit. Ebrietas Neronem sæpè incautum, & inscium efficiebat (quàm desideranda in Principe sobrietas?)

Tunc se comptam, & incesto paratam præbebat Agrippina, lasciuisq. osculis, flagitij prænuncijs filium lacessebat. Grauis idcircò Neroni facta, simul cum odio, necis desiderium, persuadente quoque Sabina, in iuuene concitauit. Veneno primùm perimendam, ferro deindè iugulandam statuens, vtrumque irritum cogitauit; nàm inter epulas, aliorum non expetebat exitium; & cædem ferro occultari non posse metuebat. Ingenio liberti Aniceti classis ad Misenum præfecti, qui mutuis odijs iamdiù Agrippinæ fuerat inuisus, nauis illi similis, quæ in theatro soluta belluas emittebat, composita est, cuius pars ignaram matrem fluctibus effunderet, quamobrem nemo sceleri esset assignaturus, quod venti, & mare deliquissent. Accersita ad Quinquatruum festos dies Agrippina, naui ad Baulos imposita est, noctu Baias petitura, comitante Aceronia liberta, & Crepereio Gallo, quibus facinus optimè cognitum erat. Iàm nauigabant, cùm dato signo, nauis tectum graue plumbo corruit, occiso Crepereio. Agrippinam, & Aceroniam protectas, naui in latus inclinata, remiges submergere conabantur. Alijs verò facti ignaris contrà nitentibus, ambo in mare leniter præcipitarunt. Clamantem Aceroniam, vt Principis matri (quam seipsam salutis causa faciebat) opem ferrent, remis, contisq. interfecere. Agrippina in tanto discrimine silens vno in humeris accepto vulnere, nando, lembi occursu, Lucrinum aduecta est. Cùmq. Agerinus saluam esse matrem Neroni nunciasset, ab eo percussus perijt. Submissi celeriter Anicetus, Herculeus, Oloaritus, qui in cubiculum irruentes, exanimatam metu Agrippinam fusti percussam occiderunt. Ferrum distringenti Aniceto, dixit, *Ventrem feri, quoniam Neronem peperit*. Atque ità incestuosi amoris Agrippina, proditionis Crepereius, & Aceronia, & matricidij Nero, qui furijs post eius mortem vexabatur, pœnas dederunt.

## Pinti.

*Præfecto Burro, Senecæve exosa Magistro*
*Nati, ipsi nato ter male visa tuo.*

*Eius*

*Eius & vxori nunquàm dilecta Sabinæ,*
*Nec cadis inuidijs, nec cadis insidijs.*
*Et casu, & viru toties tentata cauebas*
*Cauta necem, semper non ità cauta tibi.*
*Nam tandem, ad Baulos pinu conuecta: soluta hac,*
*Excidis, & nando stat tibi parta salus.*
*Falsa tuo genito, campo te rursus aquoso*
*Credis; & extremus cæca dat indè dies.*
*Districtum cernens ferrum, da vulnera clamas,*
*Non iugulum: ventrem, ventrem (Anicete) feri.*
*Hæc luat, hæc pœnas, hæc hauriat aluus acerbas,*
*Exijt vndè Nero, perferus vnde Nero.*
*Quàm melius percussorem (Agrippina) moneres:*
*Vndè incesta Venus prodijt, ense petas.*

Eiusdem.


*Vulua tibi, vrna tibi est, vtram magè reris olentem?*
*Vrna tuos cineres, vulua Nerona fouet.*
*Quid præferre queam? vulua est fœdissima, & vrna:*
*Nasi clude fores: spirat vtrinque lues.*

## Horatij Catanei I. C.

*Augustum angusto claudit te vase sepulcrum,*
*Matris Agrippinæ viscera vt antè, Nero,*
*Aluus, & vrna tibi fœda est: te crimine fœdo,*
*Luxurie genitrix quàm magè fœda sua est.*
*Smegmata ferte citi, latices haurite calentes:*
*His an erunt fœdis smegmata, & vnda satis?*



# Fauſtina.

16 
Vguſtarum hæc præclariſſima inter duos Antoninos, Pium alterũ patrem, Philoſophum alterum coniugem, tot honorum ſplendoribus claruit, vt vana Ethnicorum ſuperſtitione inter Diuas fuerit collocata. Patre quid humanius, quid liberalius, quidve grauius felicitatem, pietatem, ſecuritatem, ſacroſq. ritus Numæ conſequuto? Coniuge quid eruditius, quid in publicis negocijs tractandis ſolertius, quid in Senatu conſtituendo rectius? Inter duo hæc Romanæ Reip. Solſtitia Sol ipſa Fauſtina obſcuratis ceteris illuſtrium mulierum ſideribus, ad delicias orbis exoriens, moderatrix, atque Dux inſigni corporis pulcritudine, eloquentiæ ſuauitate, conſilij maturitate, morum diſciplinæ gloria, comitate, prudentia, dominandi deſiderio, ſed feruida laſciuiæ rota, motus, geſtus, intuitus concinnitate, colluxit. Emicabat profectò, Mater exercituum à Senatu appellata, Nomiſmatibus, argenteiſq. ſtatuis in templo Veneris culta, & ara ad quam Virgines, quæ nuberent in Vrbe, vnà cum ſponſis ſacrificarent, atque ità vt vel poſt mortem aurea eius ſella in Theatro eſſet, ſedentibus circùm veluti venerationis teſtimonio præſtantiſſimis matronis, vt ſi quandò Marcus ſpectaret, viuam crederet intueri, nouis puellis Fauſtinianis inſtitutis, æde decreta, oratione habita, Colonia extructa in vico Halale in Tauri montis radicibus, vbi ſubito morbo exanimata interierat. Quanta hæc honorum pompa? Cur debuit vitiorum tempeſtate turbari? Cur virtutum, generis, formæ, educationis lumen proſtituti pudoris infamia obſcuratur, & effunditur? Quò petulantiæ proruperat Fauſtina, quæ amœna littorum in Campania obſidens, rudos obſeruabat nautas, vt flagitijs delegeret aptiores? Eſt ne in meretricibus magis perditus ardor? Sileo Vettilos, Orphicos, Moderatios, & generum Marcum Verum, cui Lucillam filiam deſponderat. Quid ea vaſtitate inſatiabilis? An verò

alium,

alium, quàm Commodum Reipublicæ pestem in tàm fœda luxuria generasset? O infelicem virum, quo philosophante, lenocinia, adulteria, luxus vxor meditabatur. Optima viris philosophia est, vxorum arrogantiam, & immodestiam coercere, semper intrà coniugalis Imperij fines sese continentibus, cùm ipsæ quoque bestiæ duce sua quæque natura multa faciant vel cum labore, vel indulgenter; quas si effrænatas absque metu reliquerint, quàm facilè incitantur, & actæ præcipites in absconditæ cupiditatis abyssum deijciuntur? Caueant mariti, cum M. Antonino sentire, qui licèt ab omnibus vitijs abstinuerit, aliorum tamen vitia, maximè vxoris tulit, dùm ea nec inuestigaret curiosiùs, nec puniret. Si verò delectaris virorum socordia, animaduerte Marcum, cui cum Gladiatorem deperire Faustina impudenter, & liberè aperuisset, ipse consulto Caldæo, Gladiatoris eiusdem occisi sanguine coniugem lauari, atque sic sordidam secum concumbere passus est. Multos reor hoc tempore Marcos esse, qui ab huiusmodi vxoribus non abhorrent; multasq. vxores, quæ cum ineptos viros cognouerint, superbissimo eorum mancipium occupent dominatu.

## Alphonsi Massarij.

*Faustina arte Deos, superas & honore Quirites,*
*Et faustum à fausto nomine nomen habes.*
*Imperio tibi si licuit frænare superbos,*
*Cur non luxuriem mens agitata domat?*
*Non pudet? obsidione habuit te infausta libido,*
*Et gens deterior corruit in Venerem.*

## Pinti.

*Quid cusa hoc signet tibi rheda numismate cerne:*
*Vt steriles Mulæ pectora fœda vehunt.*
*Vt sterilis sterili veheris Faustina: pudoris*
*Pignora nulla paris: quid magè te sterile est?*

Cur

II.

*Cur exercituum mater, Faustina vocaris?*
*Sunt vbi Mauortis parta trophæa manu?*
*An lasciuorum potiùs, non mater amorum es?*
*Nonne hanc vxorem, Marce, fouere pudet?*

---

# Zoe, & Theodora.



17 18 VEl senectutem etiam libidinosam duxit Zoe Bizãtina Imperatrix, quæ septuagenaria nuptias celebrauit. Primum habuit virum Romanum IIII. nobilissimum, qui Græcarum litterarum, Legalium studiorum, Philosophiæ, & plurimarum rerum cognitione excellens, quinquagenarius Zoen duxit. Non opportunè ad eam accessit. iniuriosus enim fit senex, qui ardenti feminæ adiungitur. Vicit Sarracenos ad Cycladas, Græciæq. littoris oram prædonibus liberauit. Zoen vincere haud potuit, nam in eius impudicæ odium venit, quæ Michaelem Paphlagonem deperibat; qua de causa nec à viro veneno abstinuit, ex quo ingrauescente morbo, toto corpore intumuit. Sic miser affectus, cum balneum ingrederetur, adulteri insidijs, capite in dolium demersus, paulò post decessit. Sed Romano mortuo, Imperatoriæ amplitudinis oblita, Michaelem in Paphlagonia obscurissimis parentibus ortum, maritum sibi adsciuit, & Imperatorem appellauit, ab Alexio Patriarcha coronatum. Quid nostræ ætatis mulieres reprehendimus, quæ libidinem explendam vulgarium, & vilium hominum amplitudine consueuerunt? Hydrope correptus, Michaeli Calaphato (vide ad quos imperium peruenerit fœminarum lasciuia) in heredem instituto, in monasterium Anargyrorum se abdidit in Bizantij suburbio conditum. Progreditur vltrò petulantia, fitq. inueterata pudicitia insanior, & cum Constantino XI. Monomacho libidinoso viro coniuncta duodecim annos sancti matrimonij iura prophanauit. Pleuritis etiam huic viro ad corporis tumorē

accessit, eoq. morbo interijt. A Michaele Calaphato Regia veste exuta Zoe, & lacerna induta, in insulam relegata est; sed à proceribus reuocata regnauit cum Theodora sorore, quæ Orientis Imperium virili animo, defuncto Monomacho, assumpsit; respuitq. Romani Argyri nuptias, quòd priorem coniugem dimisisset. Senio confecta Michaelem II. Stratioticum cognominatum adoptauit, & Regni successorem elegit.

## Pinti.

*Vrbis Threÿciæ virago prudens,*
*Ne luge Theodora si sororem*
*Extinctam hoc tumulo vides amatam,*
*Qui cum vna populo imperans fuisti:*
*Zoe nam fuit huic opus liquores*
*Viuenti ex oculis scatere tristeis.*
*Deflenda est ne soror petulca Zoe?*
*Zoe dedita adulterorum amori?*
*Zoe venefica auferens marito*
*Vitam, induta mali, doliq. laena?*
*Non Zoe Imperio orta, sed calonum*
*Lasciuis operis. Cohors Lyæi,*
*Dux & Capripedum vigil cateruæ,*
*Duc circùm, choreas leues, sepulcrum;*
*Hoc imminge, tua est, tuis in hortis*
*Rector Lampsacide proterue, Zoe.*
*Zoe lustra dedit, situ vetusto,*
*Bis septem, & socium tori cupiuit.*
*Hæc nunquam satura in cibo salaci*
*Visa: hæc sordidior suum tabernis,*
*Spurca luxurie spuenda Zoe.*
*Zoen ne videas, gena pudenti*
*Latois, pede & hinc cito recede.*


Eiusdem.

Eiusdem.

*Augusto digna Imperio constantia, Zoe,*
*Est ne tibi, & viuens nomine vita tuo?*
*Constans esse nequit, qui omnes mutatur in horas,*
*Pectora non viuunt perdita luxuriæ.*

---

# Honoria.

19 Vid scelestius admittere potuit Honoria, quàm Italici nominis hostem, in quem nemo non arma ad vindicandam libertatem exacuerat, ad libidinem euocare? An verò meminisse fuit indignum ex Galla Placidia, & Constantio esse genitam cum Valentino fratre? Hic à Theodosio Cæsar, ab exercitu Augustus appellatus, Attilā Hunnum à Genserico Vandalorum Rege in Africam, cuius partem pace facta ipse concesserat, contrà Gotthos accersitum, socijs in bello sibi adiunctis Morouæo Francorum, & Theodorico Gotthorum Regibus, ad Tolosam memorabili, & insigni victoria vicit, atque fugauit. Et dùm frater tot, tantisq. laboribus lambentem flammam, quæ ad orbis parabatur incendium, auertere, & restinguere laborat, ipsa libidine accensa ad aulæ decus virginitatem tueri coacta, Attilam ad connubium inuitauit? An verò quispiā idcircò magno animo mulierem dixerit, quòd eum Ducem imperandi cupidissimum, laborū tolerantia illustrem, ingenio acerrimum, corpore validū, ingenti spiritus magnitudine (licèt crudeli) ornatum, consilij altitudine præclarissimum, Mundizi filiū, magni Nimrod nepotem, Hunnorum, Medorum, Gotthorum, Danorum Regem, mundi metum, Deiq. flagellum desideraret? Nihil excelsius in ea temporis vicissitudine Attila videbatur. Atque elata fuisset mente Honoria, si hæc sublimia cogitasset, quod nec cogitauit Bactrianorum Regis filia, quam primariæ vxoris loco habuit, & quæ tantum virum in Veneris ludo superauit, cùm ea nocte qua nuptiæ celebratæ sunt, sanguinis è naso

profluuio

profluuio decesserit. Sed cur elatam Honoriam dicam, quæ frustrata voto, scelere truculentiori edito, pudicitiam Eugenio procuratori suo prostrauit? E domibus patresfamilias, vt ab ipsis præcautum, & prouisum sit, cùm vix adoleuerint, filias ad maritos protrudant.

Pinti.

*En hic, perplacuit quæ leuis Attilæ,*
*Quæ vili studuit fœda Cupidini;*
*Augustæ tumulum suspice Honoriæ.*
*Hospes tristi animo, qua vice concidant*
*Res, mortalis vbi spem locat, aspice.*
*Vt forma exigui sit breue temporis*
*Donum, quo celeri cum pede labitur.*
*Languescunt folio pallidulo Rosæ,*
*Vt vultus, roseis qui micat in genis,*
*Momento moritur, nullaq. non dies*
*Lasciui spolium corporis eripit.*
*Res est, forma fugax serua libidinis.*
*Ecquis, qui fluitans, credat amoribus?*
*Nitatur fragili quis sapiens bono?*
*Hospes dùm cineres cælat Honoriæ*
*Marmor (dedecori est, cui altera sus, iacet,*
*Quæ hic non digna hominum femina vultibus)*
*Cui nòn tota sua mente fluat Venus?*
*Cui non, perpetuo numine viuidum,*
*Dùm mens Eumenidum supplicium capit?*

I I.

*Quis hic, qui lacrimatur ore tristi,*
*Et saxo tumulum penes residit?*
*Cur vilem, ac laceram induit lacernam?*
*Eius cur capiti cadit mitella?*
*Marcescit prope cur viror Rosarum?*

M Salix

*Soluitur Amerinus languet ? heu heu*
*Aegra est hac facies Honorio Vrnam*
*Honor, linque ? tuum est abire : Honoris*
*Tantum dedecus hocce flere non est.*

# Constantina.

20 INFELICES.



Nihil Constantina felicius eo seculo iudicanda fuit, si virum, nihil eadem infelicius, si exitum vitæ aspexeris. Patrem habuit Tiberium Constantium in Thracia natum, Cæsarem à Iustino iuniore appellatum, & ab Euthychio Constantinopolitano Patriarcha coronatum; qui pias Synodos professus, nunquam Ecclesias turbari permisit; pauperibus alendis incubuit, litteratis viris maximè fauit, quamobrem cùm à Sophia Iustini vidua reprehenderetur, quòd Imperialem Fiscum nimia liberalitate exhauriret, respondit: Pecuniā à pauperibus, & sapientibus acceptam nimis augeri, quòd alteri thesauros suppeditant, alteri Rempublicam reddunt illustriorem. Ideoq. factum est, vt cùm aliquandò Crucem marmori insertam leuari iuberet, magnos ibi thesauros repererit, quos & maximos habuit à Narsete ex Italia missos. Habuit & virum Tiberium Mauritium Cappadocem ex Arabisso oriundum, qui ex Notario ob rei militaris peritiam, Præfectus Prætorio creatus, gener à Constantino adscitur. Persas per Ioannem Mystacum Ducem ad Nymphium fluuium vicit, Cosroem in Regnum restituit, limites posuit, in Europa cum Longobardis, & Hungaris bellum gessit, Sclauinos, Gepidasq. cecidit, Musacium eorum Regem cepit, Bulgaros Sigidone pepulit, Caganum Regem Auarum expugnauit, nihilq. prætermisit quod ad maximum Imperatorem administrando, pugnando, consulendo pertineret. Sed trucidatis à Cagano multis Romanorum millibus, quos ipse tot aureis redimere potuisset, factusq. idcircò militibus odiosus, ab Imperio eiectus est, electo Phoca, qui ipsum Mauritium, Constantiam

stantiam coniugem, liberos, & propinquos omnes Chalcedone trucidauit. Mirando silentio filiorum necem spectauit; sed coniugem vulneribus confossam, patienter crudelissimam cædem ferentem, quæ nec aliquid in Phocam commiserat, nec ità mori 12 ob vitæ sanctitatem debebat, sæuissimè necatos filios, virumq. interimendum spectantem intuens, hæc ait: Iustus es Domine, & rectum est iudicium tuum. Quid enim Dei voluntatem subterfugimus? Quid ab ijs, quæ iustè instituit, decedendum arbitramus?

**Pinci.**

*Quid contra solium valeat Fortuna, quid atra*
*Spectatis ferat è gradibus fastigia vilis*
*Quo pacto tegeti soleat substernere telis*
*Occumbant miserè vt Reges; id cernite. Phocas,*
*Præfectus Scythicis olim vir strenuus armis,*
*Ad tandem Imperij sublimia tecta vocatus,*
*Mauritij inuidiæ ferro profusa cruore*
*Corpora profligat; postquam depulsus ab aulâ,*
*Is Cæsar, sortem sceptris deflerat abactis;*
*Gloria Cappadocum fuerat, qui maxima quondam.*
*Constantina vxor diros perpessa furores,*
*Non tibi (nil fueris quamuis infersa) pepercit*
*Impia vis Phocæ, Phoca vis qualis Erinnys.*
*Te stragis testem voco Chalcedòna tuentem,*
*Qua genitor, genitrix, genitæ, genitiq. sub ense,*
*(Prò scelus) immanis Phocæ cecidere tyranni;*
*Sub quo Augusta, tui, nece non augusta tuorum.*



## Berina.

81 
Nter eximias fama mulieres sedeat Berina, primùm quòd Magni Leonis I. Thracis, vel Dacis Illyrici vxor fuit, qui Asparis Patricij, & Senatus Constantinopolitanis suffragio, mortuo Marciano, ex Tribuno militum Imperator electus, ab Anatilio accepta corona, Christianum se esse electum, & à falsis dogmatibus alienum, testatus est. Atqui iuuandis pauperibus nihil Berina à coniuge abfuit, qui Principem clementia, & misericordia debere quoscunque aspiceret fouere aiebat, veluti Sol cunctis quæ illustrat aliquid calores impertit. Eò tamen infortunatior, quòd icto fœdere cum Valamiro Ostrogotthorum Rege, Constantinopolis magna ex parte conflagrauit, centum viginti millibus libris incensis. Quæ maior litterarum calamitas? Deindè quòd fratri Basilio, fortissimo viro opem tulit. Huic à Leone cum Genserico bellum gerente, summa rerum commendata fuerat, Marcellino, & Heraclio adiunctis. Et licèt prætoria naui, ob suorum defectionem, pugnando fuga sibi consulens in Siciliam se recepisset, decoris tandem amissi recuperandi auidus; alacri pugna in Carthaginem Gensericum fugientem detrusit. Quæ cùm optimè Berina cognouisset, dùm priuatus viueret in Cilicia, pulso Zenone, ad Imperij maiestatem eum euexit; potuitq. ingenij viribus mulier, quæ exercituum robora non facilè valuissent. Improbarunt Berinæ factum ij, qui norunt labe quadam, & macula Basilio ab optimo Imperio recedentem, florem dignitatis infregisse, & fastiosos Episcopos, qui Chalcedonensi Synodo aduersabantur amplexum, sanctis viris Euthychianos substituisse. Dedit tamen ipsa Berina pœnas, cùm reuocatum ex Isauria fratrem, & cum validissimo exercitu in vrbem ingressum, & in templum salutis causa interceptum, detractis Imperij insignibus, in Cappadociam cum sorore, & filio relegarunt; vbi in villa Acuso, fame, & frigore morituri suam miseriam deplorarunt? Quid ergò misericordia

cordia iuuabit in pauperes, cùm Romanæ Ecclesiæ cultus destituitur? Et quæ pietas erit in animo, in quo impia dogmata furor hæreticus ingenerat? Berinam aliqui ab ea impietate excusant.

### Pinti.

*Si perspecto gradum: quàm maiestate verenda es;*
*Si meditor nomen: vina, Berina, fugis.*
*Si mentem: afflictas summo res tollere nisu*
*Contendis; video si ingenium: hocce vales;*
*Si quà fortunæ, quæro, coniuxeris aura;*
*Repperio casus quos tulit ægra dies.*
*Sit testis frater, regio sit Pontica testis,*
*Frigore vbi luges, & perimenda fame.*
*Illud erat fugere angorem, quæ vina repellunt:*
*Fugiens vina angorem, Berina, subis.*

---

## Fabia, & Martina vxores Heraclij.



PArtæ sibi gloriæ maximam felicitatem Martina comparasset, si tunc Heraclio coniuncta fuisset, cùm in Cosroem Persarum Regem arma mouens, à barbarorum contumelia CHRISTVM Crucifixum vindicare studebat, quem Christianorum Idolum ab ipsis nuncupatum, non esse inuocandum prohibuerat; quamobrem non tantùm Imperij, quàm Ecclesiæ, & Christianæ doctrinæ defendendæ causa dimicandum intelligebat. Quanta perfusa esset lætitia, si cum eo per Armeniam Persidē ingressa, quinquaginta millia Persarum capta vidisset, & ex miseratione liberos dimissos, Cosroem in Mediam vsque consequutum, eundem à Siriæ filio occisum; Zachariam Patriarcham Hierosolymitanum, Crucemq. Saluatoris restitutam; Syriam, & Hierosolymam captam, Tygrim Persici Regni terminum constitutum; Bizantium ingressum, in curru sedentem laureæ, & triumphalium ornamentorum loco Crucem 22 23

gestantem

gestantem pro victoria Deo gratias agere, cuius recordatione EXALTATÆ CRVCIS feriæ institutæ fuere. Quid malum postea? Tunc Martina eius infelicitatis particeps facta est, cùm ab eodē Matheseos studio, & præstigijs dæmonum addicto, Christiana pietate neglecta, ipsa fratris filia incestis nuptijs eidem est copulata. Quo scelere perpetrato, Monotheletarum errorem in Dei Ecclesiam inuexit, pios Doctores turbauit, remq. Catholicam perdere conatus est. Dùmq. Iudæos ad Christianam relligionē suscipiēdam compelleret, monitus à Mathematico, vt sibi à Circumcisis caueret, nec animaduerteret Arabes quoque hac ceremonia vti, Sarracenis qui in bello Persico militauerant stipendia negans, ab ijsdem ingenti clade victus est; animoq. fractus, & corpore debilitatus, quippè virili membro semper tenso, dùm meieret, nisi tabula vmbilico admota prohibente, vultum locio conspersisset, Constantinopoli perijt anno 641. & Martina ne oratione populum concitaret capta, & lingua priuata est. Fortunatior ergò prior coniux Eudocia, quam & Fabiam appellauit, simul à Sergio Imperatorio diademate coronata. Aliquantò tamen ipsa quoque miserior, quòd antequàm maritus insaniret, dùm funere duceretur ad sepulcrum, illud lugubre accidit, quòd sputo ab imprudenti barbara puella in pheretrum deiecto, comprehensa, & cremata Imperatrici defunctæ parentauit. Dicam'ne incestuosas nuptias multa mala, multas calamitates sæpissimè peperisse?

## Pinti.

*Heraclio quæ ex fratre orta es, quæ Augusti, Hymenæos*
*Post Fabiæ, eiusdem tradita nupta toro es.*
*Læta viri palma, deuicta Perside, Tigris*
*Romano addictis finibus Imperio,*
*Cùm meruit belli impensa portare receptam,*
*Et Solyma Domini sistere in vrbe Crucem.*
*Mirificè est vbi lingua loquens Augusta resecta est,*
*Dùm tibi conspirat curia magna senum;*
*Est secum Soboles, euulsis naribus ense,*
*Cur tua? & hæc claris fascibus ira venit!*

Huicve

*Huicque malo adiunctum exilium, Martina, dolere*
*Cogere? supplicijs tòt male pressa manes?*
ASPICITE *vt lauro fortuna nocere virenti,*
*Decidere, vt Diuùm tecta superba solent.*

## Ariadna.



Eonis L. Imperatoris filia Ariadna, hoc 24
vnum edidit singulare, inter ea quæ tem- PERFIDA.
porum vicissitudo solet afferre, vt maritum viuentē sepulcro condiderit. Is Zeno erat. Sed quid boni ex Zenone, obscurissimo loco nato, facie deforme, deteriore ingenio, morum improbitate tyranno? obscurè ortum in lucem dignitatum editum, nunquàm splendidè nitentem videas. Corporis deformitas, animi crebriùs deformitatem ostentat. Malo ingenio quispiam, pessimè perpetrat; squaletq; in tyranno dominatus, qui ex cœno nescio quo, & tenebris eruperit. At insolentiorem ipse Basiliscum nactus est, à quo pulsus in Isauriam cum vxore recessit, illud in primis animaduertens, cùm è culmine decidit, satius esse priuatam vitā degere, quàm Rempublicam domesticis contentionibus lacerare. A ciuibus Basilisci insolentiam perferre nolentibus, ex Isauria reuocatus, Imperium repetijt, & Basiliscum prælio victum cum filio in Cappadociam relegauit, & Leontium in Papyrio castello captum interemit. Cùm multo mero se onerasset, & exanimem omnes arbitrarentur, vxor cui mulierosi viri ebrietas dùm omnia constupraret, omnia eius vocibus personarent, odiosa facta fuerat, omnium opinionem confirmans, sepulcro ipsum inferri iussit, addito ingenti lapide quo tegeretur. Qui postquàm resipuit, & ebrietas abijt, maximis editis clamoribus, nulloq; opem ferente, viuus in sepulcro mori coactus est. Quid turpius, immoderato vino perfusum, mortis simulacro ab vxore fuisse delusum? an vxorem lubentem vltrò coniugi mortem intulisse? Nouimus nostra ætate

vxores,

vxores, morientium virorum obitum, nutu, gestu, pharmaco sæpius iuuasse.

## Pinti.

*Littore desertam rapuit Semeleius Euan*
*Gnosia, cui nomen quale, Ariadna, tuum.*
*Coniugem vt ipsa vides vino, somnoq. sepultum:*
*Et rapis, & tumulo condi, Ariadna, iubes.*
*Amba Ariadnæ estis: rapta altera, at altera raptrix:*
*Altera viuit amans: altera perdit humans.*

## I I.

*Zenoni lacrymis genas rigasti,*
*Viro bis, Ariadna, sub sepulcro?*
*Suum dùm latice obruit Lyæi*
*Bibacem stomachum, dedit madenti*
*Tunc sese tumulo: latente at intus,*
*Non dùm egresso animo: sepultus idem est*
*Vxor dùm esse putas eum cadauer.*
*Quid deflere iuuat virum gementem*
*(Fortasse auxilio tui petito)*
*Incassum è gelido, nigroq. busto?*
*Lauro haud Cæsareæ, ortus is corymbis,*
*Equo non Capitolium aduehendus,*
*Verum Lynce fuit meri ad lacunar.*
*Hoc esse in tumulo, quater patentes*
*Vos ò, queis calices placent Falerni;*
*Stetis ne calidis humi, cauete,*
*Intus spiritibus, velutq. Zeno,*
*Ne quicquam è cineris vocetis vmbra.*
*Cuiuis o si Ariadna combibenti*
*Fallaces cyathos, modo hoc parentes.*



# Barbara Bohema.



Am moriturus Sigismundus Imperator, cùm animaduerteret Barbaram vxorem de Regno magis, quàm de salute sua sollicitam cũ Bohemis Principibus clandestina consilia conferre, cuncta muliebri perfidia, & scelere violari non veritus, Albertum generũ Austriorum Ducem Hungaris, & Bohemis sedulò commendauit; & Barbara, quæ Regna illa ad Vuladislaum Regem Polonorum dotalia afferre (quis reconditas causas nouit?) quàm filiam Reginam salutare malebat, capta Znoimæ, in Hungariam ducta est, quod fortasse sic faciundum Sigismundus ipse iusserat. Mortuo Imperatore, diuisis in duas factiones Bohemis, alij Albertum, quem Hungari sibi Regem creauerant, alij Casimirum Vuladislai fratrem ad Regnum inuitarunt, qui vel dissuadentibus Polonis annuit, Regnumq. adeundum deliberauit, quocirca cruenta inter eos bella intercessere. Cæsar tandem Albertus à Germanis proceribus appellatus est, quem honorem non nisi assentientibus Hungaris accepturum promiserat. Tunc Barbara socrus ad eum cunctis delatis, quæ in Hungaria, & Bohemia possidebat, accepta duodenùm millium aureorum pensione, ex Hungaria ab eo dimissa, in Poloniam rediit, vbi ab Vuladislauo perhumaniter accepta, Sendomiriensem arcem habitationi impetrauit, licèt in arce Pragensi, in Regum sepulcris condita fuerit, cui nulla debebatur sepultura, quandò cum nequitia, & inexplebili libidine atheismum coniunxerat, nullam futuræ vitæ habita ratione. Barbaram ergà Deum dixerim, & barbarica ineptia suos negligentem. Nec rarum hoc in muliere. Perfodit muliebria corda libido, quæ operoso animi labore, suorum ruinam, aliorum patrocinium molitur. ET PERFIDA, ET ATHEA


Pinti.

*Quæ nam sub lapide hoc? viuens claudenda barathro,*
*Barbara, barbaricis moribus, illa iacet.*

*Quæ fuit? Augusti Sismundi barbara coniux,*
*Perfidiæ inq. illum nomine clara suæ;*
*Tanto indigna viro, quamuis natalibus orta*
*Egregijs, falsa commaculata fide.*
*Credidit an quidquam, vera quod lege vetetur?*
*Corpora mista animis interitura fore.*
*Credidit hæc, homines vitam traducere inanem,*
*Quam non cum luxu cæca libido terat.*
*Sit procul à nobis hæc verè barbara, barris,*
*Quæ fuit Hircanis interimenda feris.*
*Aeternas sub Dite luens per secula pœnas,*
*Nunc ne animos etiam viuere posse negat?*

# Russa, Othomanna.

26 EX SERVITVTE AD IMPERIVM EVECTA.



Vis crederet inter Sarmatas Vrsos, ferosq. Bisontes, & inter Borysthenis siluas glacie rigentes, tantæ venustatis mulierem enatam fuisse, vt Thracia ferocitate exultantem Solimanum maximum consilio, & viribus Imperatorem comprimere valuerit? Capta à prædonibus è Russia regione mulier est (ea de causa Russa nũcupata) & munus, quo nihil nobilius ea ætate existimabatur, illi tradita est. Munus inquam? Thesaurũ meliùs appellarim, quod omnes Orientis gazas superaret. Maximos quæstus fecisse ratus Solimanus, non ex præda, & manubijs aurum hoc ad se peruenisse, sed prædatricem eximiam, atque illustrem ad se capiendum missam dictitabat, cùm iàm ex eius aspectu conceptam mortem in præcordijs cõtineret. Ipsam languentem, incomptam, dedititiæ, & captiuæ habitu, ex quo nihilominus veluti inter nebulas, oculorum radij coruscabant, admiratus est. Quid, dùm gemmis ornatam, sericea auro, & argento depicta chlamyde indutam intuitus est, cuius quasi Lunæ accedentis motibus eius Imperium gubernabatur? Othomannorum clarissimus

ſimus Princeps, qui Aſſyrios, Perſas, Medoſq. domuit, Aegyptum cœpit; Europæ terror; Caroli V. Cæſaris gloriæ terra, mariq. æmulus (quid illuſtrius Solimano adſcribam?) qui licèt Selimo patre, quo nihil ad ſæuitiã pronior exiſtimabatur, mitior eſſet, cædibus tamen, multis victoriarum præconijs; Hungaris, Germanis, Hiſpanis ad internecionem traditis, & agrorum, vrbiumq. vaſtitate non potuit ſatiari; pulcritudini mulieris ſuccubuit, & primariam in Gynæceo concubinam adamauit. Conuerterat ad eam extollendam ſuos impetus Fortuna, & ad res magnas gerendas, Imperiumq. parandum alacrius adiuncta, ad Othomannicam gloriam per manus perducebat. Ingentem animi fortitudinem vanæ relligionis vallo circumſcriptam, huiuſmodi Mupletio barbaris ſacris Præfecto obiecit, vt templum Deo, Xenodochiumq. peregrinorum commodo ſibi ædificandũ diceret, & percunctaretur an ſalutem ea re geſta eſſet conſequutura? Cùmq. reſpondiſſet, Mancipio illud non licere, nec proficere, quòd ea quæ poſſideret, Principis eſſent; mœrore exagitari cœpit, lugubri ferè lamẽtatione afflictam Solimano ſe præbens, à quo, cùm ea intelligeret, in libertatẽ publicis tabulis vindicata eſt. Concubitum deindè poſcenti, ait, Nefas eſſe cũ libera coire. At moræ impatiens amator, Mupletij monitu, ne legi aduerſari videretur, eam duxit vxorem. Operæpretium tunc eadem exiſtimauit, ſi liberos peperiſſet, Regno inſignire. Id quod ſanè effecit; nato enim Sultano Selimo, Muſtafam ex alia coniuge natu maiorem, occidendum curauit, quapropter Selimum Solimanus habuit ſucceſſorem. Et tantum potuit falſæ relligionis honor, vt in eo ſuæ amplitudinis fundamenta Ruſſa iecerit, & Solimanus, alioqui barbarus, Mahometici ritus cultum obſeruauit. Quid in vera religione deliramus?

Pinti.

*Nunc vndas Scythici pone Boryſthenis,*
*Nunc fines patrios immemor; & Venus*
*Fias, præda, tua ſpecie altera,*
*Regis Threÿcÿ vxor.*

N 2 *Nunc*

*Nunc iam seruitij libera vinculis,*
*Nunc Selimiadæ delicium tori:*
*Lingua, templa tenens, Arabum lege:*
*Fila Galib Ilellab.*
*Pro centone, premis stragula serica,*
*Pro paruis maculis ære datis, habet*
*Ex auro orbiculos tua dextera,*
*Indis lucida gemmis.*
*Nunc Regina iubes, quæ fueras heri,*
*Fortassis miserè, subdita luxibus.*
*VT cum forte dies hominem, vide,*
*Ad summum decus effert.*


Francisci Colellij Neap.

*Tu ne olim Phrygij prædonibus acta Tyranni?*
*Tu ne olim hostili subdita, Russa, iugo?*
*Nunc diadema nouum capiti radiante pyropo*
*Gestas, & flaua regia signa coma.*
*Cuius in accepto fueras captiua triumpho,*
*Illius imperium sub ditione tenes.*
*At Dominum solio residens Regina superbo,*
*Vincis, & illecebris vndique septa ligas.*
*Prò mirum, quæ Regis eras captiua: tibi, illum*
*Ius datur hoc vinclo nectere sorte pari.*

---

# Maria, vel Marina Armena.

17 INNOCENTER AFFLICTA.



CVm inuitas nuptias patresfamilias sollicitant, nurusq. filijs inuisas exposcunt, magna eos pericula ingredi cogunt, quibus si aliquandò ipsi perfuncti essent, dùm magna eorundem iactatione è terra spectatores fiunt, tempestates nō esse subeundas affirmarent. Mouet aliquandò animos regnandi libido; sæpissimè diuitiarum cupiditas, nec

quid

quid futurum sit prouident, nec aliorum exempla in mentem reuocantes, tunc meminerint cum familiaribus grauissimis litibus, quæ intercedent, causa cadere ipsismet aduocatis animaduertēr. Nunquam Marinam, vel Mariam Armenam Constantinus Porphyrogenitus amauit, cùm aliam puellam deperiret. Sed matre sic iubente, cùm Armeniæ exercitus filio iurassent, licèt prius ipsa omnes artes adhibuisset ne à Ducibus iuramentum præstaretur, Armenam sibi vxorem connubio copulauit; morosus, anxius, iracundus, ac difficilis in eam factus est; nuptiasq. non matrimonij dignitate, sed miseriæ augurio, coniunctas fuisse dixeris, & insanabili ac mortifera plaga saucius. Nefarium scelus commentari cœpit. In monasterium eam detrusit. Ecquid erroris commiserat scelesté? Insontem sic abdicas? Quid causæ est? *Venenum dedit; sic ad interitum me vocabat.* Nimis quidem leue venenum fuit, quo te sublatum non vidimus. An verò veluti Panthera (crudelissimum inter homines monstrum) quæ venenata carne capitur, remedium habuisti? Tu tibi poculum subornasti; falsa criminis accusatio est. Caroli Magni filiam ardebas, Marinam oderas; ideò in eam vanam culpam confers. Vis tamen ea in re defensorem? Minus quàm alij peccasti; à te enim innocens seruata est; cùm alij, quòd vxores oderint, adhibito innocente addultero, ferro turpiter necarunt. Nec Scythæ crudeliori scelere notantur.

Pinti.

*Purus Hymen compto Augustam dedit ore Marinam:*
*Et magna Caroli nata in amore peris?*
*Vna tuis veniat gratis amplexibus vxor:*
*Linque inconcessos, perfide, linque toros.*
INNOCVE *tibi quæ vixit, vi cludere septis,*
*Ab re coniugium soluere: flagitium est.*

I I.

*Promisti in sociam thalami violator amoris,*
*Detrudi immerito hanc ad loca septa iubes.*
*Hac mare, tu nauta es (prò mirum) turbine fractum*
*Stat mare, & huic nauta tuta per ire datur?*

Anna

# Annà Cæsarissa.

28 NOCENS SERVATA.



Liud turbarum genus in nuptijs, quas mulierum superbia excogitat, quibusq. familiaris discordiarum militia in domos introducitur summa voluntatum dissensione, sollicitudinis, & stomachi plena. Irene Andronici Ducæ filia, Alexij Commenis vxor, inter alios liberos quos plures habuit, Annam, Cæsarissam nuncupatam peperit. Quam cùm despondere statuisset, ad suum, non ad aliorum arbitrium collocare deliberauit. At dices; Cur viri consilio vteretur, qui vafer, auarus, rapax, bello infelix à Roberto Guiscardo, à Bossinis vincitur; Chium, Rhodum, Lesbum, Samum insulas amittit; nobilissimã illam in Asiam nostrorũ Argonautarum duce Godefrido Bolioneo expeditionẽ impedit, à Boemundo tandẽ superatur? Vera hæc sunt; sed nõ debuerat viri saltem dignitate moueri? An marmorei busti loco ambitiosis mulieribus viro vtẽdum est? Cũ maximè in Cõmeno aduersitas vitia correxerit, & rapacitas in liberalitatẽ, sæuitia in clementiam fuerit commutata, quòd si in aprum irruens sagittæ venenatæ vulnere non perijsset, inter optimos Imperatores fuisset connumerandus. Deserat verò patrem; quid à Ioannis filij (qui Coloiannes dictus est) voluntate discessit? Victorijs bellicis patre melior, qui in Asia Persas, in Europa Scythas, & Tartaros domuit, & ex Thracia, & Macedonia expulit, quò Alexio imperante ex Septentrionibus locustarum more inuolarant; Hunnos ad Saui, Istriq. confluentem deleuit, Syriamq. coempta ab Raimundo Principe Antiochia, vastauit? Sic igitur virum, filiumq. illustres Principes superba contemnit? Annam Nicephoro Bryennio, cuius eloquentiam, artiumq. liberalium studium, & gerendarum rerum prudentiam laudabat, nuptam tradit. In hisce virtutibus latere tutelam, & præsidium libidinis multi arbitrabantur; atque ea quæ consequuta sunt opinionem cõfirmarunt; nam in Coloiannem filium cum Anna coniuratorum principe conspirauit; qui proculdubiò

oppressus


oppressus fuisset, nisi Bryennij socordia fuisset impedimento. Hic rerum flagitiosarum ex innuptis nuptijs fructus excipitur, hic turpis concordiæ status; & Charybdis gurgitis, in quos quispiam inciderit exhaurire cùm velit, non potest. Cæsarissam vt matri obtemperaret, vt virum Imperatorem salutaret, fratrem Imperio priuare non pudebat. Et cruciatus defuere? Nemo coniuratorum cæsus est; ipsaq. per Alexium Axuchum fratri reconciliata est.

Pinti.

*Non digna in terris pœna commissa luentur?*
*Anna impune diù viuere posse licet?*
*Quod te non facinus tetigit? tamen est procul vltrix*
*Dextra potens: sceptro siccine tuta tuo es?*
MISSA *foro grauiorq. venit vindicta superno,*
*Insurgat nullis si tibi terra malis.*

---

# Maria Austriaca.



Vænam proponitur vltima Imperatricũ imago? Quæ maiestas, quis nitor in vultu elucet? Quæ in fronte rutilat Romani Imperij sanctitas, atque amplitudo? Quæ collucent in oculis virtutum sidera? Quæ circùm augustissima longo series ordine Regnorum honores renouat, atque instaurat? Mariam Austriacam iàm cernis hospes, Augustorum filiam, vxorẽ, matrem, quam Carolus V. genuit, Maximilianus vxorem habuit, Rodulphus matrem nouit. Carolo quid excelsius? Inter sidera claro, & tremulo ardore Cometa magnarum rerũ prænuncia coruscat. Belli fulmen; ad hæreses abolendas, Catholicam Fidem propagandam, barbaros fugandos, terræ, marisq. terminos describendos, & subijciendos natus. Quicum nec Aristides abstinentia, nec humanitate Miltiades, nec felicitate Lisander est comparandus.

49 AVGVSTISSIMA, ET FELICISSIMA.

randus. Qui Iphicratem militari prudentia vicit, Epaminondam charitate in ciues superauit. Qui labentem, & inclinatam Christianam Rempub. animi consilio, corporisq. viribus sustinuit, & Reges, atque hostes superbè insultantes, memorabilibus positis trophœis, profligauit. Quid igitur gloriosius, quàm ex Carolo nasci? Et quid magis eximium, quàm Maximiliano nubere? Quem, inquam, Maximilianum? Maximi Ferdinandi filium. Quæ Naturæ miracula? Nouit Ferdinandum Turcarum tyrannus. Hoc solo vtor testimonio; qui Transyluaniæ Vaiuoda, Comiteq. Zepusio cliẽtibus inuitis, ex Regni Hungarici ditione expulsus est; qua victoria Rex Bohemiæ cum Anna vxore, Ludouici Regis Pannoniæ sorore Pragæ inunctus, Caroli voluntate, communi Electorum, & Statuum consensu Coloniæ Rex Romanorum renunciatus, Corona Aquisgrani donatus est, Imperatoriam dignitatem, fratre vltro in Comitijs Francofurti deponente. At quem Principem Maximilianum dices? Dicant Solimani, Solimi, Amurathis clades, inter quas victoriarum insignia tanti Imperatoris encomia æterna Fama obloquuntur. Eius dicant eximiæ virtutes, quibus litterarum studijs, linguarum peritia, vitæ innocentia, pace, & concordiæ publicæ amore claruit. Quis grauitate maior? Quis animi constantia grauior? Quis Relligionis, & officij plenior? Et Rodulpho quem dices illustriorem, qui cùm patris Imperium obierit, eius quoque virtutes obijsse præclarum arbitratus est? Viuas diutissimè Imperator maxime, qui cõspicuas tuas laudes huiusmodi sublimi loco collocasti, vt rerum egregiarum exempla ex te sumantur, recuperatisq. vrbibus, quas Imperio subiectas sæuissimus Scytha occuparat, veteribus bellis confectis, quæ ceteris negocium facessiuere, Summorum Pontificum voluntatibus tibi adiunctis, nullam Christianæ rei iacturam esse factam sentiamus. Sic igitur Maria in maximorum Principum florentissimo campo vires? Tu vna omnium dotes repræsentas? Latent meliora. Philippi soror es. Quid eo Rege admirabilius, qui adhuc clauum Regnorũ tenet, dùm ab eo ceteri Reges regnare didicerunt? Quid augustius excogitari, aut inueniri posse censebimus? Est ne aliquid in orbe

Philippo

Philippo clarius, cuius nomen ſanctum, pium, immortale, nulla vnquam vetuſtas, aut obliuio delebit. Amitam alterius te quoque Philippi cognoſcimus, qui patris imaginem Regnis adminiſtrandis, Romana Eccleſia defendenda, ſubditorum rebus publicis, priuatiſq. tuendis, vitæ ſanctitate, animi magnitudine, refert. Meliora item, in liberorum fœcunditate, quos ſexdecim Ferdinando Maria peperiſti, Annam, Ferdinandum, Rodulphum, Erneſtum, Eliſabetham, Mariam, Matthiam, Maximilianum, Albertum, Venceslaum magnos Auſtriæ Duces, & in pueritia extinctos duos Fridericos, Mariam II. Carolum, Margaritam, Leonoram. Ecquandò feliciorem partu audiuimus? Quid Mariæ, & Aureliæ Iulij Cæſaris matri? Viditq. duas filias potentiſſimis Regibus coniunctas; quippè Annam vxorem habuit Philippus II. cui Philippum III. peperit; & Eliſabetham Carolus IX. Rex Gallorum. Quamobrem filia Caroli V. eſt, nurus & neptis Ferdinandi, vxor & ſobrina Maximiliani, mater Rodulphi, ſoror & ſocrus Philippi II. Philippi III. amita & aua; & Caroli IX. ſocrus. Afferat quiſpiam potentiorem ſeriem, felicius genus, ſtemma nobilius. Animi diuitias quis enarret? Vxoriæ fidei incredibilis obſeruantia, vt vel ancillam ægroto Maximiliano gereret, quandò interdiù noctùq. nunquam à viri lecto diſcedens, ſemper epulas ipſa parare voluerit. Efficax in ea charitas, atque humilitas, quæ continuò cum pauperibus verſabatur, Xenodochia inuiſebat, miſeriarum ſubleuatrix. Prudentia ità percrebuit, vt mortuo viro, & à Philippo in Hiſpanias vocata, Portugalliæ Regni, quod nuper in ſuam ditionem redegerat, Gubernatrix effecta fuerit. Indè Regios faſtus deſerens, in Cœnobium Excalciatarum S. Franciſci à Ioanna Regina ſorore conditum, cum Margarita filia ſe abdidit, vbi cùm aliquot annos ſanctiſſimè vixerit, tandem ad cœlos cum omnium mœrore euolauit. Quæ hanc metam aliæ Imperatrices curriculo tangere voluerint, nefas eſſe ſibi perſuadeant.

### Incerti.

*Cæſar me genuit; Cæſar, me coniuge ducta,*
*Cæſaream fulcit ſoſpite prole domum.*

O Pinti.

Pinti.

*Vidi, ait, in terris admirans pronuba Iuno*
*Fertilitate parem, nobilitate parem.*
*Hac currum ascendat, picto pauone vehetur.*
*Hac plaga in atheria deliciosa comes;*
*Sceptrigera diues sobolis, venerata coronis,*
*Sume Philippiade sanguine creta decus.*

---

# Isabella Castellæ Regina.

REGINAE. 30 FORTIS, ET SAPIENS.



OMnium virtutum, quæ in præclarissimis Reginis insignes existimantur, ditissimum ærarium propono Isabellam Castellæ Reginam, Henrici IV. sororem, Ferdinandi illius vxorem, cui Catholici nomen ob rara in Christianam Fidem exempla est inditum. Eius si vitæ sanctitatem spectes, templis cum viro ornandis, sacrisq. libris legendis assiduam; ludos, corporisq. voluptates exosam; bonos in aula mores desiderantem, prætereà nihil, videas. Si Temperantiam, sine qua contemplari, & gubernare non licet, nec lautum quicquam, nec exquisitum, nec per libidinem sumptuosum exposcebat, & abstinens à vino, admirabilem virtutem mulieres edocuit, vt semper à compotationibus muliebrem modestiam vindicandam esse intelligerent. Si Fortitudinem, nihil quidem viro viribus, & consilio cedens, Lusitanicum bellum eo absente confecit, Regnum Nauarræ suis adiecit, Canarias insulas deuicit, in expugnando Bethicæ Regno egregiam nauauit operam, vt Sarracenos, Maurosq. ex tota Hispania expulerint, & eos qui in ea regione reliqui fuerant, aut Christianorum dogmata amplecti, aut in Mauritaniam decedere coegerint. Si Clementiam; post patris obitum, Castellæ Regno recuperato, quod familiares Principes occuparant, ijs in quos iure animaduertere debuisset, supplicia clementissimè condonauit. Si Misericordiam; quanto studio in bellorum

bellorum conflictibus, & quàm prouidè Medicos instituit, qui vulneratis remedia afferrent, carrosq. quibus ij ad Xenodochiũ perducerentur, quod Reginæ nomine appellabatur? Dùm verò à bello quiesceret animus, ornandæ, & amplificandæ paci mulier prudentissima ità vacabat; vt Regnum latrocinijs expurgaret, leges conderet, in ferendis sententijs Consiliarijs ipsis esset adiumento, omniaq. tanta prouidentia pacaret, vt ad sæculi felicitatem tantã Reginam esse natam omnes prædicarint. Sed quàm latè in ea percrebuit rerum maximarum cupiditas? A Christophori Liguris opinione ad orbis terminos propagãdos, nouosq. inueniendos ceteri Reges, ipsaq. Genuensium Resp. quam serò facti pœnituit abhorrentes, insaniam laborioso, & ingeniosissimo viro obijciebant; neque profectò prorsus reprehendendi. Quid enim stultius poterat excogitari, quàm extrà antiqui orbis limites, nouum orbem reperire, nostrisq. Regibus subigere? Cùm Isabella reconditarum rerum indagatrix, cui vix sexcenti suffecissent orbes, aureæ illius Columbæ, quæ ad ignotas rerum causas euolabat, pennas subleuando, quartam terræ partem addidit, quam mortalibus absconditam gloria nunquam peritura, æterna Fama concinet, eius nutu, & opibus esse patefactam. Quamobrem adhuc Oceanus Occidentalis, & Eous ad Isabellæ honorem prouoluit vndas, quæ tot annos ratium onera perferre non didicerant, nauticos clamores ignorabant, classiumq. exuuijs nunquam fuerant ornatæ; aurum arenæ fluminum vorticibus exonerant; gemmarũ corollas rupes, littora, glebæ nectunt; arboresq. suauitatem fragrantes, varios succos, atque liquores emittunt; longè alius aruorum aspectus Europeis ligonibus cultus, noua iam florum serta texit, flauæq. segetes horrea complent, & plenioribus vitibus fluunt prœla, cœlumq. ipsum clementius nouis colonijs redditum, Isabellam tot laudibus effert, quot sideribus illustratur. Hinc Canibales, atrox Anthropophagorũ genus, humanitatẽ, hinc omnes indigenæ veræ relligionis cultum Isabellæ acceptum referunt, cui nouus ille orbis feliciùs quàm Columbo, Vespucio, Magallani, suam acceptam refert claritatem. Mortua anno 1504. in oppido Methymna Campi.

O 2 Pinti.

Pinti.

*Immensas Cubæ, ignotis qua Carcinus ardet*
*Gentibus, inuenit puppe Columbus opes.*
*Has nunquam sceptro Ligur hic iunxisset Ibero,*
*Tanto Argonautæ ni auxiliata fores.*
*Ergo noui inuentrix Regina vocabere tractus,*
*Quando absque ille tua vela ligasset ope.*
*Regibus eiectum, patrio lusumve Senatu,*
*Audax consilium, femina sola iuuat?*

I I.

*Aduersis tòt responsis tua penna, Columbe,*
*Est dissecta, sed est penna Isabella tibi.*
*Quod si penna tua hæc fuerat, vel fulua, vel alba:*
*Puras nunc auras aurea tota secat.*

Colellij.

*Fleuisti varijs iactate insultibus, Heros,*
*Insumens miseris annua lustra modis;*
*Et velut infamem te patria sæua rebellem,*
*Pellit & Hesperia diues Iberus humo;*
*Omnia te renuunt: tamen excipit extera blando*
*Regina afflatu, quæ tibi subdit opem.*
QVAM *bene virtuti famulantur munera, postquam*
*Digna tibi merces obtigit: illi animus.*

---

# Ioanna Hispan. Regina.

II PARTV ILLVSTRES.



DVo quæ maximè præclara Ioannæ Aragoneæ acciderunt, inter fortunatissimas eam Heroinas extulere. Alterum, quòd Isabellæ, & Ferdinando maximi nominis Regi Catholico genita; alterum, quòd Philippo Austriaco Maximiliani I. filio in matrimonium fuerit collocata. A Ferdinādo per Ioannam Austriorum felicissima series in Hispanias ducta

ducta est. A Ioanna per Philippum orbis delicium in lucem editus Carolus V. splendor Imperatorum. Laudent alij in hac Regina pulcritudinis elegantiam, alij virtutum omnium eam celebrent encomio. Vnum ipse potissimum laudandum existimo, in quo omnes laudes conquiescant, quòd naturæ miraculum Cæsarem procrearit. Erit ne Aureliæ Augustæ, quæ Iulium Cæsarem peperit comparanda? Pares profectò, quæ duos inferioris orbes Soles peperere. At superior Ioanna ex qua Christianæ Fidei lumina in Carolo V. Catholicæ Ecclesiæ tutela emicarũt. Comitatum Flandriæ, reliquasq. ditiones à Ioanna Castellæ Regno vnitas, & ius succesſionis, in amplissimum Hispaniæ Regnum allatum, immortali laude maximam Reginarum celebrabunt. Patrem multis in Mauros prælijs triumphantem vidit; sed mortuum, & à Bernardo Sandoual Bethicam allatũ deplorauit.

## Pinti.

*Cum dubio aggrederis partus, Regina, periclo:*
*Iuppiter, & Mauors talia dicta ferunt:*
*Nitere spe magna, atque Heros erumpat ab aluo;*
*Et spolijs nostros augeat ille lares;*
*Deferat ex Lauro deuicto ex hoste coronas,*
*Ipsius nunquam famæ abeunte sono.*
*Sic fatus, liquidum vanescit in aëra vterque,*
*Totaq. lætitiæ est aula relicta suæ.*
*Te, Cæsar, pariente venit fauor, & pauor orbis,*
*Vsque suis magnus laudibus, vsque tuis.*

II.

*Threïcio quondam fertur peperisse sub antro,*
*Ex Iouis, armiferum, sanguine, Iuno Deum.*
*Sic oris Carolum, qui Mars fuit alter in armis,*
*Ioanna Hesperijs, altera Iuno, tulit.*
*Sed nouus hic Mauors, quàm prisco maior habetur:*
*Ille leuis sceptris, at grauis iste fuit.*
*Ille aliena, vrbes turmis fusura superbas:*
*Hic sua, perfractis hostibus, arma dedit.*

Denouit

*Deuouit vetus illi ætas Picosve, Luposve,*
*Huic datur insigni, magna auis, atque Leo.*
*Thracius ò quantum Mars hoc à Marte, & Ibera*
*Hac, quantum Iuno est protinus Argolica.*

## Colellij.

*Felix alma parens: felix tu Carole: digna est*
*Hæc puero genitrix: hic genitrice puer.*

# Isabella Hispan. Regina.

32 Roximè ad Ioannæ gloriam accessit Isabella Emanuelis Lusitanorum Regis filia, quā cum magnus Cæsar habuerit vxorem, illud sibi iure tribuit, vt vna omnium Augustarum felicissima potuerit appellari. Et quamuis id præcipuè satis esset ad Maiestatem amplificandam, maiorem nihilominus factā arbitrata est, cum Philippum II. Regum maximum, & Regnorum omnium decus in lucem ediderit. Nescio quid maius in orbe, nascente Philippo Christiani nominis defensore acerrimo, barbarorum domitore, hæresum vindice, Reipublicæ qua iustior excogitari non posset administratore, natum est. Cedit Cæsari Philippus, sed patris vitam æmulatus, quæ ab illo armorum viribus sunt inchoata, pacis ipse tranquillitate confecit. Sic inquam æmulatus, vt vel in gerendo in Quinctinopolim bello, sub filio pater stipendia merere exoptasset. Quid æmulum? quid imitatorem pronuncio? In Philippum Cæsar omnes transfudit virtutes; omnibus paternis virtutibus imbutus Philippus Cæsar fuit. Atqui sic Ioanna Isabellam refert, vt vtraque summorum Principum mater, qui extrà Solis vias vtrumque polum, perpetuoq. Oceano littora circumfusa Imperio adiunxere, qui duo Caroli Magni Romanæ Ecclesiæ iura (quod caput regnandi est) vita, & fortunis amplificanda semper duxerunt, regnorum molem cœlo, & terris conspicuam illu-

illustrissimo opere ædificarunt. Ioanna Cæsarem, Isabella Philippum peperit. Quæ inter parentē,& filium meta excellentior? Quis extrà ambas hasce columnas progredi audebit? Et quis harum Reginarum famam censebit nobiliorem? Singulare illud Ioannæ contigit, vt Caroli V. mater diceretur, singulare illud etiam Isabellæ contigit, vt Philippi esset procreatrix; partusq. nobilitatem aliæ filiæ auxere. Maria, quam Imperatricem Germania salutauit; & Ioanna, quæ Ioanni Lusitaniæ Regi nupta, inter celeberrimas Reginas fuit adscita. Quod si tantæ coniugis amplitudini,& liberorum fœcunditati,corporis elegantiam,animi candorem, Regios mores,amabilem adiunxeris grauitatem, omnibus eam antecelluisse Reginis facilè iudicabis. Turbauit eam felicitatem interitus decimum tertium post annum, quibus cum coniuge vixerat,aucto patre filio Ferdinando,cui haud diù viuere contigit. Toleti sepulta est quadragenaria anno 1539.

Pinti.

*Te exoriente, Tagus croceas versauit arenas,*
*Fascibus orta vxor, purpura & orta parens.*
*Magna quidem laus est, sceptris genuisse Philippum,*
*Coniugio & Caroli sanguine & esse parem.*
*Glòria quin ingens, atauos iactare superbos;*
*Stemmata & antiqua mille referre domus.*
*Vndique quàm maior, populis pia iura dedisse,*
*Aeuiq. in superis commeruisse dies.*

---

## Maria Lusitana.



AD Regiæ felicitatis fastigium quatuor Philippi II. Regis vxores euectas Reipublicæ bono, stirpis diuturnitati, orbis terrarum ornamento cognouimus. Quid Maria Ioannis III. Lusitaniæ Regis magis eximium,ex qua primi connubij floribus ea consanguinitatis fragrantia afflata est, vt nuptiarum odor Europam compleret? Accessit formæ 35 PHILIPPI II. VXORES.

formæ venustas, quæ eam reddidit admirabilem. Alliciebat verbis animos, & dùm acuta, & graui oratione vteretur, res magnas, quas animo concipiebat, Regali maiestate parere videbatur. Florentis itá Reginæ cum Regum omnium flore, floridis annis mors inuida vitam præcidit anno 1545. quarto post partum die, in quo Carolum Hispaniarum Exarchum edidit, quo vnico, penèq. adulto pater mœrens, sed lubens orbatus est.

Pinti.

*Surgit ab Ionio Citbereia littore: sed tu*
*Hesperio auricolor, quà sonat orbe Tagus.*
*Illa cupidinibus, lasciuo perdita luxu:*
*At Regina tibi tæda pudica nitet;*
*Non exorta mari es: tamen insunt clara Mariæ*
*Nomina: at à Mariæ nomine nomen habes.*
*Quòd si pulcra Venus, pulcro quæ est ore, vocatur:*
*Quàm magè tu in sceptro pulcra vocanda Venus!*
*Et Venere es maior: thalamo sociata Philippi es:*
*Iuncta viro certum non habet illa torum;*
*Serta Palepaphiæ nectuntur myrtea: crines*
*Ornat at ex auro magna corona tuos.*

---

# Maria Angla.

34 Aria ex Henrico VIII. Angliæ Rege, & Catherina Caroli V. matris sorore nata, à Regij animi dotibus ad immortalitatem ducta est. Hæc sanè cum altera sorore Elisabetha, & fratre Eduardo à patre est defuncto relicta. Et cùm præpropera mors Eduardum sustulisset, qui Regno successerat, Mariæ primogenitæ Regni iura auferre aliquot Proceres conabantur, omnibus tamen Ordinibus Ioannam Suffolciam repudiantibus, quam adolescens, & imbecillis iudicij Eduardus, persuadente Suffolcij Duce, testamento scri-

pſerat heredem. Dicto ſacramento Londini Corona aurea redimitur, licèt Nortumberlandius Dux, qui cum Ioanna filij vxore in Regnum aſpirabat cõtrà Mariam caſtra mouerit, qui cùm nec longius ab eius caſtris abeſſet, ab omnibus deſtitutus, cum liberis, & Ioanna captiui ducti ſunt. Tunc Regnum, quod à Fide Catholica deſciuerat, in veterem Eccleſiaſticam diſciplinam reuocans, omnem Anglicanam libidinem ſumma cum omnium admiratione frænauit. Rebelles Petrus Carus, & Thomas Vuietus eius ſeueritatem maximè nerunt. Sed illuſtriori lumine Sol Angliam peragrauit, cùm de Philippi nuptijs per Cardinalem Reginaldum Polum in Germaniam, & Angliam conſtituendæ Relligionis cauſa miſſum, agi cœptum eſt. Bruxellam è Germania Philippum Cæſar euocauit, vt conceptis nuptiarum legibus, in eam inſulam proficiſcentur. Inſtitutæ legationes, miſſus Lamoralis Egmondij Comes, Philippus Nigri, Carolus Lalcini Comes, Ioannes Mommorancius Carreræ Dominus. Qui nihilominus re infecta rediere, relicto Egmondio, qui, vt Principum mos eſt, Philippi Principis nomine, armatus cù Regina nonnihil temporis concubuit. Confectum tandem negotium eſt, Philippuſq. in Angliam nauigauit, & fauſtæ D. Iacobi feriæ omnium conſenſu, & acclamatione habitæ ſunt, non tantùm quòd ex ampliſſimo genere, in clariſſimam Henrici familiam Rex nupſiſſet, ſed quòd amoris, & fidei nexu Orthodoxam Relligionem huiuſmodi religatam conſpexere, vt quæ omninò adumbrata falſitatis imagine obſoleuerant, veritate demum fuerint renouata. Quid Mariæ fortunatius accidere poterat, quàm Philippum Regem Catholicum, in Catholica Fide in ſuo Regno reſtituenda habere conſortem? Eliſabetham ſororem, de ſuperiori ſeditione ſuſpectam, honeſtæ cuſtodiæ traditam, Philippo deprecatore liberauit. Nulla relicta prole, quadriennio poſt connubium, ad cœlum euolauit.


## Pinti.

*Et Minio, & patrio pelago venerata Britanno*
*Te aſpiciens vaſtus ſic ait Oceanus:*

*Immenſis ſum pontus ego circum uagus vndis;*
*Immenſa es titulis, ſtemmatibuſq. tuis.*
*Læta es nata patre, & ſceptris, populiſq. ſuperbo,*
*Læta es, in armato dùm meditare virum.*
*Quæ regio, quæ te non gens putat eſſe beatam?*
*Heu tantum miſeram ſol ſine prole videt.*
VNDIQVE *quis vultus poterit iactare ſerenos*
*Fortunæ? è Diuûm conditione foret.*

---

# Iſabella.

35 
Vptiarum initio Iſabella Henrici II. Gallorum Regis filia, felicibus auſpicijs, flammas bellorum incendio ardentes,viſa eſt reſtinctura,ſanguinis repreſſura effuſionem, & pacis inter patrem, coniugemq. auctor futura; ideoq. ſymbolo vſa eſt, Sole,Lunaq. ſplendẽtibus aliquot cum Corona impoſitis ſtellis, cũm hoc epigrammate, *Iàm feliciter omnia.* quippe calamitoſo bello, quod annos amplius centum & ſexaginta adhuc Philippo Audace viuente durauerat, finem iàm eſſe impoſitum iudicarent; ſed mox ſanguinario ciuili bello ob reſtituendam relligionem implicati, clariſſimam prouinciam diripiendam conceſſere. Et infelici factum videtur eſſe augurio, vt dùm Pariſijs deſponſaretur Iſabella ſtipulante Albano Duce Regi Philippo, & nuptiæ Regia magnificentia celebrarentur, armato Egmondio cum ſponſa concumbente, & Henricus in haſtiludio cum Gabriele Mongom merio concurreret, confractæ lanceæ fruſtum in dexterum Regis oculum per caſſidis foramina adactum, ſummo omnium bonorum dolore, è viuis abſtulerit; nec iuuit Andreæ Veſalij Medicorum, & Chirurgorum eius ætatis principis ſtudium, quem Philippus de ſoceri caſu certior factus miſerat. Tulit Iſabella patris interitum ea, quæ maximam Reginam decebat, prudentia, & maximi Regis coniugio paterni funeris luctũ mitigauit; tùm maximè cùm

abſolutis

absolutis per Legatos sponsalitijs, petijt vt terrestri itinere in Hispaniam vxor proficisceretur, extemplo enim esset ipse Bruxella mari subsequuturus, cùm in Zelandia classem comparasset. Discessit illa deducente Antonio Borbonio Vendomæ Duce, & fratre Carolo Cardinale. Quibus plausibus Parisijs in Cantabriam contendentem populi exceperunt? quibus gratulationibus traiectis montibus est salutata? Quam expectationem concitauerat Philippo Compluti Toleto obuiam Francis proceribus procedente? At quibus modis Hispanæ multitudinis lætitia profusa est, cùm ad Complutensem Arcem diuertentes, sollemni ritu iunctos proclamarunt? Quas pompas, quos non aperuit Isabellæ tota Hispania ostentationes? Quid sibi gloriæ nouem annorum spatio comitate, sapientia, animi magnitudine non comparauit? Filij decessit abortu, viuentibus Isabella, & Catherina, quarum altera Sabaudiæ Duci, altera Alberto Austriaco nupta est.

## Pinti.

*Nascentem, at sponsam vidit me Celtica tellus,*
*Regnantem Hispanis diues Iberus aquis.*
*Inq. datis ludis, Hymenæo turbida nostro,*
*Vltima conspexi vulnera ferre patrem.*
*Gallia ab infelix thalamo solata iugali,*
*Cantabriæ subij sat comitata vias.*
*Vix duo lustra dedi magno sociata Philippo,*
*Et Lucina mihi I uno sinistra fuit;*
*Hincq. superstitibus natabus sidera binis,*
*Adueni, & supero nunc datur orbe frui.*
*Tu nostros lugens cineres, ne posce coronas,*
*Parcat at vt nulli perfera Parca, vide.*



P 2 Anna.

## Anna.

36 Erennes muliebris famæ,& gloriæ fontes,Annæ Maximiliani II. filiæ cum Philippo Rege connubio, omnes qui eam norũt,testati sunt fuisse præclusos. Nitido illa, Regioq. aspectu,serenitate oculos perfusa, in altissimo Maiestatis fastigio cõstituta, omnium in se gentium oculos, animosq. conuertebat. Genus in hac Regina cum venustate, venustas cum mansuetudine, & probitate, probitas cum pietate certarunt. Omnes certarunt virtutes ab illis præclarissimis fontibus deductæ,Maximiliano viro,Maria matre,quibus nihil prudentius, nihil iustius, nihil clementius, vt meritò clementem, iustum, prudentem Philippum III. Regem potentissimum paterni nominis,paternæ Monarchiæ,paternæ virtutis,& Relligionis felicissimum successorem pepererit. Peperit etiam Ferdinandum,& Didacum,quos immaturè mors rapuit. Vt amorem quo virum prosequuta est,patefaceret,symbolum depingendum iussit, Arborem cuius medium alatus serpens circuibat, ramo columba insidente, cum inscriptione, *Aeterno coniugi.* cuius præclara gesta, à sola Aeternitate describentur. Florentissimo dicendi genere orationem habuit in eius funere Ascanius Columna in Salmaticensi Academia.

### Pinti.

*Obuia Maiestas agro processit Honori,*
*Et subito tales fudit ab ore sonos;*
*Carpe iter æger Honos, & mecum mæsta subibis*
*Tecta: veta hilares, Anna obeunte, lares.*
*Sic ait; & Fama occurrit, pennisq. tubisq.*
*Aurea, & ausa omnes voce replere plagas.*
*Voce,illa extinctam Regis vidisse maritam,*
*Annam, annos cœlis cui datur esse suos.*

Eiusdem.

Eiuſdem.


*Fortunata Patre, & Genito nunc Rege, Viroq.*
*Sceptra æterna tuis quàm meliora vides.*
*Obtineas nato è cœlis feliciter annos,*
*Anna ſit illi omen viuere poſſe diù.*
*Tàm bene namque ipſo populis pia iura ferente,*
*In delenda tibi gloria maior erit.*

## Incerti.

*O fortunati quibus hæc duo germina ſurgunt*
*Semine Cæſareo Belgæ. quæ florida regna*
*Cernere erit tali imperio, tædaq. iugali?*
*En Boreæ concluſa metu melioribus aſtris*
*Clauſtra ſui Calycis perrumpere nititur, orbe*
*Productura nouos fœtus pietatis, in illo*
*Errorum Fidei euulſis cum ſtirpe labruſcis*
*Nequa filix noſtris rediuiua repullulet aruis.*

---

# Catherina Auſtriaca.



Atherinam Hiſpaniarum Infantem, ex Iſabella Valeſia natam, Philippus II. antequàm decederet, Carolo Emanueli Sereniſsimo Allobrogum Duci collocauit. Optimè, atque prudentiſsimè tunc egiſſe Philippum omnes fateantur, qui cùm filiam animaduerteret omnibus Heroinis nobilitate, & virtutibus antecedere, illuſtriſsimo omnium in Italia Principi & ſanguinis cognatione, & prouinciarum amplitudine, tùm antiqua Regnorum poſſeſsione, & ſubditorũ numero, coniunxit. Quid longam, & nunquam interruptam Imperatorum, Regum, Principumq. in ea familia ſeriem ſuprà mille annos repetam? Quid Sigeuardum Saxoniæ Regem proponam? Quid Othones Cæſares, Subaudoſq. Heroes, inter quos recentiores, Vmbertus, Aimo, 37

Amedeus,

Amedeus, Ludouicus, Philippus, quorum Imperium sanctitate coronatum fuisse populi existimarunt? Quid Carolum Emanuelem efferam, cuius animi, corporisq. viribus Itala virtus viget? An ad res magnas moliendas, ad comprimendos hostes, ad bella terra, mariq. conficienda, alterum post Emanuelem eliges? Quis eo Duce prudentior? Quis fortior? Quasi vero exili hoc Elogio eius fama indigeat, & locus in orbe terrarum desit, quò eius gloria non penetrarit. Mens igitur prouida Philippi, Naturam ipsam stemmatum similitudine habuit consultricem, & Catherina feliciter se ad coniugium, fidemq. tanti viri applicuit. Quid si virtutes æquauit? Regalis in ea corporis habitudo, gestusq. & motus ad Imperia institutus, cuiusq. dominatu omnia posse teneri iudicares, vt omnes ad eius honores, atque admirationem loquendo pariter, & tacendo prouocarit. Quapropter consiliorum patris semper particeps, Regni consors, dona diuinissima habuisse, & gubernãdi formam à rerum Opifice vno absolutam die omnes credant. In negocijs peragendis solers, & acuta, prompta, patiens. In muneribus administrandæ Reipublicæ subeundis, magnanima. In difficilioribus rebus fortiter elata, in quibus tantum dictis effari, quantum laboris accipere consueuit. Consulere, prospicere, conseruare solita, de pace, & bello huiusmodi consulens, vt non ex Ariopago prodeuntem, sed ex ditissima Patris sapientiæ officina edoctam dixeris. Nihil Catherina in summa grauitate humilius, in omni felicitate moderatius. Patris, viriq. iustitiam, relligionem, pietatem, ad suos mores transtulit, quorum præceptis imbuta, eorundem semper effigiem præfetulit. Erit ne igitur nouum si aliorum miserijs, & calamitatibus opem tulerit, seruarit innocentes, semper cum Deo orationibus, sanctisq. operibus fuerit? Virum amauit, sobole auxit viuentem, tantoq. thesauro orbatum, in summa mœstitia reliquit.

## Pinti.

*An vis multa tuis carmina laudibus?*
*Coniux Allobrogum tu Ducis optuma:*

*Tu*

*Tu neptis Caroli: lux & Iberica*
*Gentis, tu Italicæ rarus honos plagæ.*
*Tu prolis genitrix fertilis inclytæ,*
*Patris luminibus tu vndique fulgida,*
*Virtute ipsa tua Luna velut nites.*
*Antiquos titulos si cupias: habes;*
*Si clara ex atauis stemmata, imagines;*
*Auri si cumulos: largiter hæc tenes;*
*Si ingentes populos: hi tibi, quos regas;*
*Si dotes animi: quàm bene te excolunt;*
*Si, quæ fluxa cadunt, corporis in bona*
*Is desiderio: cuncta moues manu.*
*Heroina tibi deesse nihil puto.*
*Ac dùm de supera respicies domo*
*Tot mortalibus hæc subdita legibus,*
*Vt spes fida monet, te procul haud erit*
*Quidquam lætifici muneris inscium.*

---

# Isabella Austriaca.



FFlictas Belgarum fortunas, prouincias belli flammis conflagrantes, & intestinis motibus euersas, Isabellæ, Claræ, Eugeniæ coniugio subleuatas, eiusdemq. aspectu recreatas quis negabit, cùm Alberto Serenissimo Principi nubens, in Belgium profecta, omnium votis, gratulationum, & apparatuū significatione, & inauguratione quantam nec in aui, nec in patris aduentum edidere, suscepta est? Ad Diuos, & Augustos Isabella, & Albertus, non tàm generis, quàm animi dotibus accedunt. Nec rariori poterat Albertus mulieri coniungi, quam rarissimi parentes Philippus, & Anna genuerant venustate admirabilem, Regali maiestate ornatam, virtutibus omnibus eximiam, qui Austriorum familiam ducens, præstantissimis triumphis debuerat decorari. Nec mercedem 38

dotalium prouinciarum Belgij, Burgundiæ, & Carolesij Comitatus à fratre, auunculo, & cognato Philippo Albertus rebatur accipere, cùm vxoris modò munere se locupletari, atque ornari posse existimaret. Nouit Isabella omnium Ordinum acclamationem, patris amorem, Principis (nunc Regis) consensum, Pontificis veniam, quæ omnia viri, vxorisq. perennem concordiam præsagibant. Quid verò Pontificis veniam cùm dicimus, nuptiarum solemnia reticemus? Fratris dùm nuptiæ ab augustissimo Pontifice cum Margarita, procurante Alberto celebrantur, suæ quoque cum Alberto, procurante Antonio Sessæ Duce, conficiuntur. Quid iucundius? Quid excelsius? Quid post hominum memoriam memorabilius? Sed quid felicius Isabella, & Alberto in eo congressu, qui Valentiæ cum Philippo fratre, & Margarita Regina habitus est? Quod gaudium hilaribus lacrimis, amoris plenis celebratum? Altera coniux in Hispaniam progreditur, altera ex Hispania excedit ad Belgas. Peramanter vtrinque studia, & officia patent. Septimo idus Iunias, omnibus ad nauigationem paratis, classem cum Alberto conscendit; præteruehitur Tarraconense littus; Narbonensem sinum traijcit; oramq. Ligusticam legens in portum Genuensem appulit. Quæ voluntatis in ea Republica declaratio? Quis honor à Laurentio Saulo exhibitus? Quis in ædibus Principis Auriæ splendidissimi Regum hospitis apparatus? Ex Liguria Insubres adijt, ex oppido Serauallis à Mediolanensium Præfecto equitum turmis armis, & equestri ornatu instructissimis Dertonam ducta. Eridanus fluminū Rex lætissimis arundinum frondibus præcinctus, Ticinum contendenti tranquillas præbuit vndas, dùm contentione quadam Ticinenses Academici, operiq. publico Præfecti, de symbolorum inuentionibus, ob nimiam in Austriacos obseruantiam, cum alijs Italiæ vrbibus certarent. Eò lætior Isabella facta est, cùm Mediolanum ingrediens, Castellæ Comestabulo, amplissimo Senatu, & profusa multitudine obuiam procedentibus, non tantùm sollemnia nuptiarum Philippi, & Margaritæ Valentiæ celebrata, ad portam magnificè exornatam, depicta inspectauit, sed ijsdem ædibus in quibus Margarita cōmorata fuerat, vsa est.

Lætior,

Lætior, inquam, cùm quamplurimi Principes, Senatusq. Veneti Legati aduenere, honoris officia certatim offerentes, cumq. Cardinalis Dieterstrinus Legatus à Clemente VIII. missus, post sollemne sacrum Rosam ipsi auream, & sacrum ensem Alberto tanquàm Fidei defensori dono dedit, summa cum ludorum, spectaculorum, scenarumq. varietate, & oblectatione. Qua lætitia nō perfuncta est ad Seronam, ad Tradates, ad Heluetios, ex quorum fœderatis ciuitatibus Optimates adfuere? Ad Belincionam peruenit, summa Alpiū iuga ascendit, descendit ad Vrios, cùmq. ad Lucernates triduò diuertisset, Basileam ingressa est, & indè per agrum Alsatiæ, atque Lotharingiæ ad Deodatense, & Luneuillæ oppida à Barri Duce, & Comite Vaudemontio Regio apparatu cohonestata, & ad Nanceium deducta est, vbi nullum officij genus, nullum beneuolentiæ testimonium fuit prætermissum. Ad Musipontem, Lotharingiæ Ducem cum filio Cardinali comites habuit, atque hospites. Belgium iàm dominam salutat; à Mansfeldio Comite excepta Luxemburgum ducitur; contendit ad Eburones, ad Namurcum, vbi maximæ fidei Florentius Barlaymontius specimen ostentauit. Et ad Brabantiæ limites progressæ, quàm præclarè Ducatus Ordines, Principesq. obuiam facti sunt? Quàm splendidè officij, & amoris studijs claruere? Quod verò obsequij argumentum Louanij non laudauit? Quæ concordiæ signa Bruxellæ non intuita est? At Machlinia adhuc triumphis gaudet. Et Antuerpiæ quas pompas non admiratus est Oceanus? Neque hæc omnia Isabellæ dignitatem æquarunt, cuius imaginem non templum hoc illustrium Reginarum, sed ipsa Aeternitas cum Serenissimo, felicissimoq. coniuge seruabit.

## Bernardi Streingarti.

*Gratus ades celebrande nouis, Alberte, triumphis,*
*Finibus Eois, Hesperijsq. redux.*
*Grata venis Isabella, tuis, optataq. dudum,*
*Principis egregia est gloria adesse suis.*
*Grata dies, grata facies, grata omnia circùm,*
*Grataq. spes pacis pectora blanda fouet.*

*Macte age, sume animos fortes, ò Belgica, tandem*
*Visa diù tristis, fracta sepulta ferè.*
*Pristina felici redeunt tibi secula, nec non*
*Aurea quæ proauùm tempora, læta dabunt.*
*Gratior est fessis requies quæ sera paratur;*
*Gratiùs erumpunt gaudia pressa diù.*

---

# Margarita Hispaniarum Regina.

19 
Aritimus Triton natantibus inuectus belluis, ex orientalibus Moluchis per æstus Oceani, fretorum angustias,& promontoriorum sinus, aurati Conchylij sonitu Philippi III. potentissimi Regis aures compleuit, & Coronam ornare cogitanti significauit, pretiosissimam omnium gemmarum Margaritam, non inter Bengalæ scopulos,aut Americæ arenas,sed in Germania in Caroli Archiducis, & Mariæ Baueræ Ducis filiæ sinu recondi. Nihil ea esse pulcrius, nihil admirabilius, & qua præstantius nihil luxus Aegyptius in conuiuium summorum Ducũ afferret. Ea posse Regnorum diadema ornari persuasit;solamq. Austriorum maiestati,maximorum Regum,& Imperatorum ornamẽtis, Indiarum thesauris,anteferri debere affirmauit.Sic in Margaritã Austriacam animum iniecit, & desponsas,& destinatas nuptias, quibus paulò antè mortem Philippus pater lætatus fuerat, demortuæ sorori nostra hæc Regina præripuit.Nunquam profectò aliam quæ tanti æstimaretur Margaritam Philippus reperisset; in qua adolescente florida ætate pulcritudo,Regijs moribus comitas,atque summa ingenij indoles,in qua facta,dictaq. magna elucent. In Hispaniam aduenientem Germania, Gallia, Italiaq. omnis & vidit,& ornauit, summisq. honoribus omnium plausu, omniumq. concursu admirata est. Hoc verò habuit celebrius, quod à Clemente VIII. excepta est, qui Ferrariam venerat compositurus eius ditionis rem cũ Cæsare Estensi iàm Mutinæ,

Regijq. Duce, qui Pontificis conatibus resistere volens, excommunicationis indignatione perterritus, ditionem omnem, atque seipsum Apostolicæ auctoritati dediderat, vt Christianum, optimumq. Principem decebat, splendidè cum matre, & Alberto Austriaco, misso prius Mattheucio Ragusino Archiepiscopo, & Viterbensi Episcopo in Germaniam, deinde Cardinale Aldobrandino ad Italiæ fines, qui Legatus Apostolicus omnibus eam honoribus cohonestaret. Romam cùm nō diuertisset, Romā cum sancto Senatu Ferrariæ vidit cum Cardinalibus Florentino, Ascolitano, Camerino, Montelparo, Iustiniano, Borromeo, Baronio, Blanchetto, Auila, Gueuara, Arrigono, Sfortia, Montalto, Farnesio, Sanctorum Quatuor, Aldobrandino, Cesio. Quid augustius, quàm Augustissimam Margaritam, inter augustissimos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Principes intueri? Quæ hospitalis Summi Pontificis pompa? Quæ omnium vota? Quæ cunctarum rerum significationes? Et Solis, & Margaritæ aduentu Ferraria illustrata est; & in Sanctorum Georgij, & Maurelij Martyrum templo, sanctitate plena, nuptiarū celebritas instituta, tanti Pontificis verbis, & Francisci Atristani, Cubicularij interpretatione, vt quæ Latina lingua Summus Hierarcha proferret, idiomate Germano Regina resciret, dùm Albertus Archidux Austriæ tanquam procurator pro Philippo in vxorem eam duceret, dùm idem Antonium Suessæ Ducem pro Isabella desponsaret. Quantum honoris se consequutam arbitrabatur, cùm Rosam vtriusque Hierusalem symbolum ex eiusdem manibus accepit, hisce verbis; *Suscipe hanc tu, dilectissima filia, quæ secundum seculum nobilis, potens, ac multa virtute prædita, vt amplius omni virtute in* CHRISTO *Domino nobiliteris tanquam Rosa plantata super riuos aquarum multarum. Quam gratiam ex sua vberanti clementia tibi concedere dignetur, qui est trinus, & vnus in secula seculorum.* Prætulitq. eam Comes Bohemontius Aurati Velleris Eques, domum redeunti. Quanto perstrepuit plausu Mantua Eleonora, & Principibus comitantibus, & à Ioāne Baptista Guerrerio, Vrbis Præfecti, sui Principis nomine, ciuitatis clauibus oblatis? Quæ lætitiæ argumenta Mutinensis

Q 2 Dux,

Dux, Mirandulanus Princeps, Nouclariæ Comes, Veneti, Florentini, Genuenses, Veronenses, Brixiani, qui Mantuam confluxerant, edidere? Quo mundo muliebri, quibusq. nobilibus nouæ nuptæ aduentum gratulatus est Senatus Cremonensis? Addua placido cursu eius se subiecit pedibus; laudauit Lauda; splendidissimè Mediolanum excepit; fidelitatem Ticinum declarauit; suam Genua per Lazarum Grimaldum magnitudinem ostentauit; omnes eius Reipublicæ maritimæ ditionis oppida honorificè salutarunt. Ad Massiliam à Duce Guisio, quæuis obseruantiæ officia Regis nomine oblata. Extulit eam Illiberis, & Lunarium promontorium, ipsaq. Barcinon, in qua nobilissimus Iberus lætissimis vndis ad eius pedes prouolutus est. Mox in portu Binaro Valentiæ ora, vnde ad Regem Carolus Auria missus, qui eum de Reginæ secunda nauigatione certiorem faceret. Ad D. Matthæi fanum, Deniæ Marchio cursu publico accedens Regis mandata exposuit. Indè per Gahannas, Villam Regalem, & Sagunti ruinas iter instituere. Quid? Albertus expeditiori itinere ad Regem, suamq. Isabellam progreditur. Rex, ne amoris insignibus ab Alberto vinceretur, ad Margaritam incredibili desiderio contendit. Cùmq. dissimulato habitu, ad eam Regis se missum nomine diceret, à matronis quas in suo comitatu habebat agnitus, quam subitò mutui amoris igniculi exarsere? Ipse narret Amor historiam. At quantum Margaritæ Philippus debet, quæ propagandæ sobolis, & regnorum Columnis consolidandæ prænuncia duas primo loco coniugi peperit filias, quarum secunda obijt, duosq. filios, alterum Principem Philippum, Dominicum, Victorium, his enim nominibus appellatur, quòd in Philippo series nunquam defutura est; quòd in lapideo labro, in quo Diuus Dominicus baptizatus fuerat, Baptismum accepit; & quòd V. sanctæ Ebdomadis Feria natus est, qui dies festus S. Victorij Martyris est; alterum . . . . in quibus eius monarchiæ regna, ditionesq. planè confirmatas, hæreditario iure, nemo est qui vereatur.

Pinti.

# Pinti.

***Cur non cessistis sublimi ex æde Camœnæ,***
*Quando iter Hesperias Regina mouebat ad oras?*
*An tot non comites inter vos esse decebat*
*Ancillas, vultu, roseaq. in veste decoras?*
*Profuit ecquid tunc paphia contexere myrto,*
*Quæ auricomi Phœbi redimiret tempora, laurum?*
*An vos lenta viæ potuerunt tædia longæ*
*Vincere? arundiferos riuos Aganippidis vndæ,*
*Vestrum quæque iugi spreuisset florida Pindi*
*Culmina, montanas tempsisset Phocidis vlmos,*
*Et quodcunque parit tellus Heliconis opimi;*
*Aspernata foret ludos, lepidasq. choreas,*
*Lumine si Eridani captasset magna fluenta,*
*Siq. vrbem ferri veteri cognomine dictam,*
*Quam Regis præsens aurauit sponsa Philippi,*
*Cui ardebat gemma garamantide fulgida vestis,*
*Crinibus & croceis redimicula mille nitebant;*
*Quamve coronabant Mitræ, pallæq. rubentes,*
*Et pia* CLEMENTIS *Romani Præsulis ora,*
*Mille assurgebant arcus, passimq. colossi,*
*Millenæq. dabant citharæ, lituiq. tubæq.*
*Dulciter immistos sonitus, plateisq. vijsq.*
*Quid non vidisset, fierent quo pectora multis*
*Exhilarata modis, Regis præsente marita?*
*Vnio præ cuius pretiosior omine venit,*
*Qua regnante armis producet Cantaber audax*
*Lætitia maiore dies, gentesq. Veseui*
*Vbere nutritæ, & populi queis flammat Eois*
*Luminibus Titan; terra cui mittitur Inda*
*Munus, & Oenotrio quam dicti Rege coloni*
*Præcelsam pietate colunt, & prole beatam,*
*Regali addictam thalamo celebrantq. canuntq.*


*Et*

*Et vos, Pierides, Permessi flumina cur non,*
*Cur non quæ facili ditioni cuncta tenetis*
*Subdita, despecta vel fratris linquitis ara?*
*Ite: Padi quam non potuistis cernere ripis,*
*Ad Tartessiacum latæ valeatis Iberum*
*Tollere carminibus, placeatq. hos addere cantus;*
*Illius & sceptro tardos orare senectæ*
*Aduentus, & recta diù felicia regna.*

---

# Constantia Aragonea.

40 IN CALAMITOSOS MISERICORS.



EX Tarraconensi Hispania Constantia Petri Regis vxor in Siciliam aduecta est, vt crudelitatis præcipuè furorem in Carolum Tarenti Principem prudenter reprimeret. Iuuenis Carolus, cui Claudo nomen erat, Caroli Regis primogenitus, cum Aragonensibus parata classe, manus conserere deliberauit, paternos monitus negligens, qui tyroni cum veterano Duce nullo pacto esse pugnandum, per litteras ex Gallia significauerat. Iuuenilis tamen ardor, huiusmodi ex præcipiti voluntate eripuit, vt hostem ad Circeum montem insequutus (qui militari arte, quàm longiùs Neapoli abesset, eò segniùs subsidium sperare posse Carolum, sibi persuadebat) collatis signis, victus, & captiuus à Rogerio Auria Messanam ductus fuerit, dùm frustrà à Philippo Gallorum Rege pater auxilium impetrasset. Tunc sanè in eum omnes Reguli inuidiæ stimulos concitarunt, quos in patrem Carolum ob crudelitatem in Pontificem, & Corradini necem acuerat. Quamobrem ad Constantiam vndique Oratores missi, rogantes, vt capite Principem plecteret. Ea verò non esse Regijs animis eadem sorte in calamitatibus colluctandum mente secum voluens, neque in eius fidem commissum iuuenem prodere Reginam decere existimans, rem tàm sapienter distulit, vt securim ab eius ceruice depulerit, &

Petrum

Petrum deindè virum id exequuturum dictitarit. Quapropter
Γνώμης γὰρ ἐσθλῆς ἔργα χρηστὰ γίγνεται.

*Ex cõsilio bono, proba facta nascuntur.*

## Pinti.

*Cur vobis placuit Sicani littora cœli,*
*Piscoso conchas accipere è gremio?*
*Cur Arethusa rubens miscere corallia visa est,*
*Qualibet arenti planta virere solo?*
*Spicula cur Phœbus misit mage lucida ab arcu;*
*Et Nymphæ placidos ore dedere sonos?*
*Hoc fit: pro Siculo linquis, Constantia, regno*
*Hesperiam, Petri tradita iure toro.*
*Si tua in afflictos homines pia facta libebit*
*Pendere: quàm parua hæc magna fuisse reor.*
*Hoc erat, hoc magni est, docto si encomia surgant*
*Digna ampliùs meritis fonte decora tuis.*

## P. Sansosti.

*Ante tuos thalamos constans: constantior es nunc;*
*Dùm tibi dat firmos vir Petra firma lares.*

---

# Isabella Aragonea.



Rcum Fortuna, Luctusq. in Isabellam Aragoneam Mediolanensium Ducem intenderant, vt miseriarum sagittis infixam, tanti nominis mulierem, tanta stirpe progenitam, tanti viri amantem haberent ludibrio, & de omni felicitate deturbarent. Coniuge hac Galeatio Sfortiæ ab Alfonso patre, Neapolitanorum Rege, collocata, infelices nuptiæ labantis Aragoneæ, & Sfortianæ domus Maiestatem proruerunt. A Ludouico spoliata regno est. orbata florenti ætate viro, qui veneno peremptus fuerat, patrem eiectum regno, & morte sublatum Ferdinandum fratrem, illum squalidum, exulantem, hunc immiti fato ereptũ, multis lacrimis est prosequuta. 41 CALAMITATIBVS OBRVTA.

Franci-

Franciscum filium Sfortiani regni, & calamitatis heredem, in Galliam ductum, & in cœnobium coniectum, viuentem luxit. O malorum acerbitatem. Porrò vt magno Rege natam decebat, magnos, atque infractos animos prætulit, & virilis decoris clypeo obtecta, crudelium telorum ictus fortiter excepit, & vulneribus, quæ dolor inflixerat, & quæ alligata necessitate, quam tempus pepererat recrudescere perturbationis memoria videbātur, duo medicamenta præsto fuere; Lætitia, quam ex calamitoso Ludouici interitu susceperat; & secessus in Barium, in qua ciuitate Bonam filiam Sigismundo Polonorum Regi despondit, quæ deindè honorificentissimè à Prospero Columna ad virum ducta est. Quod si eius miseria Gallos non euocasset, quorum aduentu veluti maximo incendio Italia conflagrauit (quod non aqua, sed ruina restinctum adhuc ardere, amissa libertate, intelligimus) omnes Reginas fama, & animi magnitudine superasset.

## Petri Grauinæ.

*O Dea mortalem quis enim te dixerit vnquam*
*Si veram facies arguit esse Deam?*
*Qua prece, quoue tuum venerabor carmine numen?*
*Quidve priùs de te, posteriusve canam?*
*Angusto nequeunt tua facta volumine condi,*
*Quis mare in exiguo cludere fonte potest?*
*Magnorum monimenta Ducum tua gloria vicit,*
*Et Fortuna dedit iàm tibi victa manus.*
*Sed nec te nostra hac magnam capit Itala tellus,*
*Vltrà Riphæos brachia longa moues.*
*Seq. tibi generum validus Rex Sarmata iunxit*
*Coniugioq. tua iàm ferit astra Bona.*
*Ergò Bonam minor Vrsa tuam maiorq. videbit?*
*Laudabitq. nouam sidus vtrumque nurum?*
*Filia Sarmaticis Regina sedebit in oris,*
*Gentibus & Scythicis iura Latina dabit.*
*Salue magna parens, Latona maior, & illa*
*In cuius gremio falsus adhæsit Olor.*

Magna

*Magna iterum salue, Reginam namque potentem*
*Maius opus facere est, quàm peperisse fuit.*

## Pinti.

*Aerumnis cur hanc, Rhamnusia perfida, vexas?*
*Te ne audes tantæ reddere posse parem?*
*Ignoras quantum valeat vi pectoris alti,*
*Quò ferat aduersæ tela inimica manus;*
*Et nescis quantum præstet vi corporis: ibit*
*Hæc inuicta suis viribus, icta tuis;*
*Hæc erit exemplo Reginis, ferre sinistra*
*Vt discant, duris nec cecidisse malis.*

Eiusdem.

*Sarmatiam Hesperiæ affinem tibi iungere visum est,*
*Et generi sceptrum tollere ad astra tui;*
*Qui gener est Isabella tibi non parua corona,*
*Et virtus ipsi magna corona tua est.*
*Hoc ergo Oceano qui est Vistula proximus vnda,*
*Quasque suis lacrymis expetat esse vias.*
*Oenotriæ amissam tristis te qualibet ora,*
*Contigit & qui nunc te lapis iste fleat.*
NON *hominum tantum, mutarum sed quoque rerum*
*Promeruit fletus, qui fuit orbis honos.*

---

# Theodora Theophili vxor.



Eginam quam vides demissis oculis, modesto vultu, sacrã Imaginem intuentem, ex Paphlagonum regione profectam scribunt, ortam ex nobilissimis parentibus Marino, & Theoctiste, cui Floria cognomentum erat, & Theophili Imperatoris vxorem. Hic victor ex Sarracenis Asiæ prouincias deuicit, ab ijsq. victus etiam succubuit. Constantinopolitana mœnia, quæ collapsa erant, altiùs 42 RELLIGIOSAE.

instaurauit. Cum Calypha Babylonico munerum magnificentia per Legatos certauit. Sed Imaginum cultum prorsus ablegauit. Quid Imaginem Dei præferre potest, qui Imaginem, à Deo in agro Damasceno depictam, detestatur? Quàm callidè virum ea turpitudine contaminatum delusit, cum ad malam segetem ea ætate impietas vbique terrarum orbis pullulasset? Cùm enim aliquandò Dender quidam homuncio, quem indecora facie, turpia loquentem, ad voluptatem Regia alebat, in Theodoræ cubiculum ingressus esset, Sanctorum Imagines ipsam tegentem offendit. Nihil moræ cum parasito. Theophilo factum detulit; qui licèt accumberet in conuiuio, eò furoris, & iræ progressus est, vt se totum insaniens ad accusandam vxorem promouerit. Tu ne (inquit) Imaginum cultrix? Tu ne impudens Idola veneraris? siccine tuam imaginem, imaginum aspectu deturpas? A Dendere quæ committis accepi. Dabis pœnas. Nulla ex re maior tibi pœna imminet, quàm ex hac superstitione. At sancta mulier; Quid huiusmodi verbis me laceras Imperator? Tantum ergò fidei Denderi Homerico Thersita turpiori adhibes, vt eius cauillis famam vxoris obruas? Quid malè suspicaris? In speculum oculos intenta defixos tenebam, & cum ancillulis iocabar, cùm Dender aduenit; quid de Imaginibus percontaris? Quæ verba Theophili furoris tempestatem subitò sedarunt; factumq. deinceps eiusdem opera, vt seruus quæ videret, quæ audiret reticeret, nec alias ad coniugem deferret. Ad eam quoque pietatem Theoctiste Theodoræ filias Teclam, Anastasiam, Annam, Pulcheriam, & Mariam instituens, continuò maternam educationem obijciebat, admonebatq. vt patriam hæresim execrarentur; & quamuis aditum ijsdem ad Theophilum, qui ea resciuit, prohibuerit, maiori tamen desiderio puellulæ inflammatæ, sacri cultus seminarium Reginæ domum effecerunt. Quem fructum Christianæ relligionis, ex mulierum pietate, non elicimus? Quid sanctius, atque vtilius, quàm liberos Christianis moribus educare? Erit ne Christianis moribus, Regius apparatus illustrior? Erit ne armis an fide Regum aula potentior?

Pinti.

Pinti.

*Cur fusos gemitus pectore colligis?*
*Manant ex oculis cur lacrymæ? moras*
*Cur hoc,* RELLIGIO, *marmore conteris?*
*Te clamys notat, & frons.*
*Hic sedem cineres illius hic habent,*
*Cultu quæ calido sidera perculit,*
*Dùm ad aulas superas vexit imagines,*
*Quas colit pia proles.*
*Non saxum tegat hanc, succina at aurea,*
*Fument thurifera vascula virgulæ,*
*Hic ales volitet, quem Paphlagonia*
*Diues educat alis.*
*Hinc sint diuitiæ, quas habuit Paphus,*
*Hic dùm culta Venus munere floruit,*
*Barrhi hic Marmarici sidere gaudeant,*
*Quo micat bona Phœbe.*
*Dic quæ clausa iacet maxima laudibus?*
*Coniux quæ fuerat coniugis impij,*
*Est hic,* HASTA DEI, *nomine & ipsius*
*Hæc latet Theodora.*

---

## Maria Scotiæ Regina.



Iginti ferè annos infelicissima Scotorum Regina Maria in carceribus vixit, quod Isabella Anglorum Tyranna verita fuerat, ne in eius necem cum Catholicis conspiraffet. Tandem Anglis Magistratibus inuisa, propptereaquòd Christianæ Fidei vehementer fauebat, à Caluini insanijs abhorrens, ad quam opprimendam, Catholicosq. expellendos Antonij Barbynctonis industria fuisse vsam sibi persuaserant, & mortua Isabella, ipsam regno successuram intel-

41 IN CATHOLICA FIDE CONSTANTISSIMA.

ligebant, idq. sæpiùs Tyrannæ obijciebatur, ne cunctando machinarum locum coniuratis daret; capite à Iudicibus ad castrum Federingum damnata est. Belaeres Gallorum Regis Legatus coràm Isabella pro Maria efficacissimè dixit, atque ità, vt ea oratione commota, de sententia aliquot menses discedens, placatum animum quodammodò ostentaret. Sed ad ferociam reuersa xj. Cal. Martias anno 1587. sententiam confirmatam, per Comitem Scasburgium, & Chentium Mariæ denunciauit. Hæc nusquàm perterrita, lætissimo vultu, grauibus verbis respondit; Ecquid ad immortalitatem comparandam mihi iucundius accidere hoc tempore potuisset? Quid salubrius, in Regno, in ipsa rerum Monarchia sperarem me vnquam consequuturam? Quas immortales omnipotenti Deo referam gratias, qui infelicem Reginam ex miseriarum cœno eruens, alterius vitæ felicitate est consolaturus? Quid mihi gloriosius, quàm pro Catholica Fide vitam, sanguinemq. effundere? Non seruat immanis Isabella consanguinitatis iura; CHRISTVM seruaturum spero, cuius redempta sanguine, ad cœlestẽ introducar hereditatem. Ecquando hic mihi lucescet dies? Ecquando Anglorum oculos hoc spectaculo satiabo? Diem sibi constitutam responderunt, quam ipsa iuberet; ipsos posteram delegisse. Annuit libentissimè Christiani Theatri, & Catholicæ pompæ munerisq. Athleta, cum Anglicanis sæuissimis feris certatura. Ducta est in nocturnum funebre Proscenium in aula paratum, spectante procerum corona. Et cum CHRISTI crucifixi imaginem teneret, & alloqueretur, Chentius, ne superstitionibus tunc vacaret, ausus est dicere. Audacius illustris femina eius sectæ diabolicas superstitiones, atque fallacias exprobrauit. Detestari se hæreticorum insaniam, aiebat, quæ veluti obscurissimæ tenebræ Regiæ Maiestati, ciuium ornamento, & totius Anglicani Regni splendoribus obessent; illudq. se à CHRISTO Summo omnium Principe, & Saluatore didicisse, vt sanguinis testimonio, Catholicam, Apostolicam, sanctamq. Romanam Fidem confiteretur. Tùm recitato Dauidis psalmo, *In te Domine speraui*; scissa ad pectus tunica quam induerat, ceruicem securi subiecit. Tùm Carnifex abscis-

sum

ſum caput, in ſericeo puluinari ad feneſtram populo præbuit videndum,cùm interim tantis memorabilis Regina procellis obruta, ad felicitatis, & æternæ pacis portum perueniſſet.

## Fabij Leonidæ.

*E' claro vitam dederat tibi ſanguine* CHRISTVS,
*Sceptraq. feminea ferre ſuperba manu;*
*At tu lucrum ingens pro* CHRISTO *amittere Regnum,*
*Vitam & pro* CHRISTO *fundere dulce putas.*
*Næ Regina ſapis; ſemel amittenda fuerunt*
*Iſta; ſed haud titulus pulcrior vllus erat.*

## Pinti.

*Aurea debebant ſepire monilia collum,*
*Et complere manus ſceptra vetuſta tuas;*
*Sed quoniam peperit crudelia monſtra ſorori*
*Ira tuæ, Scoticis interimenda feris;*
*Et quoniam* CHRISTVM *peramas, atque ore fateris:*
CHRISTVS *amor meus eſt, ſunt mea regna fides.*
*Vincula circumſtant collum, feriuntq. ſecures,*
*Poſt, ſecura petis tecta beata, necem.*
*Hocce tuo felix ibit quam purpura fulgens*
*Sanguine: Quid Reges ſi pia iura premant?*

---

# Iſabella Angliæ Regina.



DIris Maria execrationibus arcet ex hoc Templo Iſabellam,vel Liſabetham Reginam. An potiùs dicam feminarum portentum,quæ monſtruoſa, & peſtifera Caluiniſtarum lue Regnum Anglicanum, & Scoticum infecit, ac labefactauit? Arcet & immanitas, qua cruentiſſima beſtia in Catholicos crudeliter ſæuiens,Londinum,totamq. inſulam martyrum effecit ſepulturam.Hac profectò tantum de cauſa nomine

44 OB FIDEI CONTEMPTVM EXECRANDA.

digna

digna eſt, quæ relligioſos, ſanctoſq. viros, nefarijs, inauditiſq. cruciatibus interficiens, gloriam, honoriſq. coronam ijſdem adepta eſt. Ceteroqui ab hominum memoria prorſus abolenda, quæ eò prouecta eſt inſaniæ, vt acephalam reddere Eccleſiam, Apoſtolorum Coriphæi limina conterere, Monarchiæ Eccleſiaſticæ primatum ſibi vendicare impudentiſsimè ſtuduerit. Vulpecula Andegauenſium Ducis, Gallorum Regis fratris, & Northolchij Ducis nuptias eluſit, Alanſonis finxit, vt hæreſum fautrix, nec dominandi conſortem, nec nimiæ libertatis haberet reprehenſorem; quamobrem hoc epigrāmate eius ſepulcrum eſſe decorandum dictitabat, vt Regina, & Virgo Liſabetha vixerit. Cur verò non Catholica? Cur non Romanæ Eccleſiæ obſeruatrix? Cur ab incœpto deſtitit? Crucis enim Trophœum in aula ſuæ Baſilicæ erectum habuiſſe antequàm miniſtrorum Imperio ſe ſubieciſſet ſcribit luculentus ſcriptor Alanus Copus, & admirabilis in ſanandis ſtrumoſis virtus à Polydoro Virgilio in eadem notatur. Impia multa niſi molita eſſet, Regiam in ea virtutem laudares, quæ copiarum numero, claſſium apparatu, maritimis latebris in Oceani finibus penetratis, cum maximo Hiſpaniarum Rege contendere non dubitauit.

## Pinti.

*I monſtrum Scotiæ exortum, populoq. fideli,*
*Verba ferens Hærebi contaminata lue.*
*Hydra i pernicies Arctois nata Britannis,*
*Per quam Londinum carnificina furit.*
*Quod ſi Lernæam Alcides malè contudit Hydram:*
*Fortior Herculea Mors tua colla manu.*
*Hinc canis Inferni latratus percutit aurem:*
*Te quoque Plutonis terrificaſſe forum.*



Frede-

# Fredegundis.



I quid astus ad lasciuiam facit, ingentes in Fredegundi Galla spiritus nouerim, quæ ex pellice, legitima Chilperici Regis vxor euasit; & quæ virum duabus anteà vxoribus Andoueræ, & Galsuindæ charum, tot sibi illecebris subiecit, vt altera expulsa, altera occisa, totum se ipsius imperio tradidisset. Regem sibi coniugem quærere, laudabile, & gloria dignum non vereor; sed scelera coniugalis libidinis excitare, detestabile. At quod gloriosum in femina, turpe quis non abhorreat in Rege, qui vt scorto morem gereret, infelicibus vxoribus vitam, dignitatemq. ademit? O flagitium ferarum. Sed exitum proba. Quam voluit crudeliter Regni consortem, dedecoris habuit machinatricem. Admisso enim proco Landrico Equitum Magistro, turpitudinis nota Regium honorem infecit. Maritus sic factum resciuit. Venatum iturus, vxorem comam pectentem à tergo virga percussit. Quem amatorem suspicata, & nomine compellans, ait; Quid Landrice agis? Quin si vir es, me non auersam pete. Lasciuientis animi eloquia. Cùmq. vultum conuerteret, Chilpericum esse animaduertit; siluitq. attonita rubore suffusa. Simulans coniux prosequitur iter, vindictam paraturus. Prouida mulier Landricum vocat; quæ gesta fuerint, narrat. Vtriusque vitæ consulat, persuadet. insidias ille disponit, & in silua Chilpericus iugulatur. An meritas non luxisse pœnas dicemus, bonarum mulierum neglectorem? Quid à scorto consequuturum sperabat? Quot norunt omnes, quos meretricibus in matrimonium acceptis, ab ijsdem amatorum opera vidimus interemptos? Ab eadem Fredegundi, Sigebertum mariti fratrem occisum fuisse scribunt, necatis illicò percussoribus, ne resciretur scelus; & Childebertum Regem prœlio, in cuius prima acie ipsa constiterat victum, & veneno cum vxore eodem die esse sublatum.

45 EX PELLICE, VXOR PERFIDA.

Pinti.

Pinti.

*Heu pudeat: quæ vos insania cœpit Amantes?*
*Pellicum ad obscœnos, corpora ferre toros.*
*Nescitis tanto hoc tumulo, quæ perfida pellex,*
*Illa, malum Regum, Gulla Fregundis, inest;*
*Hocq. maritorum saxo latet illa peremptrix,*
*Quæ è scorto coniux reddita Regis erat.*
*Heu fugite: heu quæ vos dementia lusit Amantes?*
*Heu fugite hinc, ne vel mortua, vos perimat.*

---

# Constantia Claramontia.

46 SECVNDAS NVPTIAS INFELICITER EXPERTA.



Oluit Fortuna varietatis vicissitudine ludibunda, nobilissimæ mulieris patientiæ periculum facere, dùm contrà ingrati animi perfidia, posthabita miseriarum memoria, quæ toties tuendo dominio, bellis ingruentibus repullulauerant, & quibus sordescere quodammodo Regia dignitas visa fuerat, eiusdem conatibus vires addere contendebat. Quid calamitosius Ladislao, insequente Ludouico, Regnum Neapolitanum, intuebatur, cùm deperditis omnibus fortunis, ad Manfredum Claramontium in Siciliam confugere coactus est, à quo ob Constantiæ filiæ matrimonium, grandi erogata pecunia, animos, vires, ditionem recuperauit? Quid detestabilius ab eo factum, quàm vxoris subsidio, superata calamitate, eandem barbarè repudiare? Quid muliere illa constantius, quæ cùm deinceps priuatam vitam duxisset, & Andreæ è Capua Altauillæ Comitis filio, secundis nuptijs ab ipso Rege esset coniuncta, ad viri domum ducta, iniuriarum non oblita, hæc ait; Illud vnum te fortunatissimum, Andrea, efficere potuit, quòd ea concubina frueris, quæ legitima Ladislai Regis vxor coniux omnibus iàm gentibus est cognita. Nurus Margaritæ imprudentia facinus illud ab omnibus reprehendendum accidit. At generis imparitatem in connubijs vitandam edocemur.

Francisci

## Francisci de Petris I. C.

*Viue diù felix, ò vir, qui Regis in altum*
*Conscendis thalamum, impunè tantosq. Hymenæos*
*Polluis, æternum posthac memorandus in æuum;*
*Sic inquit constanti animo Constantia quondam;*
*Sicq. viget, tantisq. notis Constantia constat,*
*Constat & infidi Dyrrachi infamia Regis.*

## Pinti.

*Pectora in aduersis feci constantia rebus,*
*Nec sors dira suis destitit esse malis.*
*Pulcra fui, ingratoq. viro non cognita Regi,*
*Et mihi mutata sors male cessit ope.*
*Quæ Regina fui famulis, populisq. superba,*
*Duxi alij patiens tempora iuncta viro.*
*Cur ergo doleant inopes, si sceptra dolore*
*Viuere pressa suo numina magna sinunt?*

---

# Rosimunda.



Ragicum à Rosimunda facinus editum, nisi pudoris infamia obscurasset, mulieris magnanimitate inter eximia eluceret. Cecidit eius patrem Chunimundum Regem Alboinus; qui mox eam sibi coniugem copulauit. Dolor, qui ex patris interitu acciderat, & ægritudo qua è Regno deiecta cruciabatur, connubio extenuari posse sperabat. Sed ex duriore iàm sorte nouus emersit, & asperior exarsit. In conuiuio enim cùm essent Veronæ, poculo quod ex Regis cranio cõfecerat, Reginæ, patriq. necato insolita lætitia propinauit. Hoc facis Alboine? Hoc audes? Mulierem, filiam, Reginam prouocas? Subitò compressa fortitudine, sæuiente irâ excanduit, & admoto fomite materies ignem concepit. Cum Helmige milite

47 PATERNAM INIVRIAM VINDICANS.

de occidendo Alboino coniurat; sociumq. adhibere Peredeum desiderat. Quem abnuentem assentiri, muliebri arte decepit; nam in lecto suæ Vestiariæ, qua stupri consuetudine Peredeus vtebatur, se supposuit. Cùmq. fraudis nescium interrogaret, quænam esset ea quacum in lecto iaceret? suam ipsius amicam esse respondenti, ait; Quid tu scelestè cum Rosimunda es? Hoccine in Regem scelus commisisti? Alterutrum tibi faciendum delibera; Vel Alboinum interfice, vel te interfectum iri patiare. Erubuit Peredeus, nolensq. in Regem conspirauit, & à vilibus sicarijs fortissimus Princeps interimitur. Helmigem sibi Rosimunda coniugem eligit, atque Rauennam se recipiunt. Ibi Longinus ei persuadet, vt Helmigem è medio tollat; ipsum sibi virum adsciscat. Ad nequitiam procliuis, & facilis bellua, è balneo exeunti poculum salutis præbere simulauit. Qui cùm venenum in media potione hausisse animaduerteret, districto gladio, quod reliquum fuerat, eam bibere coegit. Quamobrem ambo vno momento periere. Crudelitatem post Regis mortem Alboinus exercuit. Quid crudelius? Et paternam necem turpibus sceleribus Rosimunda vendicans, cur pœnas non erat datura?

## Pinti.


*Quo me Phœbe rapis tui*
*Plenum, dùm radijs terra calentibus*
*Ardens promicuit tuis?*
*Vltrà ne exagites (longa via est) pedes.*
*Aegrum corpus iter magis*
*Odit. visam alias, quæ Rosimundam humus*
*Reginam tegat (auspice*
*Ast non absque tua lucifera coma)*
*Quæ tot criminibus fuit*
*Turpis, femineum quæ macula genus*
*(Inter fercula sit licet*
*Vindex morte sui tacta memor patris)*
*Infami Veneris notat;*
*Diros coniugio quæ peperit dolos.*

*Cui*

*Cui vir pocula præbibit,*
*Ausus, & socio quæ insidias tori*
*Tendens, perdere nititur,*
*Exposcens operam creduli adulteri:*
*Quæ ambos cæco Herebo dedit:*
*Extincto gladio coniuge: sed proco*
*Sublato medicamine.*
*Quisnam finis erit, cætera si feram!*
*Eius ne officiat cinis,*
*Vel subter lapidis pondera, fœtidus:*
*Illinc nos erimus procul,*
*Hic læti ad fluuij flamina frigidi.*

---

## Valasca Bohemorum Regina.



Væ virilem sexum inhumaniter perdere, ac prorsus delere desiderauit, quòd à libidine abhorruerit, laudibus in primis efferenda est, nisi crudelitas plus momenti ad suspicionem criminis habuerit, quàm ad rationem salutis. Valasca, vel Vlasda, nisi malueris Blasta, hæc illa est Bohemorum Regina, vt placet Volaterrano, vt verò alijs, familiarissima, & à secretis Libussæ, quæ post Cracum patrem imperauit. Hæc siquidem, quòd muliebre genus insigne arbitrabatur, quòdq. omnibus in rebus auctoritate, viribus, & ingenio valiturum, si vel in disciplinis adipiscendis, vel in Magistratuum muneribus subeundis, vel in rei bellicæ studio, earum periculum fieret, summa constantia prædicaret, alijs mulieribus persuasit, vt in viros impetu facto, seruitutem quam diuturnam vixerant ablegarent, vt tranquilla possent aliquandò libertate potiri, nihil enim turpius ingenua, quàm viuens cogi seruitutis miseriam deplorare. Ipsa copiarum ductrix effecta, indicto bello, signa cum viris contulit, qui victi sunt, profligati, interfecti. Liberam septem annos, veluti Amazones, in libertatem restitutæ feminæ, vitam

48 IN VIROS CRVDELIS

duxerunt. Quis neget, mulierem odio prosequentem viros, flagitiosam, ac inexplebilem libidinem arcere potius, quàm ambitiosè viuere voluisse? Quis neget Valascam mascula virtute Semiramidi præstitisse, quæ cùm bellando maximam semper gloriam præsetulerit, mortuo marito, non tantùm admiserit, sed plerosque ex militibus etiam prouocarit?

## Auctoris.

*Heu fuge complexus teneros, innupta requiras*
*Tempora, dùm plectit magna Valasca viros.*
*Vel dulces adeas potius tu mille Hymenaos,*
*Vt totidem vxores strenuus interimas.*

## Gasparis Cropacij.

*Blasta puellares ducens in prœlia turmas*
*Infert in autis arma cruenta viris.*
*Horribiliq. refert crebros è strage triumphos*
*Dùm præter sexum bella nefanda mouet.*
*Septenne Imperium plenis sibi vindicat armis*
*Ferro subijciens obuia quæque suo.*
*Iàmq. potestatis populantibus arua puellis,*
*Spes quæ restaret parua virilis erat.*
*Vsa dolis quandò perit astu victa, dolisq.*
*Consilio prudens Primislea tuo.*

## Pinti.

*Quis nunc non adipe illinit lupino*
*Postes? pœnituit noua hos marita,*
*(Spreto virgineo toro) dedisse?*
*Reginam metuit, ferox maritis,*
*Quæ bellum pauidis tulit cruentum?*
*Quæ olim consilij fuit Libussa*
*Edocta, ingenio valens, & armis?*
*Absit suspicio, metus recedat,*
*Omnesq. ex animo cadant pauores,*

Lectos

*Lectos quæ fuit impia in iugales,*
*Ne ignoret tumuli bis iacere in vmbris;*
*Sceptro quæ domuit feros Bohemos.*
*Vir lætetur, Io, canat triumphum*
*Mortis: Mors valuit truci Valascæ*
*Neruos conterere, & virilis ausus*
*Vim cunctam. Danai videt sub Orco*
*Natas, assiduo citas labore:*
*Incassum doliј replendi & ipsi,*
*Cum tot, pars cecidit. cauere virgæ*
*Regum quis docuit nigrum Tyrannum!*
*Viuat coniugium: cinis Valasca est.*

## Vanda Polonorum Regina.



APud Polonos celeberrima Vanda illa viguit; quæ Craci ipsorum, Regis filia, Regniq. heres, quarta inter Reges anno salutis 730. Imperij fasces obtinuit. Rara in hac muliere ad pulcritudinem in administranda Rep. fortitudo accedebat, ideòq. alteram ferè Ortigiam ipsam ardebat Ritagoras Germanorum Princeps. Qui eius amoris hamo captus (hamumq. Vanda lingua Polonica significat) & admirarabili prudentia accensus, in qua vndique Regij mores elucebant, procos ad connubium petendum misit. Quibus cùm pudicitiam, & virginitatis dignitatem illa sæpiùs obiecisset, re infecta demùm ad Principem rediere. Quis eum contineat? Bellum parat, indicitq. Polonis. An vt de eorum ciuitatibus victoriam reportaret? Non hercules; sed vt cùm se victum dederet, de eius animo Vanda triumpharet. Mulier verò impauida, viribus magis corporis, quàm lenocinijs certatura, copias, & auxilia cogens, in aciem prodire constituit. Acriter bis conseruit manus, bis hostem fœdè vicit, atque fugauit. Noluit diutiùs viuere Ritagoras; noluitq. Solem sui dedecoris notã posse intueri. Districto gladio,

49 VIRGINITATIS CVSTOS, ET FORTIS.

gladio, sibi mortem consciuit. Vanda, parta Polonis victoria; quòd Dijs virginitatem deuouerat, volens, lubensq. de ponte in Vistulam fluuium se præcipitem dedit, atque aquis submersa, fato cessit. Cadauer repertum, in scopulo, qui mille passuum à Cracouia aberat, condidere.

## Eliæ Reusneri.

*Connubij ob crebram Virgo formosa repulsam*
*Teutoni bello Vanda petita Ducis,*
*Hosti congreditur: vincit: magno ille pudore*
*Incubuit; gladio se peremitq. suo.*
*At victrix: Mea virginitas sit victima vobis*
*(O Superi) per quos est mihi sospes, ait.*
*Rotogari effugi thalamos; sic fata: sub alti*
*Se fluuij rapidas præcipitauit aquas.*
*Bactra Semiramidem, Tomyrim, Scythiaq. ornet, vtrique*
*Quam meus anteferat laude Polonus habet.*
*Aequentur Regnis, æquentur Marte licebit,*
*Aequari Vandæ, quæ (rogo) morte potest?*

## Pinti.

*Cui dulces Charites vultus fudere lepores,*
*Sarmatico hic sceptro Vanda decora iacet.*
*Cur hic perpetuò non rident lilia Vere?*
*Hostis nonne fuit connubialis Hymen?*
*Cur hic non Mauors pinxit victricia signa?*
*Non hæc Ritagoræ bella cruenta tulit?*
*Vistula cur rapido non hic it flumine? an ore*
*Non eius, præceps dùm ruit, haurit aquas?*
*Sin nihil est horum, miseræ hic vos flete puellæ*
*Virgineum vobis deperijsse decus.*

# Ipſicratea.



ILluſtri huic templo deuotam Ipſicrateam quiſquis es, qui veneraris, optimè mulieris virtutis æternitati conſulis, proptereaquòd quauis Fortunæ telis propoſita vita, vt Mithridatem virum libentiſſimè ſequeretur, Regiarum deliciarum oblita, compoſitæ, & delibutæ comæ, madentibuſq. cincinnorum fimbrijs cultris tonſorijs adhibitis, virili habitu ſuſcepto, armiſq. inſtructa, ſancti in coniugem amoris fidem, ſocietate, & mutuis rerum periculis augendam, ornandam, amplectendam exiſtimauit. Victum Regem à Pompeio, animo fractum, ſpe ſalutis deſtitutum, debilitatum ægritudine, per Armeniæ montium iuga, & Ponti anguſtias ſequutum, vna Ipſicratea conſolata eſt, omnemq. dolorem afflicto Regi abſtulit gloriæ renouatione. Amantem habere coniugem, dulce profectò eſt; at eandem habere coniugem, & Ducem, inextimabile. 50 CONIVGVM AMANTES.

## Pinti.

*Regina aſpectum ſubij, veſtemq. virilem;*
*Audij & attonſo bellica crine viri:*
*Hunc ego Caucaſeos Lynces, Tauriq. Leones,*
*Intrepida vidi ſæpè ferire manu,*
*Huic ego, in Armenos communi Marte ſequuta,*
*Pompeiana timens claſſica damna, fui.*
*Prò dolor aſpexi perfracti tela mariti,*
*Sola hunc ſolata eſt Ipſicratea ſuum.*
*Saxa quid impediunt? hæc tollite, rumpite ſaxa hæc;*
*Cur procul hic dulci coniuge ſternor humi?*



Cabadis

# Cabadis vxor.

31 Mni ex parte laudabilior Cabadis Persarum Regis vxor, cuius nomen proditum non est, cuiq. cùm à subditis Regno vir fuisset eiectus, atque in carcerem contrusus, Blaze fratre substituto, excogitanti qua in re coniugi potuisset esse adiumento, vt ea miseria afflictum liberaret, illud Fors obtulit, vt à custodiæ Præfecto adamaretur. Optatis sic respondere visa est, & in amborũ societatem auxilij adhiberi. Sed ne volucris abiret, marito mox rem aperit. Is quòd impudicam non esse vxorem optimè sciret, haberetq. testem animorum conspirationem, salutis causa obsequendum iussit. Liberior deinceps mulieri ad Cabadem in carceres aditus cùm pateret, aliquandò ingressa, vt custodem falleret, accepta Cabadis veste, illum sua indutum egredi passa est, absque dubio seipsa necis pignore constituta. O singulare amoris testimonium. Vt coniugis saluti consulat, ipsa emoritur? Quæ vnquam memorabile facinus delebit obliuio? Quid Cabadi obijciam? Ingratitudinem, infamiam, omnium ferarum crudelitatem. Ipse enim ad Hunnos tutò profectus est; ipsa, Regis iussu interempta.

## Pinti.

*Se marem effinxit præcauta Semiramis olim,*
*Ne ruerent nati sceptra superba Syri.*
*Tu quoque pro dulci mentiris coniuge vestem,*
*Regia ne clauso vincla molesta forent.*
*Re gesta vtraque excelsè patet ardor amandi,*
*At Regina tuus quàm mage claret amor.*
*Illa necis nullis adamauit cara periclis*
*Pignora, at ipsa viri cogere inire vicem.*

II.

*Clausam non cæco, ditem sed lumine amantem*
*Cerne, quid & pietas connubialis agat.*

*Vir*

III.

*Vir meus hinc astu (vultis quæ vera fatebor)*
*Exijt, hinc habuit (me inueniente) fugam.*
*Non ne videbatur passum discrimina Regem,*
*Coniuge me, hinc saluos, vindice, ferre pedes?*
*Pœnas ipsa lubens patiar quascunque iubebunt*
*Iura: sit incolumis vir: mihi dulce mori est.*
*Sic ait excubijs, mentita in veste Cabadis*
*Fida vxor, diram mox subitura necem*
*Saltem ait, vt pateat magis hic vxorius ardor,*
*Exuite, & maris Regia palla cadat.*
*Quis tantum, stupidus facto, condemnet amorem,*
*Quæ non Reginæ corda miserta fleant?*

## Ascanij Colellij I.C.

*Inclyta femineum sociali veste pudorem*
*Contegit, auratas carcere tonsa comas,*
*Succedit fallax clemens Regina marito,*
*Coniugis exuuijs credita vir mulier,*
*Custodes fallit, fugit hic sub imagine amantis*
*Altera pro optato coniuge restat amans.*
*Et tandem occubuit, libuit non fallere amorem,*
*Quem Deus haud ficto numine fixit amor.*
*Felix o nimium pietas, cui ius datur vni*
*Fallere posse homines, vincere posse Deos.*

Eiusdem.

*Persarum domitrix magnis Regina trophæis*
*Hoc viuo viuens clauditur in lapide.*
*Aemula Romulidum, rapuit quæ ex hoste triumphos,*
*Ante pedes vidit sceptra superba ducum.*
*Imperio cedens, aduerso Marte triumphat,*
*Coniuge pro moriens, vincere se voluit.*
*Quid tu Cæsareos tollis Roma inclyta fastus?*
*Is victor, nunquam vincere se potuit*

T *Imperio*

*Imperio hac maior, Regum bene nata coronis,*
*Sola triumphali numine te superat.*

## Cleopatra.

52 REGIAM DIGNITATEM DETVRPANTES.



N Aegyptiam Venerem prætermittam Cleopatram? Amoris illa,non Serapis, Isisve Maga; Amoris, inquam, pabulum, in quo fluctuauit incertis erroribus ardor amantum. in Cn.Pompeij filio primùm, dùm puella esset, cùm ille in Aegyptum à patre ad cogendā classem,opemq. petendam missus est. Deindè in Iulio Cæsare,ad quem Alexandriæ obsessum,deserto fratre,vt seipsam,regnumq. traderet,confugit. Et qua industria cùm tutò transire non posset? Mira vis Amoris. Suberant stimuli, allecta cupidine,ardescentis pectoris flammas ostentauit. Nam Regiam exuta dignitatem, culcitam induit, in qua veluti sarcina inuoluta, portarum custodes deludens, ab Apollodoro ad Cæsarem portatur. Ligari passa est, quæ vel aspectu, quo nihil præstantius Natura effinxerat, vel sermone, quem variarum linguarum callens dulcissima Siren alliciebat,quoscunque poterat mirificè deuincire; pannoq. includitur, quæ omnes Veneres oculis, artes ingenio, mente Imperiorum moles, Cupidinum simulacra corde claudebat. Quid verò Cæsarem accusas, quòd insolita venustate captus, quam in nulla Romanarum viderat,vel si mille Lucretias nosset, cœco vulnere languens tabuerit? Quid victum orbis victorem damnas, vbi egregia victrix, exuctis medullis, ignea spicula contorquebat? Sed vince Magnum Cæsarem Cleopatra; ille enim occiso Ptolomæo, subacto Aegypto abijt, Cassij, Brutiq. morte audita; tu verò in Amoris finibus, edito sibi Cæsarione filio, relicta es. Adoleuit lasciuia M.Antonij aduentu, qui in Asiam profectus, quamuis de Parthico bello cogitaret, Aegyptum tamen subijcere statuit, & misso Q.Dellio Senatore, Cleopatrā in Ciliciam accersiuit. Suam illa ipsius formam timori obiecit, nec Roma-

nam

num Ducem Fascis Cleopatræ ingenio submissurum verita est. Parata naui Cydnum flumen prærernauigauit. Strata nauis auro erat, quam purpurea vela, fulgidumq. argento remigium impellebant. Militum loca in foris ancillæ Nympharum habitu succinctæ,& pharetratæ occupabant; ipsamq. sub cœlo gemmis distincto recumbentem, veluti Cupidines formosuli pueri circumsistebant, tibicinum, & citharædorum modulamina ripis resonantibus, in quibus passim dispositis aris thura, odoresq. Sabæi fragrabant. Iàm venit Antoni, in quam iuuenis in Alexandriam Gabinium sequutus, præfectus Equitũ, oculos inieceras; iàm venit, quam damnandam censebas quippè suppetias Cassio tulerat; sed venit te miserum damnatura. Quis eam supplicem cernat,nec se supplicem dedat? Cuiusnam ardentem iram lacrimulæ non restinguent? Cedit Romanus Princeps,& saucius omnium victoriarum Trophæa in Cleopatræ desiderio collocat, & veneratur. Bellorum curas posthabet;mulieris militiam appetit; ea sibi cordi est. Prodit illa fidens in blanditiarum aciem. Confert ille signa, & vltrò lacessit hostem. Ferit illa; vulneribus ille delectatur; nec vnquam receptui voluptatibus canere iubet,continuò certaturus. Cœnat cum ea.vincitur magnitudine,in aceto liquescente margarita,quacum amatoria venena hauriens,à noua Circe sic deluditur, vt totum se leporibus tradens, neglectis Fuluia, & Octauia, cum sua Cleopatra perierit, cum ambobus Aegypto pereunte. Quid si Octauium vicisses? Squalida veste assidebas in lecto. Sed nec Cæsaris patris litteris, tantum Imperatorem flectere potuisti, nec Statuis permouere,nec ferire oculis, à quorum ictibus timens, deflexit cùm tecum loqueretur, suos. Cuius vt triumphum non ornares, vel ab acu venenata, qua ad cincinnos vtebaris, vel ab Aspide de tua morte maluisti triumphari,

*Sæuis Liburnis scilicet inuidens*
*Priuata deduci superbo*
*Non humilis mulier triumpho.*

T 2 In eius

## In eius statuam Claudij Contuli Perusini.

*Si tàm mollis eram, quàm scit Romanus amator:*
*Cur ergo decuit fingere marmoream?*

## Pinti.

*Hìc ego qua nascente, Venus, nunc decidit, inquit,*
*Et Gnidi, & ille meus cultus, & ara Paphi:*
*Altera namque ipsa, in regno est Cleopatra Canopi,*
*Quæ, meo (vt est mea spes) vindice Marte, ruet.*
*Nil ego plebeio turpaui pectora amore,*
*Quis me Romuleos nescit amasse Duces?*
*Bella dedi, aduersaq. tuli discrimina fortis,*
*Tristia quo ferrem sat bene suasit Amor.*
*Quantum possit amor, cœna dic gemma superba:*
*Corpore sed nostro gemma minoris erat.*
*Quid non fecit Amor? deuicto, fecit amante,*
*Vt cubito inferrem dira venena feræ.*
*Quam sit mirus amor, deuerso hoc cernite saxo:*
*Feruet adhuc gelidis ossibus ignis amans.*

---

# Ioanna I. & Ioanna II.



53 54 Rimarum fortasse partium in hoc Proscenio actrices erunt duæ Ioannæ. Altera Caroli Calabriæ Ducis filia, Roberti nepos, cui satisfecisse crediderat, si Andreæ Caroli Vmberti Hungariæ Regis, Caroli Martelli primogeniti filio collocatam, in Regno Neapolitano post eius obitum confirmaret. Celebrantur in D. Claræ nuptiæ ab Americo Cardinali S. Martini in Montibus, Clementis VI. Legato, à quo sollemniter Regni Corona in summorum Principum cœtu, insignita est. At quibus gemmata radijs Corona præfulgebat?

gebat? Siciliæ,& Hierusalem Regni titulo,Apuliæ Ducatu; Salerni, Capuæ, Prouinciæ, Forcalqueri Principatu, addita Athenarum ditione, quam per Ludouicum Maramontem, & Nicolaum è Prato Licienfibus Ducibus fuerat adepta. Potens ea ætate Regnum,floridumq. sub Italo cœlo amœnissimè constitutum. Stemma nobilissimum addere non pigeat,quo omnibus fere Orbis Regibus erat coniuncta. Erat ne Ioanna quisquam tunc potentior? Sed mariti dolosa nece, impudicitiæ ardoribus perpetrata, omnibus meretricibus ignobilior habita est. Qua excusatione facinus obuoluitis, qui ab hac Regina infamiã arcetis? Auersæ noctu in lecto erant; cum iuuenem vix decimumnonum annum agentem (cum lacrimis narro) aulici vt assurgeret monuere,multa enim grauia Neapoli nunciari dicebant. Assurrexit miser; Ecquid rei esset percontantem, laqueo necatum è fenestra suspenderunt. Ergò Ioannam illud non resciisse fingitis? Quì? Scelus illud impium, inconsultò cur esset admissum? At, alium illa virum cupiebat; stolidior habebatur Andreas. Atque hæc impudicitiam antiquare valeret? Regem nec sontem, nec huiusmodi pœnæ meritò obnoxium, coniugis arbitrio, tàm infausta, & immatura morte perijsse? Alteram Caroli III. filiam, *Quam nec Argus seruet, qui oculeus totus fuit*; Ladislai sororem, ad Regni amplitudinẽ eadem illustrissima serie ortam, libidinibus veluti hereditario iure mancipatam,procorum petulanti turba obsessam, infimorum hominum concubitus petentem, Regni Neapolitani excidium appellarem, nisi Aragoneos Reges diuinitùs euocasset; per eos enim Austriorum dominio, Catholicorum Regum felicissima serie, parta omnium rerum pace tranquillissimè subiacet. Ceteroqui, coniugibus perfida, filijs electis infidelis, fratris clientibus ingrata, subditis iniqua, in ipsum Alopum amantem crudelis, bellorum,atque calamitatum, viua, mortua, fomes. Coniugum copia quibus Ioanna I. nupserat, impudicitiæ famam sustulisse contendunt. Iacobi coniugis connubium violatis prius nuptijs cum Gulielmo Austriaco, cuius vidua relicta fuerat, Ioannam II. coniugali lege contempta, reddidit dedecoris macula turpiorem. Muri in Apulia

illa

illa perijt laqueo necata, & Neapoli in D.Claræ sepulta. Hæc verò, intestinorum doloribus decedens, in D. Annunciatæ fuit condita anno 1435.

## Pinti.

*Regia Maiestas sermone silentia rumpi*
*Non sinit? Heroum liceat maledicta profari.*
*Sanguine Regali creta, solioq. timendæ,*
*Ioannæ, cur grata Venus, ludusve, iocusve*
*Cæca libido fuit, luxus, fœdiq. furores?*
*Obscenis populos maculastis legibus vrbes,*
*Indignæ heu sceptro, dignæ quàm falce saligna.*
*Plurima me grauia exagitant delicta, pudicis*
*Vestra exuta modis. plura his afferre licebit,*
*Qui contra assurgant, Momis. nostræne camœnæ*
*Nil ausint in vos aliud depromere? probris*
*Turpe putent adeo turpes maculare coronas?*
*Atqui Christiades atavi videre, sepultas*
*Et nos Parthenope veneratur marmore templis.*
*Sed vos cur vario fœdastis crimine vitam?*
*Regibus an non sunt culpæ quæcunque vetandæ,*
*Subdita ne exemplum gens sumat? culmina montis*
*Sole carent? imane ferent sua lumina valles?*

## P. Sansosti.

*Ioannæ pluat huc Iouis alto vertice nimbus*
*Aurifer, atque auro clara sepulcra fluant.*
*Littore quin spumis Cythereia mittat Eoo,*
*Aut tua tela puer mitte parentis Amor.*
*Hæc ne templa subi: cuncta hinc obscena facessant?*
*Non licet impuro tangere pura pedi.*



Anna

# Anna Gallorum Regina.



Vos honores deferam Annæ Francisci Britanniæ Ducis filiæ, Carolo VIII. primùm, deindè Ludouico Regibus nuptæ, cuius memoria honore immortalitatis consecrata, in dignitate rerum, & reconditæ Maiestatis amplitudine constituta, optimè, & gloriosissimè regnandi materiam præbuisse, & omnibus Regibus imperandi prætulisse facem visa est? Carolum Regno Neapolitano, totaq. Italia memorabili victoria potitum, fuisse amplexam, magnum existimo; & Ludouici coniugio, in quo omnia plena conspiciebantur iustitiæ, clementiæ, atque mansuetudinis, parem fortunâ adiungo. Illud verò maximum quis neget, præstanti animi robore Reginam omnibus vitijs profligatis, ex eorum manubijs Virtutis templum ornasse, in qua & sermo ab ineunte ætate canuit, & actiones iàm indè suam quandam maturitatem, & quasi senectutem habuere; dùm quotidiè regnâdi disciplina ingrauesceret, & summa gubernandi prudentia, optimis moribus, & consilijs assueta, perfectam fuerit laudem consequuta, ipsaq. veluti Sol, Galliam, seipsam, suos, orbemq. sua luce compleris? Virtutes numerato. Constans, sedata, grauis, humana omnia premens; ideòq. fortis, & magnanima. Simplex, veritatis amica, minimè fallax; idcircò sapiens. Aequa mercede digna in miserorum defensione, improborumq. odio. Eò fortior, quòd nihil temerè facere, nulla in re libuit temerè assentiri. Diuitiarum contemptrix. Omni litterarum generi dedita, quarum iudicio, multis doctis viris, quibus cum libenter consueuerat versari, liberaliter profuit. Maiora retices? Ad relligionis pietatem, sanctimoniamq. orationibus, cultu, pietate migrauit, vt penè diuinâ dignosceres. Quamobrem anno 1513 defunctam multæ inter se contendentes ciuitates expetiuere, vt honestissimo, & gloriosissimo corpore ornarentur. Atque ità Blesium interiora, Cor Nancesium, corpus, S Dionysij templum seruarunt. Claudia ex ea, & Renata ortæ sunt, altera

55 VIRTVTVM SPLENDORE FVLGENTISSIMA.

Francisco

Francisco primo maximo Regi, altera Herculi II. Ferrariæ Duci matrimonio coniuncta; virtutis, gloriæ, sanctitatis fructus, quos posteritas cœpit, exegitq. immortalium gestorum in hisce Principibus Aeternitas.

## Pinti.

*Sacra Dionysio est ædes, hoc, Anna, sepulta es*
*Marmore, quam Rhenus murmure plorat aqua.*
*Ad ripas lugens Virtus, Regina, capillos*
*Abscidit, & tristis funera fleuit Honos.*
*Aonidum chorus hic, Phœbi hic lacrymantur alumni,*
*Præmia qui digitis ampla tulere tuis;*
*Galliæ & æquantis canum lac nomine, req.*
*Os quid habet madidum? nil nisi nigror habet.*
*Cur ego non toto lacrymas dem pectore, quando*
*Nuper eras, quin es nunc mihi visa mori?*

---

# Margarita Austriaca.

56 ADMINISTRANDA REP. ADMIRABILIS.



Ot Heroibus hæc circumsepta illustrissima Heroina Margarita est, cuius dùm ortum poscis, inuictissimi Caroli V. Imperatoris filiam Oudenardi natam admirare. Dùm nuptias expetis, alteras in Alexandro Mediceo Florentinorum, alteras in Octauio Farnesio Parmensium Ducibus commendato. Habuere paranymphum primæ Clementem VII. cuius hortatu celebratæ sunt. Habuere affinitate coniunctum secundæ Paulum III. cui nurus obsequentissima, patris Maiestatem, qui orbem domuit, soceri amplitudinem, quæ Romanæ Ecclesiæ Monarchiam ornauit, viri virtutes, quibus pristinum Italiæ decus est restitutum, prudentia qua viguit, consilio quo floruit, virilitate qua excelluit, admirabiliter æquauit. At verò dùm nuptiarum fructum cupis, habeas in filijs, tùm in Alexandro præcipuè vberrimum, qui immortalē diuturni belli, maximi

maximi laboris, summi in Christianam Rempublicam beneficij, in Austriacos perpetuæ obseruantiæ, in Romanæ Ecclesiæ rebelles terroris, & vindictæ gloriam tanta cum sui præclarissimi nominis laude attulit, vt cum eodem fatis cedente, belli, paciſq. honores, præstantium Ducum fama, victoriarum trophœa, vrbium vastationes, interniciones hostium deperijsse visa fuerint. Quis Alexandro fortior, formidolosior? Quoties ipso Belgium obtinente, malorum incendium restinctum est? Quoties ad aras, & focos extorribus confugere licuit? Quoties ex miseriarum gurgite eius auxilio tot afflictis licuit emergere? Hos Margarita fructus tunc protulit, cùm edidit Alexandrum, quem ad omnia quæ ipsa inchoauerat summa felicitate conficienda, ad nepotibus gloriam maxima celeritate comparandam augurabatur. Regendis ipsa populis virilem gessit animum, quæ nunquam socors, nec futurorum secura, aut præsentibus inhians, inter incerta auiditate muliebri festinabat; quæq. fluctuantes, diuersarũ opinionum tempestates, & bellorum turbines afflatu quodam ferè diuinæ prudentiæ, & vigilantiæ, aut repressit, aut obsecundauit. Tanto in patrem amore, vt cùm Romæ resciſſet Carolum pro Gallico bello indigere, margaritas omnes, omne supellectile vendiderit, vt illi esset adiumento. Tanta in virũ beneuolentia, vt ab Imperialibus post Petri Loisij obitum obsessa Parma, licet pater monuisset, vt indè aliò se conferret, eandem fortunam cum viro sequi constanter deliberatit. Philippi II. fratris ditioni apud Belgas plurimùm dignitatis adhibuit. Illustrem operam Catholicæ Fidei nauauit, perduelles repulit, factiosos sustulit, bonosq. omnes optimæ suæ voluntati subiecit. Dùm Aquilæ commoraretur, Ioannes Austriacus cum selecta Principum manu per dispositos equos tota Campania, & Samnio publicè exceptus eam inuisit, quasi ad omnium virtutum, & dignitatum oraculum accessurus. Ibidem paulò post de Margaritæ interitu populi dolentiùs deplorarunt. Nouercam virili mulieri naturam fuisse, barba qua mentum vestiri percupiebat, quamq. alebat, significauit.


## Pinti.

*Quid nunc multa tibi carmina molior?*
*Tu illa es clara tuo nomine Margaris:*
*Tu clara Austriaco sanguine: tu viris*
*Clara es nobilibus, clara potentibus,*
*Clara es legitimo prole data toro:*
*Tu Quincto Karolo clarior es patre:*
*Tu clarissima tot dotibus extimis,*
*Es mirè tu eadem dotibus intimis.*
*Na rem magnam habui semper, ab vbere*
*Fortuna, & generis sugere lumina,*
*Sed maius fuit hoc, si haud animi bonis*
*In regno careas. Florida Regibus*
*Est vrbs ciue bono, lamina, & aurea,*
*Regnatis populis, plurima cuditur?*
*Si virtus prope sit, digna potentia est.*

---

# Maria Medicea Gall. Regina.

57 FELICISSIMAE.



QVid? Coæ Veneris pulcritudinem in Maria Gallorum Regina imitabor? An simulacro Iouis Olympij in Henrico Borbonio maximo, potentissimoq. coniuge nō deterrebor? Apelles vnus alteram conficiat; quis prætereà venustatis speciem, grauitatis dignitatem, totius præstantiæ lineamenta colorabit? Candidulos dentes, suauem colorem, venustos oculos laudas? Cur Naturam ipsam pingentem non admiraris, quæ & decus omne, omnemq. leporem in muliebri hac forma admirabili compositione collocauit, cuius aspectu cùm obstupuisset Rhenus, extrà virides, atque opacas ripas diffluens, non modò suis, sed exteris quoque perlucidi liquoris sonitu encomia cecinit? Alterius speciem exprimat Apollodorus, qui in ea Maiestatis plena imagine gloriam conferat, non Sacerdotem adoran-

adorantem, aut Aiacem fulminantem faciens, sed Henricum Christianissimum, victorem maximum, perpetuum triumphatorem, quo nec Lisander felicior, nec Alcibiades potentior, nec Iphicrates in militari disciplina eruditior; qui charitate in suos Epaminondæ, bonitate Phocioni comparandus est; Catholicæ Fidei Sacramentorum frequentia, veræ Relligionis cultu sedulus obseruator, bellorum confector; Regnorum stator, flammarum restinctor, sæuientium tempestatum, prudentiæ, & fortitudinis munere depulsor. Cùm Henricum dicis, Martis fulmen, Gallici nominis propugnaculum, firmissimum Regni præsidium dicas. Quid eum Polignotus Thasius pingeret, thorace, clypeoq. continuo obtectum, mulieres lucida veste pingere assuetus? Quid Parrhasius capillos, sudore madentes tot annos galea redimitos? Quid idem in Henrico linteum effingeret, quem Bellonæ paludamento noctes, atque dies præcinctum commilitones conspexere? Nec vuas Zeuxis tunc pingat, cùm eius gladio viderit tellurem sanguine redundantem. Sed à coloribus recede. Praxitelem aduoca, qui Boni Euentus simulacrum cum hoc maximo Principe illustriùs inter Heroes collocaret. Animum in Mariæ parentes aduerte. Mater Ioanna est, filia Annæ Pannoniæ, Bohemiæq. Reginæ, Ferdinandi Imperatoris filiæ, Maximiliani sororis, Caroli Quincti, & Rodulphi neptis, Philippi Catholici consobrinæ; Magni Cosmi, à quo terrarum orbis omnium rerum ornamenta accepit, nurus; cum tot Imperatoribus, maximisq. Principibus consanguinitate coniuncta. Pater, Franciscus Mediceus Etruriæ Magnus Dux, Italiæ delicium, Magni Ferdinandi frater, qui vel amplissimo Romano sacro Senatui adfuerit, vel ad gubernacula Reip. sedeat, clauumq. tanti Principatus tractet, consilio valet, viribus pollet, gloria rutilat, omnibusq. splendoribus Europam illustrat; terra celebris, mari formidolosus, vt vel ad Antipodes Mediceorum nomen, & fama percrebescat. Sed altiùs repete Catherinam, Laurentij Medicei Vrbinatium Ducis, & Magdalenæ Bulicneæ ex antiquis Galliæ Comitibus filiam, quam Henrico filio Franciscus Rex vxorem copulatam, Reginam, matrem, tutelam, administratricem Gallia, nec multò

post Rex Catholicus ob Lisabethæ coniugium, socerã salutauit. Quis nam rerum magnarum apparatus? Quis Regnorum, atque Imperiorum campus? Quæ nuptiarum celebritas? Et quàm celeberrimas inter Archiducis Austriæ natam, Margaritæ Hispaniarum Reginæ sororem, & Etruriæ Principem expectamus? Vt quatruplici Etrusco, Gallico, Hispanico, & Germanico nexu, quem Christiana ex Lotharingica, & Valesia Regijs familijs nobilissima, Ferdinandi fortunatissimo coniugio conglobat, orbis ipse videatur obligari.

## Pinti.

*Te lepidam vultu tua gens miretur Etruscam,*
*Miretur Charites Gallica terra tuas,*
*Mirentur cuncti claro te sanguine natam,*
*Mirentur thalami connubialis opes.*
*Mirificè es quisquis dicat Regina: Mydeas*
*Tu pretio exuperas vna Maria minas.*

## Eiusdem.

*Te Regi nuptam Henrico cùm Rhenus haberet:*
*Nunc mihi, ait, gaudens inchoat ire dies.*
*Nil ego, dùm tanta hæc me exornat Etrusca Maria:*
*Inuideo fluuijs, Itala terra, tuis;*
*Cedere, dixit Iò possunt mihi læta Malæa,*
*Cedere & auferi cuncta fluenta Soli.*
*Hic sileat Rhenus: nostra hæc, Regina, capesse,*
*Ne tibi cum fluuio carmina fusa fluant.*



Leonor:

# Leonora Medicea.



Ed ne hanç imaginem prætereas ab Aeuo Sempiternitatis penicillo pingendam. Leonora hæc est, Mariæ soror, quæ vel omnes Reginas virtutum magnitudine, regnandi prudentia, Iustitiæ vsu, iudiciorum moderatione, morum candore, vitæ sanctitate splendidissimè coronat. Mentem, rationem, consilium tantæ mulieris huiusmodi probauit oculatissimus ille, fortissimusq. Dux Vincentius Gonzaga, quem ad perpetuam aliorum Principum gloriam, amplissimæq. dignitatis conseruationem natum nouimus, vt moderandi, & regendi potestatem quasi quasdam habenas ei tradiderit, quas quidem nec adducit, nec remittit temerè, & inconsultò Leonora, quæ suorum Iurisconsultorum placita audire, atque perpendere commodissimum populis existimat, vt ferè iuridicundo adsit, præsitq. vt optima gubernatrix auitos honores, quorum exemplo quiduis iure factum putat, omnibus in rebus æmuletur, & ab indecore, & effeminatione, dùm sedet, dum loquitur, dùm quidpiam agit, incolumis, & indemnata, suprà illustrissimarum mulierum famam exiliat, atque triumphet. Adde filiorũ thesaurum. Quis æstimet Franciscum Principem, cui nuper vxor Sabaudiæ Infans Margarita lætissimis orbis auspicijs vxor est tradita? Nec Mincius, nec Padus æstimet, quorum vndæ aureos Bucentores sustinuere, quibus augustissimi sponsi vecti sunt; nec Ferdinandus Gonzaga, qui nouam nuptam Ducum nomine ad Viadanam inuisit; nec Veneti, Florentini, Germani, Galliq. Legati, qui in nuptiarum sollemnibus suorum Principum lætitiam repræsentarunt; nec procerum aduentus, nec militum numerus, nec ludicrorum apparatus, quo nusquam illustriorem quisquam narrabit. Nisi Virgilio illud tribuamus eo vaticinio, 58

*Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas,*
*Et viridi in campo templum de marmore ponam*

Propter

*Propter aquam; tardis ingens vbi fluxibus errat*
*Mincius, & tenera pratexit arundine ripas.*
*In medio mihi Cæsar erit, templumq. tenebit,*
*Illi victor ego, & Tyrio conspectus in Ostro*
*Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.*

Quis æstimet Ferdinandum à Paulo V. in Cardinalium numerum cooptatum? Quem dicam hunc lectissimum iuuenem? An Gonzagæ amplitudinis epilogum? An sacri Senatus splendorem? Dicam & Naturæ miraculum; Theologicis, Philosophicisq. studijs apprimè imbutum; Iurisprudentia præclarum; Linguarum cognitione alterum Maximilianum Imperatorum affinem; Liberalibus, atque ingenuis artibus præstantissimum, quem non laudes, sed admireris; qui vix tertium decimum annum attigeras, cùm in Euangelia Quadragesimalia eruditissimas Homilias Ingolstadij edidit. Quæ narro? Quæ balbutio? Quæ Octauius Gentilis de eius obseruantia optimè meritus, quæ Alexander Viustinus Placentinus Iurisconsultus, in os ingessere. Quæ à meipso proficiscuntur, ea sunt, quæ Solis lumina offundunt. Adde & Margaritam Lotharingiæ Duci coniunctam,& puellulam Leonoram,vtramque incomparabilis pulcritudinis exemplar. Quamobrem dùm Mantua Manthùs, suiq. Vatis memoria viget,Vincentij, Leonoræ,liberorumq. dominio inter Europæ felicissimas vrbes caput efferat, tesseram Fortunæ Diuina voluntate semper habitura. Dicam ne Leonoram, Lisabethæ Gonzagæ Federici filiæ, Guidi Vbaldi Montisfeltrij sororis,Susannæ,Camillæ Colisani Comitis, Iuliæ quam Ludouicus genuit, Hippolitæ, atque aliarum pudicitiæ, fidei, constantiæ, sapientiæ, ceterarumq. virtutum epitomen?

## Pinti.

*Si nostri caperent oculi rediuiua Maronis*
*Lumina, Gonzagæ ducere secla domi:*
*Ille viri, Dux magna, decus, sobolisq. nitorem,*
*Cantu virtutes promeret ille tuas.*

Par

*Par opus, Augusto quo laudes concinit aquas*
*Ederet, & felix ter magis ipsa fores.*
*At pro Virgilio lecti omnes surgite vates,*
*Aemula det tantum vestra Poësis opus.*

II.

*Lumina claudebat somni sub rupe virenti,*
*Qua scopulos Tethidis verberat vnda, quies.*
*Fulua aspecta mihi pennis tum magna volucris,*
*Rostro scripta ferens aurea verba dedit:*
*Eleonora tuo iunges ter maxima nato,*
*Heroum insignes, numine recta, toros.*
*Vrbs tibi Cadmeiæ genitricis nomine Mantus*
*Structa Ocno, debent Allobrogumve Duces.*
*Alitis ex ore hæc cepi: mihi somnus ocellis*
*Excidit, & rupes dat bene læta moras.*
*Excitus hic tanto felix est omine, felix,*
*Cuius habet meritos Eleonora sonos.*

III.

*Dum sic in miseros pietatis lumine fulges:*
*Iure canat nomen Calliopea tuum.*
*Te Nympha orta loco, lento it quà Mincius amne,*
*Cantibus in ripis, Eleonora, ferat;*
*Concine Nympha, tuo quàm dulce est ἔλεος ore,*
*Fronteq. iucunda sic fluuialis eas.*
*Vtere & ipsa tuis numeris, mea Musa: beatum*
*Hoc habeas, tantæ perplacuisse Duci.*



IO.

# IO. BAPTISTAE MANSO
## PATRONO SINGVLARI.





Nter nobiliſsimas Matronas, doctaſq. Mulieres, tua plurimarum virtutũ gemmis ornata ſedeat antiqua Nobilitas, & quæ in ipſis ad ethicos mores, & ad immortalitatem valeant, æſtimet, & iudex eſto. Iudex? Auctor potius, quæ adumbrata mea ſcripta ineptiùs, Ariſtotelicis pigmentis quorum luce ingeniorum acies ſcribendo, loquendo perſtringis, ex Lecythis omnium doctrinarũ coloret illuſtriùs. Pigmæum deſpicis? Fiam medius fidiùs te volente, Atlas, cœlumq. ſuſtinere videbor ambitioſiùs, ſi dùm totus in te obſeruando ſum, grati animi propenſione ſubleuaueris. Vale.

# Ligarij vxor.



Nter damnatos ab Antonio Ligarium inimici, vt capite plecterent sedulò expetebant. Ad multas ille artes confugiens,vt saluti consuleret,vxoris demum auxilium, opemq. poposcit (quæ tutior esse creditur dùm syncerus amor, honestaq. fides intercedit) per quam facilè calamitatem illam euasisset, nisi nefariæ seruæ insidijs esset oppressus. Incidit in eius sanguinem sitientes miser. Mulctatur capite, quod dùm ad Antonium lætabundus deferebat Sicarius, vxor infelix insequuta, vt mortis consors haberetur, plorans, eiulans,scissa comas clamitabat; En Ligarij coniugem,quæ cùm virum contrà ius absconderim,ad necem ipsa quoque ducenda, necis iura à vobis obtestor; occidite me obsecro; interficite conscIam; eadem mihi pœna luenda est. At nemine id facinus audente, Iudices vltrò adiuit,moriendum sibi esse, eos decreturos, arbitrata. Quod cùm ex animi sententia non cecidisset, seipsam sibi iudicem constituit, & fame sibi necem inferre statuit, cui gladio simul cum viro non licuit necari.

MATRONAE. I CONIVGVM AMANTES.

## Pinti.

*Crinibus hìc passis populo conspecta Quirini,*
*Contumulor: precor, hìc siste viator iter.*
*Hoc ne te fugiat, charum vixisse maritum,*
*Charum, deseruit dùm nece viua, mihi;*
*Huius ego caput abscissum lacrimata sequebar,*
*Angebarq. vnà non potuisse mori.*
*Ingenium, ac tanto non ars defecit amori:*
*Quod negat hinc ferrum, mi hinc finit esse fames.*
*Hinc abeat coniux laribus rixosa Hymenæi,*
*Nostroq. exemplo discat amare virum.*

# Eponina.



2 IN multos perduellionis actiones in Gallia intendebantur, cùm Vespasiano Imperatore turbæ in ea prouincia essent excitatæ, in primis verò in Iulium Sabinum potentem, & factiosum virum. Cùmq. ad arma ventum esset, victis Gallis, Ducem ad supplicium vocauit Imperator. Qui de salute desperans, ne in victoris irati manus deueniret, nemine præter duos libertos sciente, in speluncam se abdidit saxis structam asperis, auiam, quò nec vllum animal penetraret. Nunquam arescentibus lacrimis coniux Eponina in tanta acerbitate virum quæritabat. Afflictam, nihil erat quod consolari potuisset; præsentia tantùm viri posse recreari dicebat. Quamobrem eam quæ triduò fame penè contabuerat, liberti miserati ad virum clàm duxerunt. Quis à viro deinceps amantem dimoueat? Deserta loca, ciuitati anteferre; solitudinem, quæ fructum aufert voluptatum, appetere; viri miseriam sibi subleuandam cogitare; viuam cum coniuge sepultam iacere, honestius arbitrari, quàm absque viro viuere, quicum mortua ibidem contumulari, putabat gloriosum. Nouem ibi annos libertorum fidelitate, & solertia fuere, liberosq. procrearunt, sola charitate ministrante. Re denique patefacta, Romamq. deductos, sæuus Imperator occidendos iussit. Ah scelus. Tanto facinori commiseratio non debetur? Quo præmio muliebris fides, quo mutuus amor in tanta calamitate dignus erat? Occubuit cum suo viro Eponina, immortalitatis fama nunquam interitura.

## Pinti.

*Dùm thalami socium tanto petis igne Sabinum,*
*Dùm solo illacrimas intaminata toro;*
*Dùm domui vrbanæ spelæa latentia præfers,*
*Ne procul à caro sint tua lustra viro:*

Quæ

*Quas tibi promeritas laudes meditabor honoris?*
*Digna sepulcrali quæ dabo dicta sinu?*
*Paucis multa canam: iacet hic Eponina, mariti*
*Cui sua collibuit subdere membra rogis.*
*Illius æternùm moneat te, Roma, iugalis*
*Sic mage notus amor, sic mage nota fides.*

---

## Glaphyra, & Cornelia Annia.

E connubij pudore seruando, & augenda fide 14 post viri interitum constanti animo cogitabat Glaphyra, nullo quidem scriptore celebris, sed memorabili in coniugem amore, marmoreo monumento clarissima, in quo quid potissimum admirer nescio, coniugalem ne obseruantiam, an Latini sermonis candorem, quo huiusmodi elogio illustris femina claret,

*Glaphyra Glaphyri Lusci filia adfecta adeò cineribus C. Lutij Fausti mariti, heu rarissimi, vt ad alium transire nunquam voluerim. Etsi Fortuna præpotens, constantiæ semper inimica, surdo discrimine, pudicitiæ placidam ruinam minabatur, & viridis ætas fidem coniugij violare impellebat; inter vtrasque tamen fluctuans mulier menses vij. dies xi. non tàm corpus cœlebes, quàm animum pudicum seruaui. Et ne à tantorum domestica hostium pugna continuò augescente vincerer, procorum petulantem turbam fugiens, viuam me condidi monumento. At posteri si inuidetis, imitamini; si quis verò probauerit, probetur. sin improbauerit, improbum se esse sciuerit. Vale mors. Vixit annos xij. Salue vita perpetua.*

An ardentius aliquam virum amasse Glaphyra dicemus, quæ mortuo suæ ipsius vitæ dispendio parentauit? Et faustè inter homines vixisse, & interijsse Faustum dixerim, (si antiquorum ritus inspexeris) qui post mortem, concordi obitu, pudicitiæ illustri argumento, habuit vxorem morientem. Idem seruatum legimus à Cornelia Annia.

P. CORNELIA . ANNIA
NE . IN. DESOLATA . ORBITATE . SVPERVIVER. MISERA
VIVAM. ME.VLTRO. IN. HANC. ARCAM. CVM. VIRO. DEF.
INCOMPARAB. AMORE. DIL. DAMNAT. DEDO. CVM. QVO
VIXI. AN. XX. SINE. VELA . Ↄ. LIB. LIBERTABVSQ. NON
QVOTAN. SVPER . ARCAM . PLOTONI . ET. OXORI
PROSERP. M. OMNIBVSQ. SACRVFICENT . ROSISQ.
EXORNENT . DE . RELIQ. IBI. EPVLENTVR. D. O. P. M.
DA. EX. HS. X. ATQVE . F. FACIVNDVM . DELEGA.
VALE . VITA .

## Auctoris.

*Templorum altum ſurgat opus, ſeruentur honores,*
*Queis Romana ſacros detulit hiſtoria;*
*Marmoris ignoti referat tibi Fama triumphos*
*Glaphyra non votis interitura tuis.*
*Connubij caſtos cineres ſeruauit odore*
*Aſſyrio tumulus, qui fuit antè lapis.*
*Et lapis, & tumulus, quòd viuam condit amantem,*
*Iàm potuit celebres vincere Pyramides.*

## Franciſci de Petris I. C.

*Miraris viua vt tumuler? ſed falleris, hoſpes,*
*Sat perij chari coniugis ex obitu.*

## Pinti.

*Coniugis vt melius luxiſſes oſſa ſepulti*
*Annia viua tui, Glaphyra viua tui.*
*Lethum inferre ſibi ſtulti vis ſuadet amoris:*
*Laus nulla eſt, fletus perdere materiem.*

I I.

*Glaphyra dùm mentis perpendo facta pudicæ;*
*Scilicet infames te pepuliſſe procos.*
*Non pia tot tribuo, quot laudes buſta merentur,*
*Corpore viuenti quæ tibi inire libet.*
*Annia dùmve ipſam meditor tàm ſponte, calenti*
*Corde, ſepulcrali ſuccubuiſſe toro.*

*Hoc*

*Hoc vnum inuenio, quod te non arguat: orbam*
*Coniuge tàm raro sic voluisse mori.*

# Leonora è Toleto.



VEnerabimur Leonoram Petri illius filiam, qui administrandæ rei Neapolitanæ viginti annos summa cum vigilantia, & prudentia præfuit, maximi illius Cosmi, qui orbis terrarum fuit ornatus, Etruriæ Magni Ducis coniugem, quæ tanto amore virum prosequuta est, vt semper eum in oculis tulerit; atque ità, vt terra, mariq. serena, aut nebulosa cœli tempestate; vel niuibus obriguisset regio, vel vehementi flamine ventus incidisset, cùm venationibus daret operam quibus plurimum delectabatur, ab Etruria decedens, nunquàm à viri latere ne pedem quidem discedere deliberauerit. Magna coniuratorum manus ad scelera perpetranda, ad necem Cosmo inferendam conspirauerat, qui vel Petri Strozzi insidias euadere haud posse tàm facilè credebat, vt vel sub lecto eum semper iacere arbitraretur. Quamobrem longos ipsa noctu, viro dormiente, perducebat lusus, non vt genio indulgeret, sed vt amatissimi coniugis vitæ consuleret, & calamitoso, suspicionisq. pleno tempore fieret omnium verborum, gestuumq. exploratrix. Iactabatur in vulgus patrem non tàm ad Senarum rem componendas, quàm ad Cosmum veneno perimendum, Florentiam petijsse; quo consilio Leonoræ communicato, non tulisse illam tantam à patre in virum indignitatem; cùmq. ex ea id rescisset Cosmus (tantùm abest vt paternus amor coniugalem superet) chirothecarum venenato odore Petrum interemisse. Quàm variæ vulgi sententiæ; quàm properè currit ad credulitatem. Neque Cosmus, ex omni parte beatus, interimendus erat; neque Petrus animi, generisq. nobilitate conspicuus, tàm vile facinus commisisset; neque Leonora virtutum omnium præstanti gloria eximia, in tantum patrem scelere fuisset notanda, quæ pietatis encomio erga omnes efferebatur.

Pinti.

Pinti.

*Prælia cum Tauro Leo miſcuit horridus olim,*
*Quo ſibi prætentas pelleret inſidias.*
*At dùm Marte fero valide pugnatur vtrinque:*
*Coniugij conſors forte Leonis adeſt.*
*Neve viro quidquam noceat, videt omnia: diras*
*In colubrùm latebras deijcit vngue patrem.*
*Nomine mutato de me, quæ hoc marmore ſubſum,*
*Fabula narratur. Dux bone Coſme vale.*

---

# Liſabettà Boadilia.

6 

AN verò hiſce mulieribus cedet Liſabetta Boadilia Amoiæ Marchionis nepos, quæ Petro Ariæ coniugi in Indiarum diſiunctiſsimas terras, quarum loca mediterranea illuſtri viro Rex Catholicus adminiſtranda detulerat, diſceſſuro, maluit ſe comitem præbere, quàm liberorum conſuetudine perfrui? O magna connubij vis. Delicatiùs nobilem mulierem educatam, nec longiſsimi, moleſtiſsimiq. itineris cogitatio, nec Oceani horror, nec procellarum minæ perterruere. Vix enim è Sibilia ſoluerant, cùm ràm ſæua coorta eſt tempeſtas, vt duæ naues onerariæ naufragium fecerint, aliæ proiecta ſupellectili curſum retardarint, ſalua naui Prætoria, in qua gubernante Ioanne Veſpucio Florentino, coniuges erant. Cur in vndis periret, quæ inter coniugalis amoris fluctus, virum conſtanter, ſanctèq. deperibat?

Pinti.

*Dùm propè vir ſtaret ponto, bellantibus vndis,*
*Te aure puto lyricum condere dulce melos:*
*Dùm pateris, fortaſſe viro, ſub tartara manes,*
*Iuncta tuo, eſt (ſi eſt fas dicere) pœna minor.*

Eiuſdem.

Eiusdem.

*Aria dùm terras tecum Boadilia coniux*
*Tendit, vbi gemmæ prodigus Indus habet:*
*Aequè si pelagi iuissent tua vela procellis,*
*Coniugis ac fidæ tutus amore tuæ:*
*Hic mage qui nam te penetrassent puppe beati?*
*Vxor quæ non dat bella, dat ira freti.*

---

## Hota Maura.



Ota Rhai cuiusdam in Regno Fezæ fortissimi Ducis vxor, non immeritò à Hieronymo Osorio maximis laudibus extollitur. Ea enim capta, cùm à marito insigni audacia,& fortitudine,cæsis Lusitanis, cũ eorum Duce, in libertatem restituta esset, paulò post interfecti viri in prœlio, funus, cum lacrimis, & eiulatu procurauit, corpusq. magnis sumptibus sepulcro condidit. Nouem dies à cibo, & potu abstinuit, extremumq. vitæ spiritum edere coacta, cum viro voluit sepeliri. Indignum quidem arbitrabatur sepultura ab eo separari, qui cum inseparabilis amor eam coniunxerat. A barbara ergo muliere amoris,& connubij vires, & exemplum petimus?

Pinti.

*Hìc est illa, viro tumulum molita, diebus*
*Quæ patinam, & pateram respuit Hota nouem.*
*Hota maritali studio, princepsve pudore,*
*Quam rapto puduit coniuge, luce frui.*
*Non tantæ vxoris facinus mirare viator?*
*Barbara non more hæc, si regione fuit.*

Xenocrita

# Xenocrita Cumana.

8 PATRIAM SERVITVTE LIBERANS.



Agis'ne vituperanda sit Xenocrita Cumis orta, quòd Aristodemo Tyranno fuerit prostituta, an laudanda quòd sui corporis dedecore ciues, & patriam, in libertatem vindicarit, haùd facilè existimarem. Aristodemus post bellum pro Aricinis in Etruscos feliciter gestum, occupato Cumanorum Imperio, omnia in ciues libidinis exempla edidit. Institutis enim Gymnasijs in quibus Ephebi luxuriam exercerent, quorum coma cincinnis, & reticulis religatis; & virginibus pictis togis succinctis, omne muliebre decus, & virilem omnem cultum corruperat. Concubitum sæpiùs expetebat Xenocritæ. Quæ cùm aliquandò in agro esset (quo fodiendo Cumanos cogebat Aristodemus, vt nunquàm ab eorum ceruicibus, seruitutis iugum depelleret) nec in aliquem ciuium conuerteret oculos, cùm paululùm diuertisset Tyrannus, ex iuuenibus quidam est percunctatus, Cur tot ciues nunquàm, Aristodemum semper intueretur? Cui mulier; Id profectò à me factum scito, quòd virum Cumis Aristodemum modò conspicio; vos feminas, vos pecora appellarem. Quid malum tanta in Cumanis ciuibus ignauia? Hæccine est illa omnium fortitudo qua pace, & bello ceteris antecelluistis? Quamobrem pudore perfusus, ait; Ecquid faciendum victis? Qua poterimus ope tandem subleuari? Tu efficere illud potes, Xenocrita, vt viri dignoscamur. Operam, & opem illicò pollicita est. De Tyranni nece cogitant. Timotelem coniurationis principem constituere. Ad eam rem conuenerunt exules, qui Capuæ degebant, tùm præcipuè eorum filij, qui ab eo cæsi fuerant, & Hippomedontis Magistri Equitum filius cum lecta iuuenum manu sequebantur. Nocte intempesta, dato signo quo patuerunt Xenocritæ studio fores, in Regiam impetum facientes, Tyrannum, ipsa muliere ferociter manus inijciente, iugularunt. Cui cùm magnos honores, & dona ciues deferrent,

repudiatis

repudiatis omnibus hoc tantùm petijt, vt Aristodemi corpus per ciuitatem, libertatis trophœum, efferre liceret. Quod & licuit, & in Cereris Sacerdotem est electa. Melius quàm à Porsennæ iniurijs Romanas obsides Clœlia, tranato Tyberi, suos seruauit.

Auctoris.

*Quis locus hic? Cumæ. Quæ rupis gloria? Manes*
*Conduntur sacro marmore Xenocritæ.*
*Quæ flet? chara Venus. Quis tùm iacet antè? Tyrannus.*
*At quis victricem fronde coronat? Honos.*

Pinti.

*Quæ Iudit soboles percelebras tuam*
*Hebræa: Euboicum quondam habuit genus*
*Seruantem patriæ Xenocritam suæ.*
*Hàc illa, hàc valido pectore femina,*
*Hàc hostile caput detulerat, mage id*
*Optans, munifico quàm data munera*
*Auri ciue: iuuet te hanc animi face,*
*Quicunque es, patriæ, cernere, proditor:*
*Illic sunt cineres: hospes adi: hoc pijs*
*Per natale solum gressibus ambula,*
*Et dictis facinus Xenocritæ efferas.*

Eiusdem.

*Fers hùc vnde pedes? iudex hic hospitis adsum:*
*Hoc me dic graio nomine Xenocritam.*

---

# Camilla Macedonia.



Volscorum Camilla Regina nequicquam audet, dùm Camilla Macedonia nobilis Neapolitana in aciem prodit, in qua Natura ipsa quàm in ceteris mulieribus se præbuit viriliorem. Hæc vbi animaduertisset paratas ab inimicis fratri fuisse insidias, cumq. omni spe destitutum, sarissa accepta, eos aggressa est, quorum impetum fortiter 9 FORTIS, ET MAGNANIMA.

cùm diutiùs ſuſtinuiſſet, conatuſq. omnes perturbaſſet, priuſquàm ex terrore,& fuga ſe reciperent,animos, & defenſionis locum fratri dedit, qui optimæ; & benemerenti ſorori acceptam retulit ſalutem. Eadem, cùm ab armato iuuene, alium inermem opprimi intueretur, & ſpectator gladio præcinctus adeſſet, manus in eum iniecit, arguens cur tàm ſegnes, atque inclemens eſſet, vt ab inermi viro contrà armatũ iniuriam non propulſaret. Aquilæ profectò imbelles non generant columbas. Habuit militaris virtutis conſortes illa fratres Ioannem Franciſcum, Ioannem Iacobum, & Ioannem Vincentium, quorum laudes belli gloria, & Auſtriorum Regum trophœa vbique teſtantur. Inter quos fratris filius Annibal emicat, quem iàm indè à pueritia ad bellorum inſignia natum, Itali, Galli, Hiſpani, atque luculentæ in eius corpore obductæ cicatrices prædicant. Atque hoc præclarum ad rem bellicam eius habet familia, quæ ab ea illuſtri prouincia deducta (cuius nomen, Enſiferum, ob Alexandri geſta, ſignificat) hos protulit domi, foriſq. celebres Heroes.

## Pinti.

*E trabe ſuſpenſum magno molimine pilum*
*Vellis, vt in fratres Mars aliunde furit;*
*Pallæ oram, præceps deſcendis, ad ilia vincta,*
*Feminea, & valida eſt haſta recuſſa manu.*
*Mars tacet: alta animi, fax miri hic ardet amoris:*
*Auſibus obſtupeat Volſca Camilla tuis.*

I I.

*Sume enſes: longas, Macedonia, pone ſariſſas:*
*Nam Macedo, clarum nomen, ab enſe venit.*

I I I.

*Haſtatum velox agitaui femina ferrum,*
*Dùm ſibi fraternus quæreret arma furor.*
*Hocce genus teli forti vibrare lacerto*
*Sciui, & ad immites non cecidiſſe manus.*
*Euaſit tutata meos mea dextera fratres:*
*Victrici gemina frons mihi ſorte cadat.*

*Iure*

*Iure triplex at palma cadat: nam tertia fama est,*
*Perpetuos quæ scit ducere fausta dies.*


I V.

*Tu ne superbam*
*Dùm quatis hastam,*
*Femina tantum es?*
*Quilibet hinc te*
*Parthenopæam*
*Dicat Amazona:*
*Nunc ferat ille*
*Lumina vitæ*
*Næ tua vellet*
*Iure Hymenæi*
*Membra iugali*
*Iungere lecto.*
*Poneret ille*
*Perfruitus te*
*Vasta cupito*
*Limina mundo.*

*Aemathius Dux.*

---

# Fuluia.



EPulum, & supplicationem, festumq. diem celebrasse sibi persuasit M. Antonius cùm sacrum illud Romanæ eloquentiæ caput crudeliter abscissum, quod prius adhuc mortuum Rostra, inspectante populo Romano decorauerat, in mensa veluti pompæ ferculũ iusserit collocari. Nullo vnquam lautiori apparatu, ornatuq. in Triclinio visus est lætari funestus homo, dùm luctuosum funus, & Romanæ virtutis casum alij doluerunt, qui furiam patriæ, & tempestatem illam Reipublicæ in bonos viros sæuientem detestabantur. In conuiuio famem quoque crudelitatis Fuluia vxor satiauit, quæ in sinu caput acceptum, primò maledictis, atque diris execrata est, mox amentibus oculis intuita, inspuens, virus in illud perfidiæ videbatur euomere. Tunc verò ab ea crudelius sæuitum est, cùm in linguam è faucibus euulsam sæpiùs aciculam infigeret, qua ad capitis ornamenta vteretur. Atque ità caput illud quod nefarijs hominibus in ipso Imperij domicilio, consilio, & lingua fuerat formidolosum, quodq. dùm loqueretur omnes in admirationem adducebat, habuit ludibrio mulier, & furori, atque irrisionibus

IO CRVDELIS, ET FORTIS.

ſubiectum aſpernata eſt. Quid igitur Fuluiam prophanam inter celebres mulieres recenſemus? Ergo'ne parricidæ quæ patrem patriæ vili fecit inter nobiles mulieres locum dabimus? Non equidem. Hoc tamen celebriorem factam non negabimus, quòd eam linguam tractarit, quæ vel mortua ſuauiſſimos omnium doctrinarum explicat concentus, tùm præcipuè Romani ſermonis, & elegantiæ. Sed nec eiuſdem viriles auſus prætermittendi. Cùm Bruto occiſo, Antonius cogendæ pecuniæ cauſa in Aſiam profectus eſſet, & Cæſar Romæ Lepido eſſet impedimento, Fuluia, contempto Lepido, ità adminiſtrabat omnia, vt nihil à Senatu, vel à plebe contrà eius voluntatem decerneretur. Vtebatur etiam Lucij Antonij fratris opera. Inſolens ſocrus habebatur à Cæſare, ſed coortis ſeditionibus, timore perterritus, & cum Fuluia, & cum Lucio (quos oderat) reconciliari ſtudens, impetrare non potuit. Eaq. accingebat gladium, ſignaq. inter milites diſtribuebat, atque apud eos ſæpenumerò concionabatur. Quamobrem cum Veteranis Cæſar egit vt controuerſias omnes inter ipſum, & Fuluiam componerent, eoſq. ſibi iudices ſumpſit. Qui Romæ in Capitolio cauſam dicturi, cùm Lucius, & Fuluia non aduenìſſent, iniuſtè eos contrà Cæſarem agere iudicarunt; ideoq. eis Cæſar bellum indixit. Victor euaſit, fugiente Fuluia cum liberis ad maritum.

## Fabij Leonidæ.

*Sparſiſti in noſtrum viuens maledicta maritum,*
*Diſce pati mutum nunc malefacta caput.*

## Pinti.

*Hæc quòd lingua tuo fudit maledicta marito;*
*Impungis ſæua ſic feritatis acu?*
*Extincto barbam vellis veſana Leoni,*
*Tollere ſi linguam, non monumenta potes.*

Eiuſdem.

*Lingua ſilet, tamen ipſa cies fera vulnere: tolle*
*Ne tantam capiant lumina ſæuitiam.*

Aemilia

## Aemilia Tertia.



Rnare vxoria fides pudicitiam potissimùm debet. At nisi viri quoque mores eadem fides honestauerit, nihil quicquam aut nobile, aut ingenua muliere dignum vllam effecturam credendum est. Maximas afferunt viris vxores iniurias, quæ proteruo in coniugalia iura, moresq. insultant animo, & culpas, quæ abditæ nihil viris officiunt, earundem perfidia, & dicacitate patefactas, imminutæ auctoritatis apud homines efficiunt satellites, & administratrices. Quapropter maximis laudibus Aemiliæ prioris Africani vxoris patientia, vel potius prudentia, efferenda est, quæ cùm comperisset vnam ex ancillulis viro maxime charam, & doleret summum Ducem illiberali amore detineri, simulandum potius deliberauit, quàm Africæ domitorem, feminæ impudicitia perdomitum accusare. Laudabilior ea animi fortitudo in Aemilia fuit, quàm Africani in expugnandis vrbibus virtus; hostes enim profligauit viri disciplina, sed vxoris patientia, peruicacem quæ mulierum præcordia vehementibus ignibus adurit, deuicit animi affectionem. II. VIRVM MALVM PATIENTIA PERFERENS.

### Pinti.

*Vir meus ancilla vincitur amore: sed astu*
*Contego: quis merito non vocet Aemiliam?*

Eiusdem.

*Hic sita sum fidei nodis deuincta iugalis*
*Coniugis in seruam vilia passa mei.*
*Illius vxor eram, qui, victis vrbibus Afris,*
*Nomen, & inde sibi clara trophæa tulit.*
*Hunc mihi non rixis placuit turbare molestis:*
IVVIT *sæpe viri dissimulare nefas.*

Isotta

# Isotta Ariminensis.

FORTIS, SED INFORTVNATA.



Ost multa, à Sigismundo Malatesta facinora edita;post pacem eidem per Venetos à Pio II. partam,quos à Triestina obsidione reuocauerat, vt Federico III. Imperatori rem gratam faceret; post multa quæ Malatestis,& Montefeltrijs acciderant, nihil ipsi reliqui fuit præter Ariminum,& Cerasolum, aliquotq. Montefeltrij munitissima loca, quæ haud multò post vt cum fratre in gratiam reciperentur,eiusdem Pontificis ditioni libenter subiecit. Naturæ tandem cedens, Ariminum Isottæ,qua cōcubina vsus fuerat,quamuis matrimonio posteà coniunctam dixerint, & Sallustio notho, quem sibi alia mulier genuerat,imperiū gubernandum reliquit. Ciuis hæc Ariminensis erat, prudentia, disciplinarum studijs, sed Poëtices præcipuè exercitatione clara. Ità verò in administrando se gessit,vt cùm omnium in se animos conuerterit, in ea potius Malatestarum nomen, quàm in aliorum dominio Ariminenses,naturali quadā propensione,& beneuolentia expeterent, proprijsq. virtutibus exteros etiam sibi deuincire conata, Venetos quibuscum familiariter viuebat,in vrbis præsidiū aduocaret. Obierat interim Pius,succedente Paulo II. qui nihil sibi potissimum deliberandum statuit; nisi de Arimino recuperando, si ea exequi deberet,quæ condicionibus inter Pium,& Sigismundum fuerāt proposita, cùm præsertim nullum cognosceret legitimum successorē. Quapropter eos qui in Piceno, & Aemilia militibus Ecclesiasticis præerant, monuit, vt Ariminensium animos tentarent; qui missis ad ipsa mœnia grauis armaturæ hominibus, sperantes popularium animos eorum aduentu ab Isotta defecturos,re infecta rediere. Tunc Pontifex cum Roberto Malatesta Sigismundi quoque spurio, qui sub eo merebat, ex Pontecoruo vbi castra habebat accersito,oppidorum,& pecuniarum præmio oblato, clàm egit, vt Ariminum occuparet. Quod cùm per amicos

cos ei licuisset, Isotta, à qua humaniter acceptus fuerat, & Sallustio ex ciuitate extrusis, sibi ditionem illam, deluso Pontifice, comparauit. Collabi sic dominium decuit, quod fragili mulieris, & concubinæ columna fulciebatur.

Pinti.

*Isotta o parium gloria pellicum,*
*O ingens honor, atque Arimini decus,*
*Malatestæ animi dimidium tui:*
*Tu ne hoc marmore conderis?*
*Noui quæ valido pectore gesseris,*
*Cum commissa foret res tibi ciuica,*
*Quàm prudens, sapiens, quàm fueris chori*
*Phœbi culta Poëtria.*
*Dùm te dùm recolo facta celebria:*
*Me quantum miseret, lumine te haud frui*
*Vitali: miseræ at dùm memoro genus*
*Fortunæ, instabili pede:*
*Hac te sub lapidis pace quiescere,*
*Pertentant animum gaudia: Ter vale,*
*Quæ auro structa pio proxima montium*
*Mausolæa meres iugis.*

---

## Leonora Arborensis.



ARagonum res Federico Petri II. filio Siciliæ, & Athenarum Rege maximis tumultibus implicitas legimus quos rerum varietas, animorum dissensio, regnandiq. cupido cõcitauerat. Omnem idcircò conatum in Sardoam expeditionem Rex cõuertere coactus est. Martinus enim Arborensis quem sibi Sardi Iudicem adsciuerant, & Salebrosus Oria, bellum in Sardinia quod cum Genuensibus pace, & ocio resederat, inferentes, enutrienda tyrãnide, pessima in Federicum volun- 13 REGNORVM CVPIDA.

voluntate huiusmodi occupabantur, vt gerendo bello, exilio, aut morte damnatos, Rex restituendos in libertatem, & pecuniam creditam nouis tabulis creditoribus prorogandam iusserit, vt maximum militum numerum compararet. Mariano vita functo, Hugo filius fortunarum, & tyrannidis hæres successit tetra immanitate, & insigni perfidia patrem superaturus, qui Iudex quoque Sardis constitutus, Insulæ dominij desiderio accensus, ob feros, immanesq. mores omnibus cruciatibus confectus, à suis necatus est, in spem libertatis Sardinia euocata. An flamma restincta est? Non mediusfidius; sed truculentiori incendio in Leonora Mariani filia, Hugonis sorore exarsit; quæ cùm Brancaleoni Oriæ nupta esset (qui Montione à Rege in publico cõuentu benignè exceptus, Montisleonis honorario Comitis titulo decoratus est) Principis abusa munificentia, petulans, & ad omne facinus audax effecta, delectu habito, armis instructa, Ducem se militibus præbens, Regio fastu, & fama delectata, Sardiniam possidere, cum Rege cõtendere, suis iniuriam inferre deliberauit. Quid muliebri pectore ferocius ambitio dùm stimulos admouerit? Quid inhumanius, cùm indignationis ardor se insinuarit? Absente viro, qui apud Regem commorabatur, arcium, atque oppidorum Hugonis fratris potitur, agros vastat, & tyrannidem maiori quàm frater, paterq. desiderio Genuensi ciuitate adiutrice flagitat; tantumq. suspicionis aduersæ Regis fortunæ in ea insula commouet, vt virum custodia, licèt liberali, detinuerit, ac demum certas pacis condiciones afferre, vtilius iudicarit. Accepit tunc quoque in fidem Sardos, qui defecerant, Brancaleonem ex arce Caralitana emisit, & Reipub. Genuensi, cui Antoniottus Adornus præerat, ijs rebus quæ non modò ad Genuam, Sauonam, Albigaunum, oraq. Ligustica, sed etiam ad Capham, Chium, Famagustam spectarent, prouidè consuluit.

## Pinti.

*Ingenuo orta patre, ingenuo quoque nupta marito,*
*Hic sita, cui validus dat Leo nomen, humi es.*

Os

*Os muliebre fuit, verum tibi mascula virtus,*
*Teq. salutarat Martia turba Ducem.*
*Vastatos agros, summas arcesve subactas,*
*Sarde, huius referas oppida capta manu.*
*Sceptriferi tibi mens fuerat cupidissima regni,*
*Quin si viua fores, ambitus ipse fores.*
*Quin vel viua fores, peltis noua fortis Amazon,*
*Apta foris telum, sceptra mouere domi.*
*Haeccine non stupida lapide hoc capis aure viator?*
*Finis adest, & adhùc, ambitiose, furis?*

---

# Ioanna Scortiata.



ANtecellit animi magnitudine, & pietate illustribus matronis Ioanna Scortiata inter primarias Neapolitanas celebranda. Peperit duos illa filios. Quorum alter dùm studijs operam daret, coorta disceptando inter æquales contentione, concitus ad rixam, à iuuene quodam neci traditus est. Qui ne in satellites incideret, fugiens, inscius in demortui domum se recepit, atque ad infelicissimæ matris sinum, quæ facinus ignorabat, confugiens, salutem est deprecatus. Et cùm rumor percrebuisset, filium fuisse occisum, & quem domi haberet, necis fuisse auctorem, & actorem, dùm animus fluctuaret, à pietate victa, noluit duorum interitum condolere, & plus potuit solitudo occisoris ad misericordiam, quàm offensæ matris dolor ad crudelitatem. Euadere illum passa est, dùm placido vultu extincti cadaueris lauaret cruorem. Alter, Fabritius ille Brancacius fuit, antiquæ Iuris disciplinæ lumen, qui cùm immatura morte fuisset extinctũ, cùmq. lacrimæ in tòt, tantisq. acerbitatibus plurimæ effundi debuissent, huiusmodi exaruere, vt virilem constantiam, non dolorem animo hæsisse demonstrarint. Quid Corneliam Graccorum matrem, quid Rutiliam Romani commemorabunt? Funus Christiana prudentia prosequuta est,

14 CONSTANTIA IN AERVMNIS.

& in ipsa in qua iacere debebat sepultura, loculo collocato, pijs Deo fusis precibus, è templo decessit, pietatis operibus iàm indè operam datura.

## Auctoris.

*Dùm miseret facti matrem, dùm mœsta querelas*
*Fundit, adest pietas, sollicitatq. dolor.*
*Atque dolor; nato languescunt lumina, inultis*
*Te illum cedit Amor cernere luminibus?*
*At pietas, tacito suspendens pectore vota,*
*Et scelus, & natum collocat in gremio.*

## Fabij Albini.

*Sanguine placari manes ignara vetustas*
*Credidit occisi corporis ense truci.*
*Noluit illustris renuens hoc fœmina nati*
*Morte peremptoris tristia fata lui.*
*Extinctum, scio, mater ait, nec viuere natum*
*Interfectoris funere posse meum.*
*Hunc ego seruabo; hæc subeas penetralia, dixit,*
*Et dùm cessabunt militis arma, late.*
*Heu celebranda piæ constantia magna parentis,*
*Cui par nulla fuit, nulla virilis erit.*

## Pinti.

*Pelle, ignara, tuum genitum scelerata peremit*
*Dextra, fuga cuius das miserata lares.*
*Pelle, vel immitis tradas lictoribus, æquas*
*Mox sceleri pœnas soluat vt illa necis.*
*Non minor est virtus vindictam tollere culpæ,*
*Quàm tanta hæc patiens si mala ferre velim.*
*Sic Ioanna animi visa est fortissima tele,*
*Dùm contrà hinc pietas dimicat, inde dolor.*

Maria

# Maria Aragonea.



T quis locus Mariæ Aragoneæ in hoc Thea- 15
tro dabitur? Prima antè Iunones, antè Miner-
uas sedeat. Stent ænea Matronæ signa Immor-
talitati sacra; nec in auro eius cudatur imago,
quam sibi cælauit æternitas. Quam facies eo
seculo illi parem? In connubio cui nam viro
coniuncta? Per cunctare sexcenta victricium bellorum insignia, quibus Annibales, vel ipsi Scipiones cederent. Hostes deuictos enumera. Sui ipsius maximi Imperatoris de Alfonso Haualo laudes percipito; cuius virtute Imperium, vitamq. sibi esse partam testabatur. Qua corporis illa erat habitudine? Qua nihil venustius, nihil grauius, nihil modestius cœlum conspiciens cursum Gratiarum, & Sirenum adiumento, ad eam ornandam semper inflexit. Quæ verò in tanta muliere animi magnitudo cognita est? Hanc profectò dices inextimabilem. Orbata enim viro, cuius obitu Mediolanenses administrationes, bellorum Præfecturæ periere, viuam domus gloriam sua virtute retinuit, liberos (qui ad summos honores euecti sunt) splendidè educauit, & ex rari coniugis splendoribus; clarissima vndique accensa lumina suæ prætulit nobilitati. Adde, quod nostra ætate admireris. Absque viro mulier, florenti ætate, eximia, præstantiq. forma, nobilissimorum virorum frequenti consuetudine, qui veluti Numen aliquod eam venerari potius, quàm alloqui consueuerant, inuiolatam fidem, famamq. tuendo, memorabile pudicitiæ posteris reliquit exemplar. Tantumq. eius pudicitia progressa est, vt alieno pudori seruando maximè studuerit. Mulierum enim, quarum opera vtebatur, famam illæsam sibi custodiendam huiusmodi proposuit, vt eius disciplinæ memoria in ijs quoque gloriosius remaneret. Quamobrem Milij symbolum Paulus Iouius dedit, quod cùm nec putrescat, eamq. luem ab alijs arceat, encomium illud sibi comparauit, SERVARE, ET SERVARI

ANIMI MAGNITVDINE, ET PVDICITIA ILLVSTRIS.

MEVM EST. Habeat hoc sibi Maria eximium, & singulare; vt stabili, firmaq. ratione contempserit, quæ à nobili, forti, magnoq. animo debent esse aliena.

## Berardini Rotæ.

*Dùm petit Inarimem Diuùm pater, ac sua iactat*
*Fulmina, teq. sua victe Typhœe manu;*
*Quid iactas Maria exclamat? si vera fateris*
*Nostra tuis præstant lumina fulminibus.*
*Cernere vis oculis, quæ sint noua fulmina nostris?*
*Annuit ille, oculis fulminat ipsa Iouem.*

## Iani Pelusij Crotoniatæ.

*Si quantum potuit quondam Rhodopeius Orpheus*
*Arguto cantu, dulcisonaq. Lyra:*
*Ipse mea tantum possem, Heroina, poësi,*
*Versibus imparibus dùm tua facta cano:*
*Omnis Aragonio resonaret nomine tellus,*
*Alluit immensi quicquid & vnda maris.*

## D. Bernardini Aquiuij ab Aragonia D. Francisci Neritin. Ducis Fratris Fil.

*Prolis Aragoneæ mulier spectanda sepulta est:*
*Purpureas hospes sparge Diana rosas.*
*Vnica mirifici species hæc virgo pudoris,*
*Connubialis & hæc gloria prima tori:*
*Aetherea superest animum nunc degere in aula*
*Dicere, & æternis astra tenere polis.*

## Pinti.


*Hinc longo pede distet impudicum*
*Quisquis pectus habet: iacet Maria hic*
*Alphonsi illius Hauali marita.*
*Puro hic sis animo, niue albiore,*

Hospes;

*Hospes, funde preces eiq. flores,*
*Ferro magnanimum feras Leonem*
*Scalptor: nam decet hæc imago bustum.*

---

# Ioanna Castriota.



Ec populis olim frequentissima, maximorumq. Ducum trophœis illustris Epirus; nec Regum imperio, gentisq. fortitudine clarissima Macedonia, immortalitatis laudes Ioannæ Castriotæ Nuceriæ Duci, inter magni nominis mulieres nobilitatis stemmate, animi magnitudine, morum sanctitate, nulli secundæ, comparauit. An verò regias ipsa virtutes à Regibus, qui ex Castriota familia nobilissimis illis Græciæ regionibus imperitarunt, non didicisse affirmabimus? Qua emicuit pulcritudinis raritate, & modestia? Quo splenduit sapientiæ lumine? Qua honestatis gloria floruit? Qua viguit in pauperes mansuetudine, & liberalitate? Quæ iàm indè à primis annis in ea ad Dei cultum pietas effulxit? At quæ nam præclara efficere non potuit, quæ ab vberrimo amplitudinis, virtutum, fortitudinisq. fonte emanauit? Qui norit mortalium ea ætate principem, Turcarum terrorem fortissimum Ducem Georgium Scarderbegium; noscat & Ferdinandum Ioannæ patrem, qui cum maximo Rege Gallorum Francisco ad Ticinum præliando congressus, tantum virum prouocare non dubitauit. Tantundem dignitatis mater adiecit, ex illustrissima familia è Capua, quæ tot summos Duces, Principesq. sexcentos ab hinc annos felicissima serie protulit. Omnem verò maiorum gloriam Ferdinandus Carrafa filius, patris, matrisq. vestigia sequutus, æquauit.

16 VIRTVTVM AMPLITVDINE ADMIRABILIS.

## Alfonsi Martiani.

*Natales alij si celebrant suos,*
*Clarorumq. sibi nobile vendicant*
*Maiorum facinus, non tibi sunt pares.*

Nam

*Nam tu clara nimis ſanguine Regio,*
*Epiri fuerant cuius aui diù*
*Reges magnanimi, ac Herculeum genus.*
*Bello conſpicuos ſi referunt Duces,*
*Et fuſas acies fortiter hoſtium,*
*Belli fulmen adeſt ille Georgius*
*Turmas quem toties fundere Thracias*
*Scimus, quem proprium militiæ decus*
*Olim Turca ferox ſuſpiciens, vocat,*
*Magni Barbarico Cappadocum Ducis*
*Signans nomine vim, ac ingenium celer.*
*Gaudet ſi qua ſui coniugio viri,*
*Quod ſortita ſit illum egregium, probum;*
*Quid quæsò melius, quidve benignius*
*Alfonſo fuerit coniuge maximo,*
*Seu ſpectes animum, ſeu benè dexteram,*
*Quo Nuceria nunc Principe iubilat?*
*Tu multo genitùm prole beatior*
*Heros cui genitus gloria Principum*
*Fernandus, ſimilis belligero Deo*
*Marti, ſiue pedes prœlia, ſiue eques*
*Semper cruda ineat, conſilio ſagax,*
*Præſtans ingenio, clarus in omnibus,*
*Quæ fortuna ferat læta, vel aſpera.*
*Sunt hæc magna quidem præmia fortium,*
*Quos cæleſtis humo tollit, & euehit*
*Virtus, ipſa quibus præniteas licet,*
*Fecisti nibilo ſemper ea, altius*
*Omnes mente volans ſuprà homines pia,*
*Terras deſpiciens, & ſuperum choris*
*Noctes, atque dies vſque inhians ſacris*
*Incumbens ſtudijs pectore candido.*
*Hinc cum fata volent, & Deus optimus*
*Vallata æthereis vndique ciuibus,*
*Lætabunda petes ſidereum polum.*

Pinti.

Pinti.

*Mors ego Ioannæ virtutum castra subegi,*
*Illius vt victi gesto trophæa viri.*

---

# Cassandra Marchesia.



Væ Charites cum Cassandra Marchesia luserint, poëticis leporibus explicauit Iacobus Sannazarius, cuius ex ore dulciora verba cùm elicerentur, libabant veluti Apes Cupidines, fingebantq. compositæ orationis fauos. Melle tamen suauior fluebat oratio cùm de Cassandra loquebatur, quam dùm sibi Decimam Vates, Musam proposuit, castissimè periјt. Quapropter eò laudabilior facta est, quòd tanti viri amore cultæ, inuiderent, quæ à summis viris cupiebant amari; eoq. pulcrior, quòd in ea puritatem cum dignitate nitentem, non coloris suauitatem, qui ad libidinem excitaret, veræ pulcritudinis sectator adamauit. In omnibus quidem laudanda; tunc tamen maximè, cùm existimationi consulens, innuptis nuptijs quas cum Alfonso Castriota Atripaldæ Marchione, Ferrandinensium Ducis filio, parauerat, elusa, neque nouas experiri laudabili existimans ne denuò alienæ fidei periculum faceret, Sapientiæ locum Neapoli, quem Studijs addixerat Oliuerius Carrafa, reliquæ sibi vitæ delegit, atque cœnobio instituto, diuino cultui seipsam dicauit, idq. clarissimum prudentiæ, atque animi magnitudinis iudicium relinquere voluit. Non seruatæ fidei pœnas luxit infidus coniux, à Francisco Gallorum Rege interemptus.

17 PRIMIS NVPTIIS INFELIX.

Sannazarij.

*Desine formosa dotes numerare puellæ,*
*Desine iàm extinctas sollicitare faces.*
*Nam dùm sæpè comas, frontemq. humerosq. manusq.*
*Commemoras, proprios extruit ipsa rogos,*

Dùmq.

*Dùmq. oculis Cassandra, animo Cassandra recursat,*
*Cassandra heu mentis ius habet omne tuæ.*
*Blandus Amor tacitis subrepsit in ossa venenis,*
*Sic sibi vel fatum quilibet esse potest.*

Eiusdem.

*Quarta Charis, decima es mihi Pieris, altera Cypris*
*Cassandra vna Choris addita diua tribus.*


## Pinti.

*Fuderunt alij meliori carmina vena,*
*Paucos hosce meos tu tamen adde sonos;*
*Queis quæ vera canam? promisso, elusa, Hymenæo;*
*Viuens claustra cupis, mortua & astra capis.*

---

# Blanca Maria Viccecomes.

18 ROBORE, FORTITVDINE, AC PIETATE VALENS.



Vm Blanca Maria Philippi Mariæ Viccecomitis filia, quam aliquot annos antè pater Francisco Sfortiæ spoponderat, nuptiæ ab eodem celebratæ sunt in D. Sigismundi ad Cremonam, quam etiam ciuitatem dotem acceperat. Ingentes hæc mulier ostendit spiritus, Venetis magna ad Padum comparata classe, Cremonenses vehementissimè oppugnantibus Siquidem Cremonensibus copijs, quibus Iacomazzum Salernum præfecerat, extrà portã Mœsam in hostium copias eductis, cumprimùm Marci nomen, clara voce, militari symbolo iactantem militem quendam audiuit, hastam ira percita infixit ori, quo ictu miles occubuit, collatisq. signis ad Cremonenses victoria inclinauit. Corporis robori, animi quoque fortitudinem coniunxit, quippè quæ contumelias, quas post viri mortem à Galeatio filio accepit, prudētissimè pertulit. Accedat Relligio, quæ præter ceteras, quæ ætate viuebant eam extulit, cùm præcipuè sanctissimæ Eucharistiæ templum magno sumptu dicasset. Nimiam zelotypiam

tot

tot virtutum candorem aliqui maculasse arbitrantur. Atqui in honesta muliere hoc vitium virtus est existimanda.

### Pinti.

*Belli te ne Deam, notat an ne hæc hasta Mineruam?*
*Fortior at valida vincis vtramque manu.*
*Cecropia visa es, Martis maiorq. sorore,*
*Tecta fuit telo, quando Cremona tuo.*
*Pallade tu maior, Bellona maior: vtrique*
*Defuit, est in te at Relligionis honos.*

---

## Catherina Cantona, & Domitilla Triuultia.

19 20 INGENIO, ATQVE ACV PINGENDI, CANENDIQ. ARTE ADMIRABILES.

Vm Iconologiæ curiosum opus Cæsar Ripa Perusinus Barbaræ Cantonæ dicauit, nihil se illustrius fecisse arbitratus est, quàm cum filiæ Imagine, ad quā venustate, & virtutibus nihil præstantius accedere potest, matris Catherinæ ἰκώνα, simulacrum quoddam humanæ excellentiæ ob oculos omnium ponere; vt artifex præstantis Naturæ imaginis, ignotis nota faceret, & sigillatim quæ contineret Mediolanum Italiæ vrbs celeberrima, in qua omnia cùm sint quæ præclara pace, & bello existimantur, huiusce Matronæ laudibus omnium iudicio, veluti maximarum rerum thesauris, suppeditaret, quæ maiora iudicari valerent. Castitas, relligio, pietas, vitæ moderatio in ea præcipua fuere, quas augēdæ nobilitati addiderat; sed quæ propter acumen prospiciebat, quæq. atomis, inani, imaginibus, & ijs quæ ἰδώλα nuncupamus, tùm incursione videbat, tùm cogitatione meditabatur, tanti habēda sunt, vt eius poësim non picturam videamus, in qua Deos, sidera, elementa, montium iuga, & comas, herbarum viriditatem, animalium figuras, serpentium volumina, vndarum motus, quibus vel Pelopis Neptunij equis suspensi currus rapiantur, vel Proteus ad antra gre-

gem, vel armenta deducat. Bone Deus; doctissima manus acu effingit, quod Ethion, Nicomachus, Protogenes, Timas penicillis, coloribus effinxere? Quid Arachnem, Palladem, Didonem, Andromachen, Penelopenq. admiraris? Hanc feminis perfectiorem, eruditiorem viris admirare. Quicquid penicillo effici poterat, colorabat. Serico, & auro colorabat; viuebantq. imagines. Mirum. Eius artificij ingeniosissimi auctor mulier, delectabat, pascebatq. oculos, animumq. & mẽtem exaturabat. Diluxit sub eius acu historiarum vmbra, rerumq. multarum cognitio, quæ ex omni aditu clausa conspiciebatur, eius arte patefacta est, & quadam vi, quæ omnibus erat admirationi, patentiùs explicata. Ad ea studia, eius exemplo, ceteræ Mediolanenses Matronæ iàm indè cum Catherina exarsere, & ab ocio inertissimo longè remotæ, pingendis telis, reticulisq. sese libentissimè occuparunt, quibus Reginis, Principibusq. summa cum voluptate placerent. Quæ pingebat Catherina, Domitilla Triuultia ex primaria Mediolanensi nobilitate cantabat. Patria, virtutibusq. pares; idcircò eas seiungere nefas sum arbitratus. Pictrix, & Poëtria Mediolanum pingant, & concinant, vt alterius pictura teneantur oculi; alterius cantibus aures demulceantur; sic lætam vrbem, & nitidam, carminibus, coloribusq. collustratam, Insubrum gloriam patefacere intelligemus.

## Pinti.

*Desere quas acubus telas depingis, Arachnes*
*Ne similem subeas Pallade lusa vicem.*
*At tradas, Cantona, operas tutissima seclis,*
*Nulla Minerua tibi est, quæ malè obesse queat.*

Eiusdem.

*Cerne Cisalpinæ mira hic duo lumina terræ:*
*Altera Arachnæa inferior non arte puella est;*
*Altera clara nitet mellita voce Ligeam,*
*Dùm lusit meliore sono, Nymphasq. Deasq.*
*Quæ sua laurigero modulentur carmina Phœbo;*
*Huius acu spectes operas, huiusve canoros*

*Aure*

*Aure bibas sonitus; pingens, Cantona, resignat*
*Quanque aciem ingenij. tantum Domitilla canendo*
*Non homines, sed aues, fluuios, siluasq. moratur.*
*Hanc qui non cernat, qui non hanc audiat, expers*
*Humano sensu est; surdis hunc abdite saxis.*

## Benedicti Sossagi.

*Hactenus extinctos animauit imagine vultus*
*Sudor Apellaeus, Phidiacusq. labor.*
*Nunc Catherina nouis telas animare figuris*
*Auctor, & artifici texere facta manu.*
*Adiures hac vera geri, neu ficta videri,*
*Tantum Daedalea possidet artis opus.*
*Si terras mentitur acu, stant ordine siluae,*
*Rauca sonant fluuij, stagna quieta silent.*
*Nunc curuas sinuant valles, nunc stamina turgent*
*Montibus & caelo proxima saxa vides.*
*Si fragiles artus formauit, & ora virorum,*
*Viuere credidimus, credidimusq. loqui.*
*Stamina si facies Diuûm spirantia monstrant,*
*Viuunt in magnos stamina tota Deos.*
*Iuppiter igne tonat, montanaq. culmina fumant,*
*Fila vagas rumpunt ingeniosa faces.*
*Crinitur Phoebus radijs, Mars fulminat armis,*
*Inuidia Iuno saeuit, amore Venus.*
*Vndè tot inuenit textricibus artibus artes?*
*Pallade docta fuit, Pallade vel docuit.*

Eiusdem.

*Insubrides geminae fama super astra feruntur*
*Inclyta quaeque suo nomine, prole sua.*
*Altera sidus erat generis dotale Triuulti,*
*Altera Cantonum nobile sidus erat.*
*Discordes studijs attollit gloria concors,*
*Artibus impariles, ingenioq. pares.*

*Vna virùm mores, vna est imitata colores,*
*Vna magis lingua claruit, vna manu.*
*Hæc velaminibus velamina vincit Arachnes,*
*Illa laboratis facta voluminibus.*
*Altera cantando narratur Apolline maior,*
*Altera texendo maior Apelle fuit.*
*Sed calathos confer calamis, velamina chartis,*
*Illam homines dices, hanc superasse Deos.*

---

# Roberta Carrafa, Abellin. Princeps.

31 GENERIS, ET PRVDENTIAE LVMINE LVCENTISSIMA.



ET Carrafæ, & Caracciolæ familiarum luminibus coruscans, inter eximias Matronas, Principesq. nitet Roberta. En vides quàm splendidè vtrarumque gloriam in augustissimo, plenissimoq. dignitatis vultu repræsentat. In maximis viris frequentissima celebritate, clarissima Heroum serie lætatur; vt à patre (quem amplitudinis, & virtutum copia circumfluere huiusmôdi intuemur, vt temporis fines, æternitatis securitate eludat) ad maiores, rerum gestarum perpetuitate, virili prudentia, incredibili rei domesticæ propagatione, diuina potiùs, quàm muliebri sapientia, & eximiarum laudum indagatione, quibus continenter spe, & animo incubabat, perspicua accedit. An Magni Diomedis seriem commemorabo? Diomedis, inquam, Antonij filij, qui quòd omni cura, & cogitatione res magnas sagaciùs odorabatur, moliebaturq. Malitiæ sibi nomen acquisiuit? Alfonsum Aragoneum adeas, qui ab Andegauensibus, & Sfortianis quodammodò interclusus de victoria desperasset, nisi Diomedes subsidio fuisset, qui per aquæductum in vrbem Neapolitanã ingressus, occisis custodibus, viam Regi, & exercitûi heroica virtute aperuit, tanta alacritate vt animus Alfonso accesserit, inimico Regi timor fuerit iniectus, idemq. Regno cesserit. Dicam ne Diomedi Regnum Neapolitanum ab Aragoneis acceptum esse tribuendum? Nec multum dedisse magna-

magnanimum Regem fatēdum est, qui in eum Comitatus Magdalonij, & Cerreti, patrimonij conseruationem, & supremi Consilij dignitatem contulit. Illuxere alia sidera, maximi Proceres, qui titulorum, & Ecclesiastici muneris fasces sustinuere; quis enim nepotum seriem longo ordine recensebit? Quid Sole illo maximo Paulo IV. illustrius? Quid summorum virorum numero, qui vigent, præstantius, quorum vita, & virtus, in vna hac Robertæ spirat imagine? Sed spirat amplitudine generis, reuerentia amoris, charitate coniugij, fœcunditate prolis in viuente viro Camillo Caracciolo Abellinensium Principe, in Aurei Velleris ordinem à Philippo III. Rege cooptato, in quo vno veræ virtutis gloriæ domicilium, nobilitatis illustrissimæ finibus terminatur; quem dùm admirantur Galli, venerantur Hispani, dùm in Belgio florentem militares ordines salutant, in Italia consilio validum, prudentia insignem, constantia, & grauitate eximium, laudum crebritate extollunt. Spirat liberorum thesauro, in Marino præsertim Tripaldæ Duce, quem, Augustorum more, Principem iuuentutis dixerim, liberalibus studijs addictum, præclara semper molientem, in quo amplitudinis insignia posteris posita, clarissima monumenta conseruaturum prædicant. Quid Roberta felicius? in qua pulcritudo cum castitate, venustas cum modestia, eloquentia cum verecundia certarunt? Quæ florentem iuuentutem laboribus erudiuit, cùm, absente coniuge (qui ex bellica laude, & disciplina profusis sanguine, & fortunis, ad Regum gratiam aspirabat) ab insolenti rerum domesticarum fastidio nunquam abhorruit, rem familiarem splendidè auxit, rexitq. tanta prudentia subditos, vt togata pariter, atque armata, ius redderet, iniurias propulsaret? Quàm doctè scripsit? Quàm opportunè loquuta est? Quàm suspenso, & sollicito animo rimabatur, quæ non veluti Temistocles Milciadis trophœis, sed veluti Roberta, cui nullam parem iudico, coniugis, liberorum, status amore è somno suscitabatur. Sanctè vixit, sanctissimè decessit, quæ Siluestro Franciscano Capuccino suiipsius mortem prænunciauit.

Pinti.

Pinti.

*Tu ne illa es tumulo hoc illuſtris femina ſedis,*
*Tu ne hic Caraſiæ lumen, honoſq. domus?*
*Tu ne hic delicium, ſpes ne hic tu cara mariti*
*Principis, extincta hic clara Roberta iaces?*
*Viuis adhùc, viueſq. Mori ſtat neſcia virtus,*
*Decidere è mentis limine nulla poteſt.*

Eiuſdem.

*Virtus magna fuit magno cum ſanguine iuncta,*
*Sors etiam thalami magna, Roberta, tui.*
*Magna fuit pompæ facies, eademq. ſepulcri,*
*Magna eſt, magna viri cauſſa doloris erit.*
*Cur vir coniugij non defleat vſque ſoluti*
*Vincla? tui ſocias flebit an ille pares?*

---

## Iſabella Caracciola.

22 HVMANARVM RERVM DESPECTRIX



Oua narro. Mira hac ætate narro. De humanarum rerum, generiſq. amplitudinis contemptu agitur. Agitur de animorum in ſanctitatem conſpiratione, de connubij caſtiſsimis amoribus, de illecebrarum turpitudinis irriſione. Fieri hæc non poſſe, corruptis moribus, mihi perſuaderem, & facilè quiſque iudicaret. Ea tamen vera ſunt quibus poſteritas fidem deferat, & honores. Iſabellam Antonia Cardenas Philippo Caracciolo Nicolai illius Antonij Vici Appuli Marchionis, & Mariæ Geſualdæ Cardinalis ſororis filio peperit. Ea Carolo Caracciolo Marcelli Caſadalbori Marchionis filio nupta eſt. Florenti, venuſta, eximia ætate iuuenes. Connexum feliciter vinculum, quod vel prolis nodus deuinxerat; eoq. felicius, quòd parentibus ad cœlorum gloriam immatura morte præluxerunt; tanta præſertim conſtantia, qua humanas calamitates ſapienter pertulere, tùm præcipuè, cùm filiolæ,

quæ

quæ iàm adoleſcere cœperat, ſuarum manuum miniſterio in loculo collocatæ, tunc parentaſſe exiſtimauerint, cùm ad æternas ſedes ex ſordido cœno dicerent euolaturam. Tantam habebat morum ſimilitudo,coniunctionem,atque concordiam, vt in rebus agendis, nulla vnquam querela intercederet, & tranquilliſſimæ pacis libertas dulciſsimo coniugio probaretur. Alterius alter exploratam fidem habebat, augebatq. continenter benè viuendi deſiderium vtriuſque pudorem, quo ſeueriſſimè voluptates ſibi reijciendas conſtituere. Deſeruit illa pompas, cupiebatq. ſimplici muliebri ornamento Angelico patrocinio muniri. Deſeruit ille nobilium faſtus, vt omnem ex animo ſuperbiam humilitas expectoraret. Quid? Cubiculum ſibi cœnobium, lectumq. chorum fecere. Canonicis horis, & pſalmis coniugalem pacabant ardorem,dùm mens mundi oblita,pugnacior effecta, ceteris omnibus fortiter reluctabatur. Creſcebat amor; vigebat timor; nec ſinebant maiores partes animi à virtute, & interiori lætitia blanditijs detorqueri. Nunquã ſuauius quoſpiam vixiſſe cognoſcebant. Tunc diuini amoris flamma ardentior facta eſt, & extra domeſticos lares erumpens, coniuges ſacro diuortio cui ſanctus Pontifex annuerat, in Cœnobia, contemplatiuæ vitæ cupiditate flagrantes incitauit. Altera inter D. Andreæ Moniales; alter inter Theatinos in D. Pauli adſciti, exemplo, ſpiritu, conſolatione ſingulares. Magnum illud eſt. Adde verò quod maximam adiecit,& incredibilem admirationem. Paupertatem excolere, Relligionis ſemitam exiſtimantes; ad ſeptuaginta millia aureorum,in Cœnobia,in loca pia,in pauperes erogarunt. Tenere portum dùm nequiuerunt, nauigando, tempeſtatibus obſequi, artis fuit. Sed quid timerent, dùm ex longa nauigatione ad tranquillitatem certò credebant eſſe venturos? Vicere mundum; quis non inuideat?

## Pinti.

*Quæ lux, Heroes, veſtro nunc exilit ore,*
*Diuùm in amore pares, nobilitate pares?*


*Deſer-*

*Deseruistis humi, supera præ luce, tenebras;*
*Nostis sit quantis prædita terra malis;*
*Sorduit ætherei studio quodcunque parentis,*
*Limite præuasto Phocis, Athlasq. parit;*
*Duxistis nihili quicquid fortuna ministrat,*
*Duxissetis Arabs, quicquid & Indus habet.*
*Sponte pijs auras vitales carpite septis,*
*Tu vir carpe tuis, tuq. marita tuis:*
*Illa optata dies vestrum lucebit vtrique,*
*Cum dabit æterna prospera in arce Deus.*

---

## Constantia è Caretto.

23 DIVINI CVLTVS, ET SANCTITATIS AMANTISSIMA.



NOn veterum Saxonum, in qua splendidissimè Videchindus, Vegbertus, Valbertus elucent; non titulorum insignia Montisferrati, Larissæ, Saonæ, Boschi, Incisæ, Finarij; non apud Imperatores, Regesq. summos Magistratus; non domi, forisq. res gestæ; non Reipublicæ Genuensis honores, tantum gloriæ Carettanis addidisse dixerim, quantum Constantia tùm ceteris virtutibus quibus enituit, tùm præcipuè addidit relligione. Ab omnibus ipsa, quæ mortales afficiunt curis longè aliena, tota iuuandis pauperibus, cœnobijs ædificandis, pecuniæ rebus sacris dandæ incubuit. Meretrices è postribulo euocauit; collocauit multas constituta dote. Puellis quarum virginitatis florem Diaboli sectatores depasti fuissent, ne prorsus eorum corpora libidinibus contabescerent, asylum condidit, ad quod refugientes ( & Refugium Neapoli appellauit ) virtutum seminario beatam, candidamq. vitam ducerent. Theatinos aluit, eorumq. auxit ædes, & ornauit. Tantum ab ambitione abhorrebat, vt cùm libellum de Spiritibus Laurentius Anania Tabernas Calaber ingeniosus, ac multæ vir eruditionis ei dicasset, huiusmodi renuit, vt auctori ingratitudinem potiùs quàm gratias referret; quamobrem, dicatoriã epistolam,

ipsa

ipsa inspectante, lacerauit. Tanta fuit animi magnitudine, vt cùm litem Sulmonensium Principi intulisset, cuius fratrem coniugem habuerat, victrix tandem, quæ fuerat consequuta, libentissimè donauit. Sexagenaria pustulari morbo, qui pueros inficere solet, oppressa sanctissimè decessit.

## Pinti.

*Carectæ hac generis decus sub vrna est*
*Constans, nobilibus, pijsq. factis*
*Orta, hic ciuis inops dole, dole hospes:*
*Vos altaria, vos Deum sacella,*
*Struxit quæ illa suis lubens talentis,*
*Flete hic, vosq. viri reflete sacro*
*Addicti famulatui: scelesto*
*Tantum tu meretrix malo obstinata;*
*Toto pectore gaudium indicato;*
*Cui non consilium illius placebat,*
*Quam non auxilium illius mouebat.*
*Sit Venus tua, sit tuus Cupido.*
*Aeternum tegit hanc lacunar astris,*
*Hac ibit per agros beati Olympi: at*
*Carecto Phlegethontis illatebis;*
*Depromes gemitus, sonosq. tristeis;*
*Dices: O vtinam Dei audijssem*
*Verbis: o vtinam mihi loquuta*
*Carecta ex animo haud foret repulsa.*
*Carecta omnia quæ Deo dicabat.*
*Carecta illa bonis, malisq. nata.*



# Camilla Piſcicella.

24 PIA, ET HVMANAS OPES DESPICATVI DVCENS.



Elliquias priſtinæ frontis in qua vetus magiſtra pudoris, & modeſtia ſanctis moribus ornata ſecuritas in bonis viris conſpiciebatur, qui montium cauernas, vaſtaſq. ſolitudines, & petrarum aſperitates, atque anfractus incolebant, vt breuitatem vitæ æternitatis memoria foliuagi conſolarentur, in his quoque coniugibus Camilla Piſcicella, & Cæſare Serſale è Capuanæ, & Nili centurijs Neapoli illuſtribus conſpicito. Inutilem potentiam aſpernari, cupiditatem dominandi præcipitem renuere, lubricam veræ, & ſolidæ gloriæ anteferre; caſtè, moderatè, ſanctè viuere; à ganearum nidore, & fumo, quo Principum aulæ conſpergi, & penè comburi videmus, longè abeſſe; mundum deſerere, in quo omnes conditiones miſeræ, ſermones inſidioſi, pernicioſæ aſſentationes, frons omnium familiaris, malaq. omnium mens, nulla fides, nihil ſtabile, aut firmum, cuncta infida reperiuntur; ampliſsimum virtutis præmium iudicarunt; vtq. velut ægroto, dùm anima eſt, ſpes eſſe dicitur; ſic ipſi quòd vana iſthæc contemnenda duxerunt, ſperare futuram tranquillitatem non deſiere. Delicium erat Camilla patris optimi. Cæſar is Piſcicellus eſt inter Neapolitanos Equites prudentia, bonitate, publicarum, & priuatarum rerum agendarum peritia primarius, qui in filia omnium fortunarum hærede inſtituta, domeſticæ præcipuè rei adminiſtratione, conſeruatione, amplificatione conquieuerat. Quæ tamen ex ſinu patris in monaſteriū ſanctiſſimæ Trinitatis, Pontificis auctoritate permittente, ſe abdidit, viro in Theatinos ſecedente. Hanc nulla vnquam cupiditas, nulla diuitiarum commoda, nulla muliebris illecebra, nulla honoris aura labefecit, & de paterna domo maluit, quàm de ſententia dimoueri. Debuerat patris amor ex lætitia, & voluptate, qua filiæ, & generi præſentia perfundebatur, ad luctum, & lacrimas eorumdem ſubita, & inſperata priuatione

recidere.

recidere. Laborum fructum iàm noua seni procella ademerat, & de manibus, nescio quo pacto, thesaurus elabi visus fuerat. Quis non esse in miserijs arbitraretur? In ea tamen mutatione, qua pacem bello, cœlestia terrenis, pericula salute permutari cognouit, iacta doloris tela, animi sapientia retudit; placetq. patri suorum salus, quàm libenti animo, diuturna cogitatione exquisiuere, & ijsdem ad hoc tàm præclarum, & illustre facinus paratis, omnium fortunam superasse visus est, qui eos huiusmodi pacatos antè viderit, quàm è vita discederet.

### Pinti.

*Plena cupidinibus mortalis plena procellis,*
*Quæ mea vexasti pectora vita vale;*
*Ite maritales complexus, ite superbæ*
*Turba mea, famulæ, sollicitaq. domus;*
*Pulcra vale facies auri, gemmaq. nitentis,*
*Vberis & quiuis diues amictus eat.*
*Hosce Camilla pio cuncta hac, dùm ludicra ludit*
*Munera fortunæ, fundit ab ore sonos;*
*Sic ait, & caro exemplum facit illa marito:*
*Visite: securus portus vtrumque manet.*
*Quid præsens vita hac (melius si cogites hanc mens)*
*Tempestate furens quid nisi pontus erit?*

---

## Constantia Dauala.



Væ duo belli fulmina peperit Piscarium, & Vastium, maximos Duces, insigne quoque bellicum facinus edere potuit Constantia Dauala, quæ illustria in mulieribus etiam gloriæ monumenta elucere significauit. Cùm enim ex Neapolitanis arcibus, Petri Nauarri opera, & industria Galli fuissent eiecti, cùmq. eorum classis, quæ serò aduenerat ad opem ferendam suis, Aenariam insulam esset aggressa, & 25 IN REGIA FIDE CONSTANS.

virus animo conceptum huiusmodi euomeret, vt Hispanorum classem, quæ ibi erat, occuparet; ipsa, quam Federicus Rex in eius insulæ arce reliquerat (nouerat enim & fidem, & fortitudinem) Hispanos egregiè defendit,& Aragoneum vexillum, tanta cum militari prudentia explicauit, vt illustrissimæ mulieris constantia, Regium nomen amplificasse, vel hostes iudicarint. At Dauala erat. Quid miraris? Nosti Daualos quibuscum victoriarum gratulationes cum Hispanis Regibus factæ sunt? Qui maximos omnium virtutum fructus pace, & bello vbique terrarum pepererunt? Nosti ne Daualum illum, qui Africæ fremitum, Galliæ insolentiam, Germaniæ minas in Cæsarem compescuit? cuius trophoeis summi Duces obsequuntur? cuius gesta in auro sculpta ab omni interitu, adeptis posteris honoribus, reuocantur? Suos Constantia est imitata; suorumq. in suos Reges fidem ostentauit.

## Pinti.

*Est vbi Daualicum signum, grauis insula monstro*
*Inarime, horrisono quondam tremefacta Typhœo?*
*Es ne oblita, tua, quantum conduxerit arci*
*Parte sua, arte sua, Gallos cum dispulit, armis*
*Vndigenam gentem aggressos, non vrbe potitos*
*Parthenopes, magni Fiderici fida coronæ*
*Dauala clara Ducum genitrix Constantia constans,*
*Vnde magis firmata tuo stas inclyta Regi?*
*Nunc in Aragoneam victricem lumina peltam*
*Tende, memor cunctis illi simulacra plateis,*
*Littoribusve loces, salso circumflua ponto*
*Læta tuo, glebaq. tua lætissima donis.*

## Eiusdem.

*Cum penes Inarimen Gallorum classe frementum*
*Classica sensisses, Daula animosa, Ducum:*
*Rex meus hic viuat, summa sic faris ab arce,*
*Hinc celer, hinc pedites Galle superbe moue.*

Quis

*Quis non hic videat, Rheno qui venerat, hostem*
*Saxa per, & scopulos eripuisse fugam?*
*Bellonæ hæc eadem (nil mirum) tela mouebat*
*Aucta fide, ausa manu fundere mille Duces.*

## Catherina Zunica, & Sandoual.



Ispani splendoris lumen in Catherina Zunica Ferdinandi è Castro coniuge, lectissima mulierum maxima, emicat. Noueris in ea dùm tacet, dùm loquitur, dùm quidpiā agit, virilis constantiæ nobilitatē. Tractantem arma quis dixerit Camillam, & equo insidentem nemo non arbitrabitur Pantesileam. Nunquam in ea fictum officium, nunquā simulata sedulitas; quodq. maximè laudabis in illustrissima Matrona, à commentitijs rebus, & verbis, quæ in aures insusurrat, semper abhorrens. Eloquentia mirum in modum allicit, & cogit. Scribendo, stylo grauiori, & vrbana dexteritate delectat. In Architecturæ studijs, ex Vitruuij fontibus vberes latices hausisse videtur; quamobrē Regiæ domus Neapoli typum à Dominico Fontana Regio Architecto editum, primis ab ea iactis fundamentis, aliqua ex parte emendarit. In Pictura, Vrbinatem, & Bonarotum sic loquendo, sapit, vt eius artis arcana ex eius ore mirificè eliciantur. Antiquæ Relligionis exemplar, consilio pollens, quæ firmam viri in Regno Neapolitano administrationem, prudentia, & animi magnitudine reddidit firmiorem. Biennium, & aliquot post menses, quàm Regni prouinciam sustinuere, obitum viri, qui Neapolitanis luctuosissimus fuit, tanta cum modestia pertulit, vt omnibus se præbuerit admirandam. Fortunata nimis, quòd Austriacis Regibus chara, & à Margarita Regina, Philippi III. vxore in primis habita, à qua in Hispaniam accersita est, Petro è Toleto Regiæ Neapolitanæ classis Præfecto Ductore, ad quem Rex ipse scripserat, vt nihil in Catherina vehenda à Regia Maiestate decederet. Fortunata fratris Lermæ Ducis,

26 ANIMI, ET FORTVNAE DOTIBVS AVGVSTISSIMA.

Castellæ

Castellæ Commendatoris, Magni Comestabuli, Philippi Regnorum Statoris, honoribus,& dignitate. Fortunatissima Francisco filio eximij ingenij iuuene, quem post coniugis funera, Neapolitanæ Reipub. gubernacula bis tractantem, & regentem omnium plausu, ciuium, & exterorum encomio, Palatij amplitudine, Fori,& subselliorum fide,iustitiæ præsidio, Annonæ vtilitate, qua subditorum animi recreabantur, iudicijs publicis, quibus de pace,& bello sapienter decernebat, materna beneuolentia celebrauit. Hunc nobilissima vxore ex Neapolitana nobilitate accepta, filiolis auctum, Veneta Legatione, Pauli V. Summi Pontificis,Philippi Hispaniarum, Henrici IIII. Galliæ Regum, omniumq. Europæ Principum votis functum, summis honoribus, muneribusq. amplificandum suus Rex iudicauit. Magnum semper quidpiam opus,& arduum Catherina conatur; quodq. magnæ cogitationis indiget, prudentissima conditione dissoluit; & dùm scopulosiore rerum loco versatur, eo tranquilliore tenetur animo, difficilesq. explicatus, animi præstantia in grauibus rebus agendis exorbet.

## Pinti.

*Somnia falsa monent: vigili at sunt vera reperta,*
*Quæ te vera decent nostra Thalia canit;*
*Quæ varia ingenia, atque artes, cultasve Mineruæ*
*Quæ sedes, quæ Mars milite diues agat.*
*Natorum varias formas, Equitumve potentum,*
*Cum varijs titulis stemmata mille Ducum,*
*Quæve amplas aulas, regali splendida luxu*
*Quæve aulæa, domus signa superba notet,*
*Postquam animo versata meo Heroina fuisti,*
*Visa mihi in somnis picta tabella fuit;*
*Inq. tuum gremium casu collabier alto,*
*Quam Iouis exardens deferat vnguis auis.*
*Somnia, quæ dederunt, Sebethi mittimus oris,*
*Aurifer accipiat, quo Tagus iste tuus.*

Eiusdem.

Eiuſdem.

*Inſignem veteres noſſent ſi te artibus, atque*
*Mentis luminibus: na Dea magna fores;*
*Numina quin in te coluiſſent plura Dearum:*
*Carmine Pegaſidum, quæ eſt loca prima ſuper.*
*Pallada doctrinis: Aſtræam iure: potenti*
*Sede, ſoror, ſummi quæ Iouis vxor erat.*
*Pro lepida, Charites, qua polles voce: Dianam*
*Venatu, ac nitido corde pudicitia:*
*Robore Bellonam: te at nos & libera propago*
*Priſcas ſupra omneis credimus eſſe Deas.*

---

# Blanca Scardeonia.



Aſsianum municipium Patauinum anno ſalutis 1253. recuperauerat inſignis Tyrannus Acciolinus. In ijs tumultibus Blancæ maritus dimicando ceciderat, ipſaq. (quæ in ea pulcritudinis præſtantia inerat) vi ducta eſt ad tyrannum, ex cuius tetro aſpectu ſæuiùs in eum furere Amor viſus eſt, quàm ipſe in ceteros crudelitate ſæuire conſueuerat. At cùm neque præcibus, neque pretio mulieris caſtitas potuiſſet expugnari, vim inferre conatus, tantum moleſtiæ deneganti attulit, vt minis, voce, manibus per cubiculum iactatam, ad feneſtram tandem impulerit, ex qua, accepta occaſione ſe præcipitauit, potius cum mortuo coniuge candida mori, quàm fœdam cum Tyranno vitam ducere exoptans. Semimortuam, humo ſublatam, diligenter curandam iuſſit. Multos poſt dies conualeſcentem, eius conſtantiam hoc periculo perfractam exiſtimans, ad conſpectum iterum accerſiuit. In propoſito continentiæ fortiter reſiſtentem, & venenata promiſſa recuſantem, contorſit Acciolinus oculos, iniecitq. manus, atque illigatam ſtuprauit. Proh ſcelus. Quid ſibi conſuleret bonæ fidei mulier? Quibus mens caſta furijs exagitabatur? Amicos deprecata eſt,

27 PVDICITIAE VI DEPERDITA.

vt viri sepulcrum per eos visere liceret. Adijt; repaguloq. sublato, in sepulcrum se coniecit, effracta ceruice lapidis impetu; quodq. maximè optauerat, vt ab amati coniugis amore neque mors eam diuelleret, misero, sed sibi felici obitu impetrauit.


### Pinti.

*Hìc, hospes, iacet illa Scardeona,*
*Hìc virtutis amans iacet pudica.*
*Incesti potuit manus Tyranni, &*
*Eius ludere cassidem salacem.*
*Se se præcipitem dedit, fenestra*
*Data ausa: genus id cui placebit*
*Lethi? prænitido cauet pudori:*
*Quis non inuideat; probetq. multis*
*Dignatam numeris, satisq. fundat*
*Odores latices, rosasq. canas?*
*Hæc vltrò in tumulum ruit mariti,*
*Effrænam Venerem cauens Tyrranni,*
*Vitæ extinxit ibi faces: dolebit,*
*Quis non & lacrimas pluet sepulcro?*
*Si pudicitiæ probentur, hospes,*
*Hæ laudes: reuerenter huic salutem*
*Dices: Blanca vale, i, Tyranne pessum.*

---

## Valeria.

28 FILIAE IN PATREM PETVLANTIA.



Atam Valerius Valeriam Tusculanam habuit: Quàm vtilius si feram generasset? Patris amore flagrans, vltrò se amantem ostendere, non furiarum tædis, sed conscientiæ angore agitata, dubitauit. Rem ad nutricem detulit; & solent profectò cum nutricis lacte quamplurimos errores mulieres sugere. Dolo malo hæc, & præstigio circumuenit herum, in maximo scelere inauditam fallaciam commolita; quis

enim impudenter filiæ petulantiam paternæ castitati obiecisset? Vicinam virginem eius concubitum petere simulauit, quæ tamen apertè secum congredi recusaret. Annuit illecebris homo, à quo nihil humanum erat alienum. Cùmq. noctu, absque lumine, in lecto iacerent, amantis abditas notas luminis testimonio dignoscere postulauit. Cognitaq. filia; *Heu, heu* (inquit) *quid malum tantum facinus? Quid execrabilis hæc libido? Hæccine nutricis impudentia, filiæ detestanda petulantia, in tàm dira me impulit? Heu scelus infandum. Moriar. Lucem cur intuebor?* Repentè pater paterni amoris vincula, tanta exorta offensione dirupit. Repentè filia, paternæ domus commodis relictis, in intimas sese abdidit siluas, peperitq. Siluanum. Ambo se posteà præcipites dedere. Plutarchus ex Aristide Milesio refert, vt aliqua de Myrrha, & Cinyto sit fides in libro Metamorphoseon adhibenda Theodoro.

## Fabij Albini.

*Si quæ concupio, taceo. ferus ignis aduret*
*Intus; sin dicam, me coquet ore rubor.*
*Si quæ opto, obtineo, moriar. si optata negantur,*
*Emoriar. quid agam nescio me miseram.*
*Siue animo peccem, seu corpore: dedecus ingens*
*Ventre homines poterunt, corde videre Deus.*

## Pinti.

*Ex vtero prodit, Siluaninomine, fœtus:*
*Ipse mihi gnatus, frater & ipse mihi est:*
*At quoniam incesto fœdaui semine ventrem:*
*Nec bene natus erit, nec bene frater erit.*

Eiusdem.

*In præceps hæc me viderunt saxa ruentem,*
*Sub quibus infelix manibus acta feror.*
*Cum patre (proh scelus infandum) nutrice dolosa,*
*Concubui: in siluis pignus & inde tuli.*

*Quo sciat, hoc iaceo deflenda Valeria saxo:*
*Omne meo procul hoc limite dulce vale est.*
*Tanti caussa mali Veneris male suada libido*
*Mi fuit: illa tibi perplacet hospes? abi.*

## Camma.

29 VIRI MORTEM VINDICANS.



SInatus nobilissimo apud Gallogræcos genere, eleganti forma vxorem duxerat (cui nomen Camma) Dianæ Sacerdotem, cuius amore captus Sinorix amplissimo item apud eosdem loco natus, cum mulierem quibusvis precibus incitatam, constantem reperisset, amentia ductus, Sinatum per dolum occidere statuit, nuptias deindè faciliùs eo mortuo consequuturus. Immanem hanc necem Cammam dissimulantem, ea tantùm res consolabatur, quòd eam aliquandò vlcisci posse sperabat. Factumq. vt cùm post aliquot dies in templo esset, eòq. Sinorix venisset, nuptias ei persuaserit, & ad Aram duxerit, quasi coram Dea fidem datura. Componit intereà mulsum, & pateram libanti, partem ipsa bibit, partem incauto viricidæ propinat. Qua hausta, læto animo, vultuq. ad aram procumbens, ait; *Sanctissimum te numen testor, me amantissimi viri cædem, & Sinorigis scelus præclarè vindicasse: Gallogræcis, obtestor, patefacias, ad coniugem me inultam discedere noluisse. Tibiq. interim, omnium sceleratissimo, non thorum propinqui, sed tumulum parent.* In alieni coniugij iura violantem, omnes meritò furiæ concitentur.

### Pinti.

*Ingenui coniux lectissima Camma Sinati,*
*Marmoreo hoc placide vase reposta latet.*
*Lucinæ fuerat templi præclara Sacerdos:*
*Concidere aspexit (proh dolor) ense virum.*

*Ast non huc tantum facinus peruenit inulta,*
*Sinoricem extinxit, qui viricida fuit.*
*Huius relliquiæ latitant vel in oſſe doloris:*
*Vltura hinc melius (ſi queat) exiliet.*

---

# Margarita Sarrochia.



Rinnam Doricè ſcribentem, & ad Homericam accedentem maieſtatem, non Teia tantùm inſula, in qua orta eſt, ſed omnis ferè Græcia eſt admirata. Saphonem Lesbos, quæ dicendi ſuauitate, & breuitate Lyricis verſibus vndè Suadæ ſpiritus profundo veluti Elegantiæ gurgite emergebat, Alcæo, & Steſichoro doctiſsimis ſcriptoribus antecelluit. Corinnam Thebe, quam non Olympico certamine luctantem inſpexit, ſed cum Pindaro Poëtarum præclariſsimo quinquies diſputantem audiuit. Margaritam verò Sarrochiam Neapolis parens, & Roma, in qua diù vixit, non poeticis modò ſtudijs, ſed omnium etiam diſciplinarum ornamentis inſignem intuentur, celebrant, admirantur. Suam vtraque vrbs habet Aſpaſiam, ex cuius philoſophicis ſtudijs veluti ex ditiſsimo promptuario, multi Pericles edocentur. Suam habet Ippatiam, quam ſæpè inter cœlorum orbes de ſideribus loquentem proſpicit eucctã. Suas, inquam, Cornificiam, Corneliam, Probamq. quibuſcum eiuſdem ſcriptis doctrinarum varietate, & poetices gloria, Italiam nouimus illuſtratam. Scripſit Margarita Scandebergi maximi, & glorioſiſſimi Principis res heroico verſu Italico geſtas, tanta cum muliebris nominis amplitudine, tanta cum eloquentiæ dignitate, vt niſi eius mihi virtus pateret, ancipiti iudicio crederem, tantam ſcribendi molem à muliere fuiſſe excogitatam. Commentaria in Caſam lucubrauit. Locupletis doctrinarum poſſeſsionis cenſum, nitido ſcriptionis genere auxit. tantumq. diuitiarum in litteris comparauit, vt quæ alij in lacinia ſeruant, ipſa liberaliter rotundo ore profundat.

30 POESI, ALIISQ. VIRTVTIBVS INSIGNES.

## Pinti.

*Etruscos simulas vates, Sarrochia, versu,*
*Dùm canis Epiri maxima facta Ducis.*
*Promere ne cesses mira dulcedine cantus,*
*Prosis quo exemplo femina culta viris.*

## Eiusdem.

*Vates, Calliope, tuus*
*Purum pampinea de patera merum*
*Ad fontis latices Equi*
*Fundit; teq. adijt sollicitus prece:*
*Orat non rutilum torum*
*Auro, non pecudes saltibus Appulis,*
*Nec Lestrigonio sibi*
*Spumantis dolio munera Massici,*
*Terræ aut horrea Creticæ,*
*Regum aut sceptrigeras manus,*
*Nil horum sibi postulat;*
*Iucunda at cytharæ carmina principis,*
*Dignam laude Poëtriam,*
*Quæ alta in sede locent. Muneris hoc tui est*
*Alma, o Calliope, optima,*
*Quod Sarrochia dat clara Poëmata,*
*Monstrant Italici virùm*
*Quod docti hanc digiti prætereuntium*
*Insignem eloquij sonis,*
*Et quod sit supero prædita lumine.*
*Nobis, Calliope, dabis:*
*Potauit satis è flumine Tybridis.*
*Sebethus petit hanc suam;*
*Vt virtute grauem cœlicolæ suam.*



Nogarolæ

# Nogarolæ Veronenses.



Vas habuit Verona Matronas, quibus eius no- 31
bilitas illustrior facta est, & quarum laudes li-
bentissimè Theatri sui proscenium inter sapien-
tis populi voces resonaret. Genuit ea ciuitas
Negarolos, quorum maiores iàm indè à Caroli
Magni in Italiam aduentu nobilissimè floruerunt. Ex ijs prodiere, ANTONIA Saluatico Bonacolpho Mantuani Passerini Principis nepoti, excellenti forma, quæ tamen intellectus perspicacitate præstantior habita est, in matrimonium collocata, viua quæ adhuc omnium viget encomio, doctrina, & moribus insignis. ANGELA Antonij ab Arco coniux, Pij II. Pontificis ætate, tota Italia litterarum studijs, diuitijs, modestia, relligione notissima. Multos perlegit auctores, sacris verò plurimùm delectata, quorum mysteria versibus Latinis varijs generis explicauit, altera scribendis centonibus Proba Falconia. Tres præterea sorores, GENEVRA Brunori Gambari Brixiani Comitis vxor, doctissimè humanis litteris imbuta, quod eius testantur epistolæ styli candore, & sententiarũ grauitate laudatissimæ. LAVRA Nicolao Trono Veneto nupta, ad Geneuræ gloriam ob relligionis virtutes, & beneficia, quæ in pauperes contulit, accedens. Et ISOTTA, quæ virginitatem professa, Latini sermonis optimè calluit elegantiam. Extant eius orationes, & epistolæ ad Hermolaum Barbarum, Nicolaum V. & Pium II. Pontifices, quibus in Turcas piorum animos excitabat. Eius Theologica, & Philosophica scripta cùm legerit Cardinalis Nicenus in Senatu illo sanctissimo celeberrimas, eius videndæ cupiditate accensus, Veronam profectus est, & cùm virginem conspexisset, non humanam, sed diuinam prædicauit.

Pinti.

Pinti.

*Si vos tempus idem pernosset: tu ne fuisses*
*Sæpe tòt in templis culta Minerua tuis?*
*Dixissent homines: non tu, sed clara cerebro*
*Fluxit in has terras Angela nata Iouis.*
*An ne eadem illius germanæ dicta tulisses?*
*Aemulus vnanimes nos adijsset bonos.*


Eiusdem.

*Altera Geneura est, Laura hic est altera, Isotta*
*Tertia, femineas tres habet vrna togas.*
*Si patriam quæras: Verona est, magna Catulli*
*Carmine, prædoctis maior at hisce tribus.*
*Ore sonos vates nugales edidit ille,*
*Seria & hæ culta composuere manu.*
*Si genus: est patri lunatus calceus harum,*
*Non dùm aureus ferijt gens Nogarola tuas?*
*Quæ plura hinc capies, cineris dùm cernis aceruum?*
*Tres similes tribus hæc continet vrna Deas.*
*Geneura, Aglæa est, Laura, est bene compta Thalia:*
*Virginea Euphrosyne est altera Isotta coma.*

---

# Isabella Andreina.

32 COMICA ILLVSTRIS



Omico iocandi genere, sed eleganti, interdùm ingenioso, sententias in scena Isabella Andreina obloquebatur. Ex antiqua Comœdia vrbanitatem, salesq. ad hæc nostra tempora tanta cum modestia transtulit, vt non Comicorum stylo verba pronunciaret, sed eorum more, qui aut pro rostris dicerent, aut panegyricos pertractarent. Intercedebat aliquandò, ipsa actrice, grauitas, & Attica fluebat facundia, in qua omnia & suauitate placerent, & maximo decore delectarent. Nihil in ea spectabatur vitiosum, nihil quod non com-

commendabile potuisset existimari. Peritos arte Roscios edocebat, dùm amando, differendo, confutando, affirmando ad eas res à Natura eam intelligebant fuisse conformatam. Quid, quòd scenam ipsa sæpiùs scholam reddere visa est, in qua non spectatores, sed auditores in concione asciderent Philosophica, & Astrologica exercitatione? Suiipsius illa comis artifex, eloquio, & specie, Cothurno, & Socco, Suada, & Venus, theatri decus ad amorem incendit, ad concinnitatem allexit, ad omnem leporem inuitauit; postq. plausum cantauit, saltauit, & placuit. Volumen Lyricarum compositionum edidit, Cinthio Aldobrandino Illustrissimo Cardinali dicatum, in quo ingenij vires, & acumen curiosis propalauit.

## Pinti.

*Quid moræ? è scena latebra, Andreina,*
*Exi vt in socco tabulata quasses:*
*Spectat illustris te hominum corona*
*Dulce loquentem.*
*Peruolat vultum Venus, & Cupido,*
*Atticum toto fluit ore nectar,*
*Ridet hanc circum tua perpolitá*
*Musa, Terenti.*
*Exi, vt hinc curas animis repellas,*
*Nam vales læto eloquij nitore;*
*Arte mira omnes salibus, iocisve*
*Pellicis aures.*
*Exi, vt in risus moueas sedentes,*
*Vt tibi primas phyliras capessas;*
*Hinc vt elata à celebri virorum*
*Laude recedas.*

Eiusdem.

*Quæ nosti verbis aurem irretire, mouendo*
*Labra, oculos; nuper quæ mihi visa loqui es:*
*Cui Charitum inuidit princeps Aglæa leporem,*
*Inuiditq. suum cui Dea casta decus:*

Cui

*Cui fari Rosci decuit Comœde: frequenti*
*Primus in orchestra sit tuus artis honos,*
*Cui vel sistebas Siren cum plectra cieres:*
*Prò dolor angusto hoc saxo Isabella latet;*
*Delicium latet hic Equitum.* TV *fide: voluptas*
*Rebus ab humanis dùm cito fluxa cadit.*

## Leonardi Todeschi Med. & Phys. Anagramma.

LIRA NE, AN LABRIS DEA.

*Tanta Isabella tuam decorat facundia linguam,*
*Seu laxo, stricto seu pede verba liges:*
*Et calles tanta arte fides procurrere dulces,*
*Seu malis plectro, pollice siue velis.*
*Sis* NE LIRA, AN LABRIS DEA *nullus vt ambigat ordo;*
*Cum Dea sis labris, sis & habenda Lyra.*

## Francisci Polæ I. C. Veronensis Anagramma.

ALIA BLANDA SIRENA.

*Dùm tu Isabella micas pleno Andreina theatro*
*Ingenio, facie nobilis eloquio.*
*Ecce* ALIA *hoc* SIRENA *æuo tu* BLANDA *videris,*
*Sic tua te lepide nomina versa ferunt.*



Cleobu-

# Cleobuline.



India, quam prospicis, mulier est, Cleobuli Sapientis filia. Versatile huiusmodi coluit ingenium, vt in omnium rerum cognitione, ænigmatibus, atque griphis scateret. Ideò sapiens. ideòq. elata, atque arguta. Quæ mens rerum inuolucris, longèq. petitis concipit, iisdemq. Naturæ parturit arcana, ex intimis Sapientiæ fontibus haurit, & secreta quadam vbertate copiam profundit. Eò sublimiore acumine mulier, quòd abstrusa isthæc, & difficilia tanta felicitate consequeretur. Celebre de anno ænigma eadem commenta est; Vnum scilicet esse patrem, duodecim filios, eorumq. cuiuslibet liberos triginta.

33 ARCANORVM EXPLORATRIX.

## Pinti.

*Quænam sub tumulo? gnata Cleobuli,*
*Tantum quæ ingenio polluit, arteq.*
*Tamve ænigmatibus quæ faciles vias*
*Soluendis habuit, quæ Sapiens fuit;*
*Multa ex ore dedit, multa manu dedit.*
*Hæc non lanificis nata, sed inclytis*
*Rebus: mas fuerat, non mulier, male*
*Sit quæ apta ad calamos, apta male ad libros,*
*Tantum femina cum didicerit, parum est?*



# Maria Gornacensis.

34 

*Ouum monstrum, & nostri sæculi verã Theãno*, Lipsius appellat admirabilis ingenij, cultissimæ lectionis, singularis prudentiæ nobilem Virginem in hoc theatro propositam. Maria Gornacensis hæc est, omnibus ijs ornata, quæ vix cadere in muliebrem sexum credit iudiciorum ille Princeps; & quæ dubia incredulitate exploderet, certa fide, varijs argumentis in ea est admiratus; tùm præsertim, quod singulare iudicium de magno quodam viro adolescens protulerat. Multa ediscere, innumera posse scribere, delicatæ indolis mulieri dabitur. Sed κρίνειν, sed δίκαιον λογιστὴν εἶναι, obscuras mentis ambages enudare, malè ne, an benè factum sit liberè eloqui, in summo intellectionis fastigio positum est, quod cùm quis attigerit Herculeo labore Antheum vicisse non dubitabit. De Græco hæc idiomate huiusmodi decernit, vt ex ea doctissimi viri iudicium quærant; & Latino tantum excellit, vt paucos ad eius candorem accedere posse affirment. Quod si cùm Lugdunum esset ventura, concepto voto his verbis ab eodem Lipsio excepta est, O *mihi lucem, quà te propius norim! non enim dicam probius; adeò satis te nosse videor è pauculis scriptis, atque adeò vel sine scriptis*; cur voti causa, quo me tot virtutibus obstrictum puto; non datur in eas regiones peregrinatio?

*Iudicare, æquum æstimatorẽ fieri.*

## Pinti.

*Si nomen Mariæ: quid tibi dulcius?*
*Si sermo latius: quid tibi cultius?*
*Si quis scripta legat: quid sibi doctius?*
*Si quis te videat: quid sibi pulcrius?*
*Si quis te audierit: quid sibi gratius?*
*Dilecti superos virgo? quid altius?*
*Si sors parca fuit: quid tibi tutius?*

*Duxisti*

*Duxisti hanc nihili? quid generosius?*
*Te Lypsus celebrat? quid tibi clarius?*
*Laudant Oenotrij? quid sibi dignius?*

---

# Vrsina Caualletta, Liuia Peparara, & Tarquinia Molza.



Vlam Alfonsi Estensis Ferrariæ Ducis (quem 35 36 37
mœsta luget Italia, cuius lumen tanti Principis interitu restinctum est) tres Musæ nouum Parnassum effecerant, quæ quotidianis studiorum exercitationibus Atticæ disciplinæ instituta, & Gymnasij leges alacri, & vegeta sedulitate cũ totius Europæ admiratione, conabantur æmulari. *O domus Ancæi*. Stantem florentissimæ domus columnam fortuna proruit; nec Ariostos, aut Tassos, nec Molzas, aut Guarinos, nec quot Itala tellus protulit doctos viros Ferraria domicilio excipiet, vel in Academiarum consessu audiet. Sed nec inter choreas Nymphæ corollas nectent; nec fortasse iocũda cœli serenitate æquor florebit agrorum, aut quæstuosa fluctuabunt in segetibus vndæ. Cultorem habet profectò, qui rastris prudentiæ nouerit glebas inuertere; Non tamen semper idem Agricola. VRSINA Caualletta hereditariæ apud illius illustrissimi Principis Aulicos (quos eruditissimos vndique præmiorũ stimulis ad eam nobilissimam ciuitatem incendebat) omnium doctrinarum dignitati adipiscendæ, curis peruigilibus, incubuit; virtutisq. apicem transcendere visa est, cùm Latinæ, & Italæ linguæ gemmis ornata, summo nitore eximijs Poëtis omnibus illuxit. LIVIÆ Pepararæ, Calliopis voce, Melpomenis cantu gloriam, quis non inuidus consequi exoptarit? TARQVINIAM Molzam, disciplinarũ splendore, linguarũ omnium peritia conspicuam, quæ ex Charitum sinu omnẽ leporem rapuit, quis efferat? Maiorum ne gloria eã laudet, an ingenij felicitas? Nihil horum. Iulia Estensis Mutinæ felicissima

Princeps institutione laudet, & contubernio. Tantæ Heroinæ, admirabilis ad omnem maiestatem indolis promptæ laudem, tantum sibi emolumenti allaturam Tarquinia animaduertet; quantum mihi, si à Serenissimo Cæsare præstantissimorum Ducum exemplo, in suos adscitus fuero, gloriæ, & honoris accessurum intelligam.

## Pinti.

*Tantæ paruus bonos* VRSINAE *marmoris extat?*
*Hanc miror, cur non aurea saxa tegant;*
*Miror & Eridanus cur non de limite turgens,*
*Exierit, tumuli bella mouere solo,*
*Incusans Mortem dicta hæc cum prompserit ore:*
*Nympha Vrsina meo quò fugis vmbra sinu?*
*Te rapta doliturus ero, Phaëtonte sorores*
*Extincto ad ripas vt doluere suo.*

I I.

*Calliopes tumulo tristem dat tibia vocem,*
*Questibus & reliquæ complent hæc ossa Camœnæ,*
*Diana hic, & passo lacrimatur crine Minerua.*
*Non audis, non ista vides?* PEPARARA, *viator,*
*Liuia sub lapide est, quis non hanc defleat? ampla*
*Regna Padi, ferri dicta vrbs de nomine deflet,*
*Cuius ab ore auri magnam vim ceperat, auro*
*Ni quouis melior cecidit sonus ore puellæ.*
*Non Dux magne gemis?* PEPARARA *hoc abdita busto est*
*Illa tua illuge magno Duce nate parente.*
*Delicium fuit illa patris, fuit inclytus aulæ*
*Splendor: in extinctum querulos det tibia cantus.*

I I I.

*Siste hostes: tumulo* TARQVINIA *hoc latet,*
*Molzæ gentis bonos Eridani decus,*
*Mater clara suo pignore nobili*
*Aeque ac clara suæ munere Palladis*
*Vilus spreuit amans hæc calami colos,*

*Docto*

*Docto docta suo perplacuit Duci,*
*Vel si verba manu, dente vel edidit.*
*Vt casto hæc tenuit corde Lucretiam,*
*Sic fœdum timuit Tarquinij scelus;*
*Quin victis merito Tarquinijs dedit*
*Nomen. casta dies femina transigit?*
*Illud maius habe, quàm si omnia de schola,*
*Tanquam fonte, bibat plena volumina,*
*Quàm si castra suis viribus arceat.*

---

# Franca Illyria.



Vm classem in expeditionẽ contrà Venetos Selimus Thraciæ Imperator anno 1570. eduxisset,& in Cyprum insulam cogitaret, dùm maritimam oram legeret,militum manus ad Antibarim appulit, vicina oppida, & agros direptura. Obuiam inscia processit nobilis virgo, cui nomen Franca Medimnouicca, quæ hostium aspectũ pertimescens, in certam, & periculosam fugam inter saxorum asperitates se coniecit. Barbari non improbè partam prædam arbitrati, si eam captiuam ducerent, fugientem haud impigrè sunt insequuti. Generosa tamen virgo cùm animaduerterit aditum sibi aliò non patere, ex pendenti saxo maluit in maris vndas se præcipitare, quàm Scytharum immanem seruitutem subire, & inuitam violari. Saxa perpetuum nomen sortita sunt, quæ deinceps ab accolis *Die uineze stine* (virginis scilicet saxa) appellata fuere. Quid? Illustrius nomen hisce saxis virginitas, quam Fortunatis insulis rerum vbertas comparauit.

38 VIRGINITATEM SERVANTES.

## Pinti.

*Saxa hæc præcelebri prædita nomine*
*Flexis nauta subi poplitibus, decus*

*Debetur*

*Debetur niueo pectore virgini*
*Hoc Francæ Illyricæ, quæ in Thetidis sinu*
*Promeruit tumulum mersa, feros Equos*
*Hostileis, furias & sceleris vetans.*
*Quæ mortalis erat, Nympha maris diù*
*Neptuni à cyathis tempora transiget;*
*Hanc & Phorcus amat munere regio*
*Ditem, splendida sub tecta corallijs.*
*Sed quid ficta cano? Franca domos habet*
*Diuûm. non habet: hæc atra sibi intulit*
*Quamuis non gladio lethiferas manus.*
*In caris habuit pura? quis efferat*
*Paucis? præcipiti de salebris pede*
*Se in pontum dedit? extolle animos. scelus*
*Non est: virgineus flos manet? haud scelus.*

## Placida Campana. Hippo.

59 

Axima ad Campanæ vrbis gloriam accessio Placidæ puellæ pudicitia facta est. Iniecit in eam oculos Gallus miles, ex cuius aspectu cùm in petulantis animi libidinem Cupidinis flamma irrepsisset, atque ità, vt præcordia sensim lambens, vehementi tandem impetu ad mentis fomitem exiliret, tantùm creuit, vt totus exardens illicò conflagrarit. Nec potuit vnquam puella nefarium virum pudicæ frontis nubecula, quæ ingenui minabatur animi procellas perterrere. Ad Vulturni ripas digressa, ne per vrbis compita militem obuium haberet, suo malo ad ripas ambulantem reperit. Nactus ille tunc loquendi occasionem (faciebatq. animos loci solitudo) puellam adiuit, blandisq. verbis alliciendam ratus, nullum facundiæ locum prætermisit, quo se præberet venustissimæ virginis amatorem. Surdæ tamen fabulam narrans, ab amore ad vecordiam, & amentiam funesto vultu cruorem minitans, se profudit.

fudit. At Placida, cùm facinorosi hominis crudelitatem euadere non posse sibi persuasisset, se voti compotem eum facturam pollicita est. Et dùm paulatim ad ripam accessissent, dùmq. conscia futuri facinoris, vultu, gestuq. eum irretiret, præcipitem subdolè se dedit in aquas, & fluminis vorticibus absorpta, Tyrrheno mari cōdita est, vt tantæ virtutis, & castitatis, nō Vulturni solum gurgitem, sed præconem etiam haberet Oceani vastitatem. Græcam hæc superauit Hipponem, quæ seruandæ castitatis causa, è naui se in mare proiecit, & in Erythræo littore condita est.

## Auctoris.

*Fluctiuago assuetus Pænorum vertere cursu*
*Corpora iàm rapidis obruta vorticibus,*
*Tyrrhena exanimem dùm voluit ad ora puellam*
*Quam videt extinctam captus amore procus,*
*Vdam Vulturnus complexus gurgitis vrnam*
*Atque coma mœrens tectus Arundinea*
*Hæc ait; Et Tyberis non me nobilior, arte*
*Clœlia quòd magnis lauerit ora vadis;*
*Nec me nobilior Luna, Phœbiq. sororum*
*Quòd biberit lacrimas corniger Eridanus.*
*Virgineos manes dùm colligit vnda, superbo*
*Castus Honos effert clara trophæa toro.*
*Consequimur laudes, Fama præstamus vterque,*
*Placida Virginibus, ast ego Fluminibus.*

## Fabij Leonidæ.

*Placida lasciuos cùm Galli audisset amores*
*Hincq. vrgere preces cerneret, indè minas;*
*Ridentem sese illa prius, simulatq. volentem,*
*Vulturni & rapidis lenta propinquat aquis*
*Hinc verò; Nostrum ne (inquit) scelerate pudorem*
*Barbare, sic te armis vincere posse putas?*

*Nescius*

*Nescius est vinci inuitus pudor, ille superba*
*Flumina, terribiles non timet ille faces.*
*Idq. meo exemplo discas: sic fatur & vndas*
*Ocyus in medias se moritura iacit.*
*Felix o virgo, & cunctos celebranda per annos,*
*Cui potuit vita carior esse pudor.*
*Nunc iuuenis stulti Icarium mare nomina iactet,*
*Vulturnus fama est si meliore nitens.*

## Pinti.

*Cur non Vulturne est Placida de nomine nomen?*
*Sic mare Dedalidæ nomine nomen habet.*
*Nomine si Placidæ, casta de virgine sumpto,*
*Ires: decursu quam meliore fores.*
*Quin si olim dulcis non hæc tua lympha placebat.*
*Ob Placidam, o Fluuiũm quam mihi prime places.*

---

## Micca Eliensis.

40 Abuere Miccam ciuem Elienses Philodemi filiam, quæ vna patriæ, seruata virginitate, omnia laudis attulit ornamenta. Moribus, & forma excellentissima, à quodam Leucio Tyranni satellite adamata est, qui minas, atque vim inferens parẽtibus, vt vltrò ad se virginem mitterent, petulanter imperitabat. Hi sanè, quòd eius ebrietatem perferre nequirent, eam rem adolescentulæ inuiti persuadebant. At illa paternis genubus aduoluta, amantissimè obtestabatur, atque obsecrabat, vt turpissimũ flagitium aliquo aut honestatis, aut pietatis præsidio auerteret; mortuam potiùs, quàm turpiter, amissa virginitate, viuentem intueretur. Quid suauius, quàm virginitatem mortis supplicio tueri? Quid detestabilius, quàm dedecoris, & ignominiæ fama notari? Longa cum traheretur mora, libidine, & amentia

raptus

raptus Leucius, ad mulieris ædes erupit. Sinus patris amplexam Miccam, violenter humi strauit. Mox laceratis vestibus, nudatam grauissimis plagis afflixit; neque vox inter dolorem, crepitusq. plagarum audita vlla est. Acerbo tunc spectaculo, qui domi erant commoti, indignis contumelijs affecti, Deorum opem implorare. Verùm vino, atque ira percitus aufens, in patris gremio, ad quem confugerat, pudicitiæ seruatricem miserrimè iugulauit.

## Pinti.

*Quò te obscœne trahit furor Lyæi,*
*Satelles? Vocitande Ditis atri*
*Satelles? rapiende per caminos,*
*Omni flamma quibus perardet æuo?*
*Nunquam Mœcha fuit decora Micca.*
*Te non Micca mouet misella Virgo,*
*Amans Virginei sui pudoris?*
*Insanum ne ita te dedit libido?*
*Deùm proh pietas, virùmq. Parua*
*Amens insequeris genas puellæ?*
*Hoc ne audes facinus patrare? Mauris*
*Peius quid faceres Leænæ, & Vrsæ?*
*Micca haud est fera, sed tenella virgo*
*Cauens contaminare cordis album.*
*Manus dedecore abstine satelles:*
*Vagina reprimas trucem macharam,*
*Prius cum patiatur hæc subire*
*Necem, quàm maculare Micca florem.*
FLOS *est virginitas. opem parentes*
*Natæ ferte citi. pudor calenti*
*Quicunque à Venere abfuit calonum.*
*Lixarum impietas modos habere*
*Nullos nouit. opem satis valebis*
*Tu mens ferre piam superna cæli,*
*Florem hunc ne famulus premat Tyranni.*

Ee *Silua*

*Silua hùc egredere hùc tua Diana,*
*Ciues numen amant tui Elienses;*
*Sat venata cane es. perempta Micca est,*
*Micca est illa tuo timens decori:*
*Luge, & vos Charites humate Miccam.*

---

## Diana Moscana.

41 Index Diana Moscana Consentina tanti sceleris, quod antè commemorauimus constituta est, vt præsentis pœnæ metu, virginum castitas non violetur. Hæc ignobili loco nata, sacris induta vestibus, textrinam exercens, victum quæritabat. In eam oculos cùm iniecisset Fabius Cappellus, & nec muneribus, nec minis potuisset contaminare, texentem aliquandò illiberalibus verbis accepit, mox districto pugione perterrere conatus est. Ea verò audax honore, insana pudore effecta, securi percussum libidinosum amatorem interemit, remq. tribus diebus occuluit. Cùmq. facinus Magistratus resciisset, non modò homicidij rea facta non est, sed eius virago plurimùm fuit collaudata. In violantem virginem, vindex Deus illicò efficitur.

### Th. Natalis Budislaui Marcanens. Episcopi.

*Sceno acos scena, vecchiassi neg ona*
*Ca dobi Olserna vliti Sansona.*

### Pintus è regione Latina fecit.

*Si es mulier, mulier, vicit, na maior es illa,*
*Aut quæ Olophernem, aut quæ valido Sansona capillo.*

Pinti.

## Pinti.

*Illa sub hoc, hospes, dormit textricula busto*
*Moscana, in Veneto ter venerata solo.*
*Hac, Pergaa, tuo gauisa est nomine, mores*
*Est meditata tuos, est imitata tuos.*
*Visa sit hic anceps ferro fabricata bipennis,*
*Immista & niueis lilia cana rosis;*
*Lina hic visa colo pendentia, forfice tela,*
*Cuncta Diana sibi hac symbola iure petit.*
*Nens, vel lasciuum texens occidit amantem:*
*Paruum ne hoc facinus virginis esse putas?*

I I.

*Quid sibi picta velit, latet, ista secespita saxo:*
*Moscana hoc textrix est sita sub tumulo.*
*An scelus admisit? Nullum. Interfecit amantem*
*Ne decori maculas funderet ille suo.*
*Huc ades, & niueos patera perfunde liquores*
*Diana, rosis Diana lilia texe tua,*
*Quousque hinc exurgat, forti munita securi,*
*Hic ex Nympha tuis pulcrior esto vigil.*
*Huc valida, & casta paruum pro Virgine donum est:*
*Non maiora meret Virginis auctus honos?*

I I I.

*Si nescis, iacet hoc tumulo Moscana, viator,*
*Qua ingentes animos virginitate dedit.*
*Texendi arte valens vita pracidit Amantis*
*Telam animosa sui, ne violanda foret.*
*Tanti est virginitas, tanti dignatur honore,*
*Assis & hanc vilis tu tamen ossis habes.*

I I I I.

*Virginis hic vltrix merito est exsculpta securis,*
*Repperit hac inter clara trophaa decus;*
*Quin, si danda esset, maiorum, victima, more,*
*Aris apta foret quam bene sacra Deo.*

Ee 2 Sempro-

# Sempronia Spathaphora.

42 ZELOTYPAE INTERITVS.



Lteram quam contrà Imaginem conspicis, cui venenatum poçulum Eumenides suppeditant, Semproniæ Spathaphoræ Consentinæ nobilis mulieris est, quæ quòd egregia forma inter alias eniteret, & viro deformiori nupta esset, ancillam perditè amanti, tantum doloris animo concepit, vt non multos post dies pepererit interitum. Doluit non tam coniugis turpitudinem, quæ in deformitate corporis plurimum habet offensionis, quàm deprauationem,& turpificati animi fœditatem, cùm neglecta vxoris optata venustate, abiectæ mulieris pudicitiam deperiret. Cùm denique omnibus artibus ad amorem sui virum frustrà prouocaret,hausto veneno, medicorum curatione reiecta, lubens emori voluit. Impudicis virorum moribus, muliebris simplicitas sæpenumero contaminatur.

## Pinti.

*Dă, cur Eumenides huic simpula plena veneno,*
*Suppeditant, pulcris quæ mouet ora genis?*
*Coniugis illa sui (turpis licet) arsit amore,*
*Inde sibi quisquam nec veniebat amor.*
*Ille suæ (heu misere) seruæ ille libidine captus,*
*Fugerat vxoris quodque cubile suæ:*
*Sic spreta ille, inquit, viuam sine coniugis vsu?*
*Ditis, apud Manes, forsitan vxor ero:*
*Sic ait (ausa ferum scelus id committere factis)*
*Ebibit & lethum, nec scelus esse putat.*
DILIGE *vir sociam: inconcessa stragula temne,*
*Aut sine lege tori, tutus vbique mane.*



Brianna

## Brianna Aquiuiua ab Aragonia.



Irifica in aduersis rebus (quibus mortalium animos licet benè constitutos, Fortuna perturbare, tùm sæpiùs solet euertere) tolerantia, magnitudo consilij, rerumq. humanarum contemptus, Briannam Aquiuiuam ab Aragonia, Neritinorum Ducis filiam, primariam, atque illustrisśimam Matronam, in cœlum extulere; quibus virtutibus longè omnes, multumq. in perferendo viro superauit. Quot modis in eam sæuijt constantiæ inimica? Quibus artibus, dùm omnem impetum in eam côuerteret, proprium eidem extorquere consilium conata est? Sed quanta fortitudine, stabilis iudicij conseruatrix, eas res subijt, atque repulit, quas alij formidolosas arbitrantur? Contrarijs vicit artibus, & de iacente, atque inclinata inimica triumphauit. Illustri ore loco eius laus sita est, qua maiorum gloriam excelso animo deuicit; quæ res domesticas, & subditorum ea prudentiæ solertia studuit moderari, vt in administrando, grauiores quosque viros, & sapientiores exæquarit. Anteactæ vitæ, & morum felicitatis, exitus suarum laudum æmulus, testatus est. Cùm enim exhalasset animam, lucidisśimam è cubiculo facem exeuntem, & in aëra sese extollentem conspexere, qui aderant, non Etnicorum consecrationis symbolum, sed Christianæ veritatis in patientissima muliere argumentum.

43 ALIIS, PRAETER ANIMI PATIENTIAM VIRTVTIBVS DECORA.

### Pinti. viuenti illi.

*Rebus in aduersis semper tolerantia laudis,*
*Quæ viget in paucis, munere digna fuit:*
*Exigit à vobis, Musæ, hoc Aquiuiua Brianna,*
*Exigit, atque datos ex lyra, & ore sonos.*
*Ante illam suaues saltem fundantur odores.*
*Nymphæ læta manus thura Sabæa ferat.*

Ast

*Ast nihil huic opus est odor. huic non denegat illum,*
*Rara suis virtus quam dare sæpe solet.*
NÆ *virtutis odor redolentia balsama vincit,*
*Hunc & quisquis habet, sat bene olere potest.*

## Pinti. mortuæ eidem.

*Læue hoc marmor habet, quæ fuit inclytis*
*Cordis perpetuò prædita dotibus,*
BRIANNA *aruicolæ gloria Neriti.*
*Ducis de celebri sanguine.*
*Viuas Nereidum de pateris aquas*
*Fundat plena manus; spargite flosculos,*
*Musarum pueri. Sustinuit grauis*
*Iugi connubij pondera.*
*Hæc vexata diù rebus ab asperis,*
*Non imos animos, coniuge, protulit*
*Infesto. omne habuit perpetiens malum,*
*Dei ardens studio dulcius.*
*Illi delicio nil fuit ex bonis*
*Fortunæ, nihili duxit in omnibus*
*Extolli cumulis munera subditùm,*
*Amans soli poli præmia.*
*Estisne immemores luminis illius,*
*Quod fax clara dedit funera post, domo*
*Egressa alta petens sidera, vbi suum*
*Beata obtinuit lectulum?*

## F. Albini.

*Lacteus orbis inops niuei iàm lactis egebat,*
*Et polus ardebat sidus habere nouum.*
*Lumina cæcus amor cupiebat, Solq. Pyropum,*
*Et rete intexens aurea fila Venus;*
*Hinc cito tu superis, cœloq. inuecta triumphas,*
*Et diuisa pio sunt tua membra polo.*
*Ora polus: Sol labra habuit: via lactea pectus:*
*Et Venus alma comas: lumina sumpsit Amor.*

Maria

# Maria Puteolana.



Vo præcipua in Maria Puteolana robur, & castitas, fuerunt admiranda. Coortis inter ciues discordijs, & armorum flammis vndique excitatis, virilem ipsa speciem induit, & continenter armis tecta, nullam subire pugnam inter bellatores recusauit; adeòq. se formidabilem pugnando reddidit, cùm præsertim prima in aciem rueret, prima hostem prouocaret, prima telorum ictus exciperet, vt nemo cum ea congredi auderet. Cum finitimis bellum hereditarium gessit, tanta animi, & virium præstantia, vt sola interdùm pugnæ labores sustineret. Frigoris, caloris, famisq. patiens sub dio pernox versabatur. Herbosum sibi cespitem, vel clypeum sternebat, atque humi iacens vires addiderat ossibus duriores. Experiendæ mulieris aliquandò cupiditas plerosque incessit, Puteolosq. profecti, vt aliquod virium argumentum ederet obsecrarunt. Graue saxum, & ferream trabem iussit afferri, quæ cùm in medium proiecisset, vt tollerent, hortata est. Diutiùs certatum. Ipsa facillimo iactu præstitit. Afferat Puteolanis bellatrix mulier, maiorem gloriam, quàm Thermæ, quàm ignitæ Crateres, aut Augustorum Portus; nec tantum sibi sumant in Phlegræis campis, quantum Mariæ virtus, ossa Gigantum. Sed quid maius in muliere exposcis, quàm inter armatos viros Virginitatem tueri?

44 FORTIS, ET CASTA

## Pinti.

*Siccine pro speculis contendis spicula cornu*
*Virgo Dicharchæi gloria magna sali?*
*Arcus prove acubus tractas, Mauortia tela*
*Pro telis, libuit miles & esse foris?*
*Siccine corde vales? fragili non femina mente es?*
*Et castum in castris ausa es habere thorum?*
*Non, ait. Ista iugis, leuibus non dextera fusis,*
*At fusos hostes cernere nata solo est.*

*Nec*

*Nec te, cum turpi, cui rident ocia, luxu,*
*O pecus ignauum, tanta Virago mouet?*

Eiusdem.

*Quo te animosa pedes? Mauors ne vbi perstrepit armis?*
*Tuta ne in aspectu Virginis arma putas?*
*Res est virginitas varijs subiecta periclis*
*Pulcrior in laribus, militiæq. magis.*
*Quàm rarus miles Veneris qui frangere suasus*
*Didicit, & niueos non maculare thoros.*

---

## Phia Cinnama Amalphitana.

45 RVSTICA, ET PRVDENS.



Vò sterilior opibus, eò Naturæ diuitijs opulentior Phia Amalphitana facta est. An infœcundam dixeris, quòd inter paupertatis fines, decem & nouem filias in lucem ediderit? Vel maximorum Regum oculos, & animos tot filiarum numerus perterreret. At feminula hæc tantùm contrà egestatem roboris sumpsit, vt nunquam difficultatibus, quas propositas interdùm muliebri pauido animo extimescebat, verita sit audacter occurrere. Hortum quem conduxerat, non amœnitatem, sed fructus sibi suppeditare arbitrata est; atque huiusmodi eo se oblectabat, vt sudorem, quo rigabantur olera, vberiùs filiarum dotem, quàm herbas enutrire debere existimaret. Creuitq. paucos post annos res amplior, & absque viro omnes filias in matrimonium collocauit. Quàm sæpe rudes animos, honoris auiditas maximè excoluit?

Pinti.

*Si large natura genus muliebre perauxit;*
*Nil mirum: graio nomine nomen idem est.*

Eiusdem.

*Orta superstitio tecum est si femina; cede hinc*
*Maribus infelix ne paritura fies;*
*Cede hinc, illa Phia est tumulo, Phia semper egena;*
*Femellas semper cui mala Iuno dedit.*

Illa

*Illa ex hisce nouem, atque decem commisit in auras,*
*Has aluit, cunctas iunxit & hasce viris.*
*Mutauit fortuna vicem, gauisa nepote est.*
*Commoda quid tanta hæc suppeditauit? olus.*
*Te, quæ vel binas desperas tradere natas*
*Posse toro: multis non iuuat aucta Phia?*

---

# Lucretia Alanea.



EX Nicolao Alaneo (quam familiam Amalfia paulò antè Ladislai Regis ætate Neapolim transtulit) Hugo, & Marianus filij prodiere; plures verò filiæ, quarum venustatis præstantia principem Lucretiam, Alfonsus primus tàm constanter amauit, vt solam semper in oculis ferens, verba laudaret, sapientiam admiraretur, vt veluti Reginæ honores deferendos iusserit, nihilq. sibi proposuerit iucundius, quàm explosis alijs Lucretiam intueri. Plurimum videbatur à Regia maiestate detractum, quòd dùm nemini ad eum patebat aditus, nisi annuente Lucretia, suæ videbatur existimationis oblitus, qui nobilissimæ Hispaniæ parti, Corsicæ, Sardiniæ, Siciliæ imperitando, post Italiæ plurimas sibi prouincias subiectas, post fortisimos Duces deuictos, ipse victus mulieri succumberet; quodq. incredibile videretur, nisi Michaelis Ricij scripta testimonium facerent, sterilitatis nactus occasionem, ad Pontificem Legatos misit, qui peterent vt Mariam Castellæ Reginam dimittere, & Lucretiam matrimonio copulare liceret. Quod de Legatis refert Riccius, ad opinionem refert Pontanus, qui ait; *Hæc illa est Lucretia, cuius per orbem terrarum amores fuere quàm nobilissimi. Eam Alfonsus adamatam propter formæ, qua præstabat excellentiam, suauissimis etiam puellæ illecebris senex ipse delinitus, diuitijs, opibus, auctoritateq. ità extulerat, vt plerique arbitrarentur, si Maria vita excessisset, legitimè eam vxoris loco habituram.* Hugonem Burrelli Comitem, Re- 46 REGIS AMASIA, SED PVDICA.

gniq. Cancellarium; & Marianum Bucclanici Comitem in eius gratiam creauit, tradita in matrimonium Catherinella Vrsina Ioannis Manupelli Comitis filia. Quid de amante sene illo dicam? Castissimam suam Venerem ad Græcam Turrim, in qua Lucretiæ ædes erant, ad littoris oram inter vndarum spumas obseruabat, cùm ne ab illa decederet, cum illa omnibus horis versaretur, rudem nec Rege dignam habitationem incoleret, vt ab ea diuelli non posse, vel hoc amoris symbolo significaret. Sed cum corruptæ pudicitiæ rumor, & suspicio irrepsisset, *Virginitatem* (dixit) *nolenti mihi vnquam Rex auferet; quàm si auferre tentauerit, non imitabor Lucretiam Collatini coniugem, quæ admisso scelere, mortem sibi consciuit; ego enim facinus morte præueniam*. Ex ingenuo, & nobilissimo hoc animo maior fortasse vis amoris in prudentissimo Rege exarsit, qui lepidulas puellæ blanditias deperibat. Hanc aduerte. Superstitiosa adhuc Neapolis in vigilia D. Ioannis Baptistæ, virgines hordeo testam serebant, futuri matrimonij tempus auguraturæ, eoq. ludicro strenam à prætereuntibus petere consueuerant. In Regis omen testam seruit Lucretia, obtulitq. ad suas ædes vidêdam in Sellariæ Vico, vbi sæpissimè in eius honorem hastiludia fiebant, quamobrem D. Chiriaci sacellum is demoliendum iussit, ne ludicris esset impedimento. Et audacter à Rege, qui cum nobilibus obambulabat, petita strena, crumena per stipatorem tradita, vno denario accepto, *Vnum sibi Regem Alfonsum sufficere* dixit. Aleam mortuo Rege Fortuna permutauit. Ferdinandus, quæ à patre illi tradita fuerant, restituenda curauit. Ipsa cum Iacobo Picinino in Apuliam ad Ioannem Antonium Tarenti Principem confugit; indè cum Ioannis Cossæ filio in Dalmatiam, tandemq. Romam, vbi Fato cessit. Aenariæ insulæ Præfecturam, & dominium obtinuerat, quam coloniam Hispanorum victor Alfonsus effecerat, veteribus colonis expulsis, quam cùm ipsa Ioanni Torellæ Antoniæ sororis viro commendasset, violata fide, restituere insulam Lucretiæ contempsit. Dein, quòd intelligeret illam cum Andegauiense Ioanne sentire, re Ferdinando significata, ab eo sibi & vrbem, & insulam impetrauit.


Pinti.

## Pinti.

*Alanea Alfonsus victus languebat ocellis,*
*Cuius erat species, dignus amore pudor.*
*Rex ita cum cæco decerperetur ab igne,*
*Sæpius amissa matre dolebat Amor;*
*Nectentem hanc mollus aliquandò sub arbore crinus*
*Vidit, & approperans hos dedit ore sonos:*
*Quò fugis, ò genitrix? cui natum deseris? illi*
*Sic geminas duras nocte, dieq. moras?*
*Et quid, dulcis, ago, fili, te num latet? infit.*
*Alanea Alfonsus flamma vel ipsa sua est.*
*Ardet, poscit opem; Regi hanc præstemus vterque,*
*Ipsa mea hinc possum, tu potes inde tua.*
*Rex viuis rapitur. certe, Lucretia, Regis*
*Fortassis tanti te meruisset Hymen.*

---

# Iustina Romana.



Vis credat maximam pudicitiam cum eximia pulcritudine coniunctam, quibus laudes sibi plurimas solent mulieres comparare, obesse aliquandò, & à virtute bonos ad perniciem, & exitium vocari? Iustina nobilissima virgo, excellenti forma, locupletem, at stolidum, & furentem iuuenem virum accepit; cuius animus cùm inter zelotypiæ tempestates agitari, & fluctibus absconditæ suspicionis turbari cœpisset (verebatur enim ne improborum audacia coniugis corrumperet castitatem) candidissimam eius ceruicem conspicatus, subito furore correptus, inclinantem ipsam ad exuendum calceum, obtruncauit. Crudeles cur non cecidere manus? Cur flammis, quas exceperat amoris, non exarsit? Nunquam stolido nubat puella. Similem stolido inquinatum facio, & cum qui fœtido ore teter-

47 OB VIRI ZELOTYPIAM MORTVA.

rimam lucem inhalat. Venustæ virgini dùm copulatur fit ἄγαμος γάμος, & Mezentij Tyrrhenorum Regis pœna renouatur, qui inaudita crudelitate viua corpora mortuis colligabat.

## Incerti.

*Immitis ferro secuit mea colla maritus,*
*Dùm propero niuei soluere vincla pedis.*
*Durus & antè thorum quo nuper nupta coiui,*
*Quo cecidit nostra virginitatis honos.*
*Nec culpa meruisse necem. bona numina testor,*
*Sed taceo fati sorte perempta mei.*
*Discite ab exemplo Iustinæ, discite patres,*
*Non nubat fatuo filia vestra viro.*

## Pinti.

*Iusta viro vsque fui claro Iustina parente,*
*Ensis at iniustus per mea colla furit.*
*Carnificis partes exercuit impius & vir,*
*Et ferus ipsius pes tabulata dedit.*
*Nondùm tuta hic sum, defendas marmore, rursus*
*Ne vir & hùc in me suspiciosus eat.*

---

# Mulier Rhodiana, & Maria Eleazari filia.

48 49 FEROCES OB ALIORVM FEROCIAM.



Llustris feminæ Rhodiani belli scriptor nomen reticuit, quæ tamen facinoris præstantia perpetuam sibi gloriam apud posteros peperit. Cùm Soleimanus Turcarum Tyrannus, Syria, Aegypto, atque Arabia Imperio additis, animum in Rhodum Insulam adiecisset, cuius potiundæ maiores ingenti desiderio flagrauerant, in qua Christiani Imperij limites ad Orientem Equites Hierosolymitani tuebantur,

bantur, maximæ, ornatiſsimæq. claſsis apparatu inuaſit, atque atrocibus prœlijs, omnibus crudelitatis exemplis in defenſores editis, tandem in ſuam redegit poteſtatem. Erat ibi mulier arcis Præfecto gratiſſima; quem vbi agnouit fortiter dimicando occiſum, amplexa duos venuſto corpore puerulos, quos defuncto genuerat, maternæ pietatis libatis oſculis, & cruce amborum frontibus ſignatis, crudelitate in amorem ſæuiens, ferro innocentes iugulauit, atque adhuc trementes, cum ſupellectili in ardentem rogum iniecit, ne tantæ indolis liberi ingenuis, nobilibuſq. parentibus orti, in barbaras hoſtium manus, in miſeram ſeruitutem, & turpitudinem dandi, deuenirent. Mox amatoris paludamentum ſanguine madidum induta, eiuſdemq. gladio viriliter accepto, in medios hoſtes erumpens, egregia bellatrix pugnando occubuit. Debuerat profectò Chriſtiana mulier à tanto ſcelere abſtinere; ſed commiſeratione idcircò digna, quòd barbarorum ferocia in ſuos eam reddidit ferociorem. An crudelior Maria Eleazari filia non dicenda eſt, quæ genere, fortuniſq. nobilis, in obſidione Hieroſolymitana, puerulum, ne Romanorum ſeruituti addiceretur, quòdq. famem diutiùs perferre nequiret, iugulauit, comedit, & comedendum prædonibus appoſuit?

## Pinti.

*Illius hoc Rhodiæ tumulo ſum dextera, flammis*
*Quæ occiſos natos ſubdidit atra ſuos.*
*Crudeli haud feci, prudenti at pectore; quin hoc,*
*Quamuis contrà habeas, non ſcelus eſſe feram.*
*Barbara ſæuitia in noſtras quòd ruperat arcus,*
*Pæne fui manicis ſerua reuincta feris,*
*Ter cruce, & hos genitos ſignata fronte peremi,*
*Oſcula & ante illis ter lacrimoſa dedi.*
*Hic ferro ferrum, ſaxis imponite ſaxa,*
*Ne cineres fiant vel mala præda mei.*
*Immo meis poſſis animos ſi inferre lacertis:*
*Prædoni, egrediar, quo noua pugna fremat.*

 Epicha-

## Epicharis.

50 FAMOSARVM GESTA.



Ilio Nerua, & Attico Vestino Coss. cœpta, & aucta est in Neronem coniuratio. Sed cùm inter spem,& metum coniuratorum animi æstuarent, Epicharis, re conscia, eorum ignauiam damnans, arguere eosdem, & accendere non desinebat. Proculum Volusium classis Chiliarchum negotio adsciscere conata, decepta est, quippè quæ audierat, ad Neronem perfidus deferre non dubitauit. In custodia retenta est. Tormentis dilacerari iussa. Verberibus autem, ignibus, torquentium ira haud perterrita, obiecta constanter denegauit. Postero die cùm ad eosdem cruciatus traheretur gestamine sellæ (sic Tacitus loquitur) nam dissolutis membris insistere nequibat, vinclo fasciæ, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellæ restricta, indidit ceruicem, & corporis pondere connisa, tenuem iàm spiritum expressit. Clariori exemplo libertina mulier in tanta necessitate alienas, ac propè ignotas protegendo, ingenuos, & viros, equitesq. ac Romanos Senatores superauit, qui tormentis intacti, charissima quæque suorum pignorum prodiderunt. Leænam Græcam feminam celebrant, quòd ne coniuratos Armonium, & Aristonem egregios iuuenes proderet, qui Hisparem immanem tyrannum occiderant, deficientibus in cruciatu viribus, quapropter cuncta se propalaturum existimabat, acri morsu linguam præcidit, & expuit, vt loquendi potestas nulla esset. Ea quæ nec facta, nec excogitata sunt vltrò obloqui feminarum garrulitas, ritè facta, & præmeditata promulgat.

### Pinti.

*Ducitur Epicharis, digitos post terga reuincta;*
*E coniuratis vna animosa viris.*
*Iudicis os videt (huic iussus faciente Nerone)*
*Ebibit immanes & necis aure minas;*

*Atque*

*Atque ait: huc affer lictor tormenta, prius nam*
*Emoriar, quidquam quàm mihi ab ore cadat.*
*Quid, Nero, vis? astat mulier fortissima; nil te*
*Molita est contrà; perfere mucro feri,*
*Pulsa, virga, humeros, quantumuis cuncta repulsa*
*Membra, etenim intrepida hæc pectora semper erunt.*
*Ictibus haud potuit reliquis euadere: cedit:*
*Tandem obit: hac alijs fit nece parta salus.*
*Te, quem vel visa ignauum Prætoria terrent,*
*Arguat exemplum, quæ hic iacet, Epicharis.*

---

## Locusta.



Amosa veneficijs femina, famoso vitijs Imperatore interempto, inter eas adscribi meruit, quæ magno aliquo facinore gloriosum posteris nomen reliquerunt. Cogitabat de opprimenda Agrippina eiusdem pertæsus Claudius, & rationes inibat quo pacto Britannicum filium daret Imperio successorem. Moliebatur contrà offensa mulier eius gesta, & consilia veneno perdere. Idq. cùm nec potu, nec esca domi (cautius enim Imperatores ijs vtebantur) efficere posse cognosceret, accersita Locusta, immedicabili Boleto venenum infudit, quod miserabile lethum noctu Claudio intulit. Indè Neronis apophthegma, *Fungos Deorum esse cibos, quoniam Claudius Boleti esu Deus esset effectus.* 51

### Pinti.

*Hoc quæ sub tumulo sita es Caperæ,*
*Cur non Cæsareæ gulæ dedisti,*
*Exceptas sapido freto Locustas,*
*Quibus sub latitet Stygis venenum,*
*Tantum quo citius scelus necares?*
*Mersum flagitijs cibo Neronem*
*Perdis.*

*Perdis. na numeros meres Locusta,*
*Meres & nitidum aureis lapillis*
*Structum, Dædalea manu, sepulcrum.*
*Vna at caussa tuos refellit ausus:*
*Te rupisse fidem illius. celebrat*
*Caussa hinc altera; te malam Quiritum*
*Omnem de medio abstulisse pestem.*
*Quid plura? aligeræ cadant Locustæ*
*Locustam venerentur hàc volatu.*
*Locusta intus adest. abibis hospes*
*Boletos ede. protinus Locusta est.*

## Incerti.

*Illa iacet, tristi clamat cui Claudius ore:*
*Lethi Boleti caussa fuere mei.*

---

# Laurentia.

52 MERETRICIA PIETAS.



Vr verò Laurentiæ meretricis nomen obrerit, quo Romanæ rei gloriam illustrauit? Appellet eam quisque Lupam, quòd vulgato corpore inter pastores quæstum faceret. Ipse eam dixerim Romanorum matrem, quæ Romulum, Remumq. enutriuit, Romanæ amplitudinis conditores. Dixerim orbis terrarum domitricem, quæ suo Romanum nomen sanguine, populumq. orbis domitorem propagauit. Amulius, quem impium posteritas detestari non desinet, paruulos ad Tyberis ripam exponendos iusserat. Laurentia cum Faustulo coniuge (tanta persæpè in rusticis viget nobilitas) sustulit, & liberaliter domi, quasi filios educauit. Quid in illiberali femina liberalius? Sed quæ magnanima lacte, & educatione fuerat, quæ parens non modò sanguinis, verùm alimoniarum administra extiterat, prodiga muneribus extitit, quæ populum Romanum

num


num moriens opum, quæ sibi reliquæ fuerant, instituit heredem. At nunquam ingrati Quirites diuinis donantem muneribus compensarunt, Festos dies in eius honorem Laurentalia celebrantes. Turpes dedecoris maculas, egregijs facinoribus deletas non ignoramus.

## Pinti.

*Pignora quæ mammis dependent bina Lupinis,*
*Næ Remus alter erat, Romulus alter erat.*
*Non Lupa lacte aluit, Laurentia comis alumna est,*
*Regibus expositis vbera rure dedit.*
*Hæc princeps fuerat meretrix, tua, Faustule, coniux,*
*Hanc Lupa, & hoc meritò nomen habere ferunt.*
*O magna scorti pietas: nisi, Roma, fuisset:*
*Perdiderat Reges per fera belua tuos.*

---

# Lais.



On esset illustrium mulierum templo adscribenda Lais, quæ corpus, & pulcritudinem meretricibus artibus quæstui habuit, nisi aut illum sibi nobilissimè constituisset, dùm nec illiberalis, nec sordida, summos viros admitteret, eos nouerat fructus, quos splendidis lenocinijs comparabat; quamobrem excepit eam Corinthus, quò præclaros proceres mulier efficaciùs, quàm loci nobilitas, aërisq. præstantia inuitauit, aut eius formæ elegantia, cùm Demosthenis sapientia non contendisset, qui scorto accensus, relicto Atticæ eloquentiæ Oceano, inter Aegei inhonestæ Veneris scopulos, eximius Orator ad mollem, subdolamq. Syrenem nauigauit. Dicerem profectò Demosthenis omnem gloriam, atque splendorem in Laidis obscœna obscuritate fuisse deperditam; & indignam homine libero expectationem Græciæ meritò fuisse irridendam, nisi euentus rem longè diuersam demonstrasset. Cùm enim noctis vnius operam decem millibus drachmarum diuendere 53 MERETRICIVS LVXVS.

dere

dere deliberasset; ab emptore responsum, *Nunquam tanti emere pœnitentiam esse edoctum.* Auaritiæ illud tribuendum censuere, quòd multos noueris, qui castitatis iura se tueri dùm iactant, infimæ sordis scelere tegunt sanctitatem.

Pinti.

*Me pulcram tumulus Siceliden fouet*
*Sum quæ è Trinacria aduecta Corinthios*
*Vt quæstus facerem corpore sordidos;*
*Quæ nunc Tartareis in laribus queror,*
*Præclari, lacrimis plena, Philosophi*
*Hic Demosthenidæ, atque eloquio inclyti,*
*In vultus eo, non immemor, illius*
*Tentigo fuerit quanta Cupidinis.*
*Quod si hic auxilij læta sub inferis*
*Pars est: auxilij haud exigui foret,*
*Hunc traxisse meis illecebris citum,*
*Mirata eximium est Græcia quem virum;*
*Grandis propositæ caussa pecuniæ,*
*Ni auertisset eum ex illa opera breuis*
*Tam dulcedinis: ad me celeri gradu*
*Isset. verum alios quòt mala perdidi,*
*Semper sed iuuenes sanguine nobiles,*
*Magnis diuitijs semper amabiles?*
*Nescis? quæ loquitur Lais erat; meum*
*Nomen ne alliciat te ad Venerem: fuge.*

---

## Beatrix Nolana.

54 PVLCRITVDINIS EXITVS INCERTVS.



Eatricem Nolæ forma venustissimam claruisse scribit Ambrosius Leo, in qua tanta indolis erat excellentia, vt cum pulcritudiue coniuncta, Diuæ nomen, per omnium Italiæ Poëtarum, tùm verò Antonij Tibaldei ora, cognomen compararit. Thomas Maluicus præstantissimus sculptor, Gratiarum conspectu, quæ manus cœlando doctissi-

mas reddidere, è marmore tàm bellè finxit, vt cùm viua Beatrix marmoreæ Beatrici adesset, geminæ viderentur Beatrices, quarum altera dùm loqueretur, altera verba excipientem irretiret; ridentem alteram, altera risu imitaretur; vt opere perpolito, & ad vnguem facto, nihil iucundius iudicari potuisset. Duodecimum iàm annum agentem, ad Cæcalæ iuga profectam, inter oleas, & quercus sublatam, idem narrat, nec vsquam ab aliquo visam. Sed cùm ad cœlum viuam euolasse somniat, cur non ob nimiam pulcritudinem, instar Proserpinæ raptam credidit?

Pinti.

*Iuisti forma princeps Nolana Beatrix,*
*Et pro te in terris nil nisi marmor adest.*
*An quia credebas sub marmore viuere vitam*
*Posse diu? pulcras qui meruere genas?*
*Anne parem Cereris nata per prata vagantem,*
*(Omen at hoc absit) Dux Herebi eripuit?*
*Lætor at, haud animis, formosa, licere reuerti:*
*Viuenti præ te prælia magna forent.*

Eiusdem.

*Vos quercus, oleasq. voco Nymphasq. Beatrix*
*Dicite quorsum abijt? non iacet in tumulo.*
*Signo ne illatitat, sculpsit quod Maluicus? illud*
*Cernens, è viuis tàm bene ficta, abijt.*
*Me, fassa est, viuam mortalis cerne sub ore*
*Marmoris, illa fui quam tibi marmor habet.*

# Illustrium Mulierum Elogiorum Finis.

Claudite

**CAROLI PINTI**

**Pro absolutis Illustriũ Mulierũ Elogijs.**

*Claudite feminicis pedibus, patuere sat, ædes:*
*Sed reserare decet, veniens ne limina pulset*
*Femina. quæcunque es gestis clarissima rebus,*
*Ingredere, & primam Auctori ter lata salutem*
*Affer, ibi, longa viuas quò ætate, manebis;*
*Hinc propter sublime virûm par cernere templum est,*
*Queis vsus non armorum, sed Pallados artes,*
*Tôt laudum peperere modos, tôt munera linguæ;*
*Et vos, hìcq. ijdem debetis multa CAPACI*
*Excuito calamo, cunctos qui nocte labores*
*Et voluit subijsse die, venientibus annis,*
*Ocia deuitans æterna præmia Famæ*
*Sola petens, nunquam maledictis lædere quenquam*
*Vir probus aggressus, pietate insignis auita;*
*Hunc magna, ac parua, Hesperiæ monumenta reposcunt,*
*Edita, compressis numeris, aut voce soluta.*
*Hunc Senones, & quos potant è flumine Rheno:*
*Clarior & regio radios quæ spectat Eoos,*
*Portubus Illyricis. vnde hùc decus ipse tuorum*
*Venisti medicis Præsul cultissime charis;*
*Hunc adeunt qui grais colunt Scironia saxa;*
*Hunc & sedatur quorum sitis Istula ab vndis,*
*Siue audire vrbis Sirenis iura vetustæ,*
*Siue noua cupiant, Baiana ad littora sedes*
*Seu pernosse, velint, fuerint quæcunque, Quiritum:*
*Seu pro suggestis optent data verba disertis;*
*Discere seu studeant, quidnam piscator in æquor*
*Deferat, vndigenam quì fallat arundine gentem,*
*Rete vel adpellat, populo quò diues aquoso*
*Ad sua tecta queat lætus sub nocte redire:*
*Quæ nouum, & ad veterem quæ detur Epistola amicum;*
*Scommata seu quærant, salibus conspersa, iocisq.*
*Seu Fari exposcant, varia sub imagine, belluas,*
*Vnde hominum varios possint dignoscere mores.*
*Tandem quæ rogitent, laudata volumina præbent,*
*Quæ Vir Parthenopes confecit gloria nostræ.*
*Inuide quid contrà, vultum demisse, profaris?*
*Te miserè. te Liuor edat. tibi docta supellex?*
*Hanc adhibe: pariter subeat operusaq. mentis*
*Lumina, & ex antris exi quò cæcus oberras,*
*IVLIVS iste sui similem (mihi crede) videbit*
*Certè perpaucos, hominum seu iusta requiras*
*Consilia, & socia hæc operis, seu facta decora;*
*Seu studium in ciueis spectes animosq. fidemq.*
*Siue doceri aueas, grauium male conscie rerum.*
*Quàm tibi præstaret, posito liuore, si adires,*
*Tanta laude virum? ne te perterreat vlla*
*Suspicio: facile huic poteris tua pandere cuncta*
*Sensa animi: inflato corde hic, non ore superbit;*
*Quem (ne hoc inuideas, virtus maiora merebit)*
*Fausta bonis alijs queis non fortuna reseruat?*


# ILLVSTRIVM LITTERIS VIRORVM ELOGIA, ET IVDICIA.

A IVLIO CAESARE CAPACIO
Neapolitanæ Vrbi à Secretis
conſcripta.



NEAPOLI,

Apud Ioan. Iacobum Carlinum, &
Conſtantinum Vitalem.
M. DC. IX.



# D. SEBASTIANO FONTANAE MOECENATI OPTIMO.



IN illustriori, quã Memphis coluit Pyramide Dominicus Auratus Eques pater tuus insignis, perpetui sui nominis gloriam collocauit. Auget eam in dies Iulius Cæsar frater, qui paternæ virtuti apud Austriacos itidem splendidè successit. Reconditis tu characteribus tuarum virtutum monimentis, sacrisq. pientissimi animi symbolis (SEBASTIANE) exornas. Nec admiratur Aegyptus. Tua Isis, tuusq. Serapis est præclarissimorum hominum prædicatio, quorum hic recensentur elogia, & quos in teipso victuros dixerim, dùm non cineribus optimum iudicabis, sed famæ consuluisse. Vale.



# ILLVSTRIVM LITTERIS VIRORVM ELOGIA:

## Tres Callimachi.



QVem Principem, quem dabimus illustribus viris, qui litteris claruere Antesignanum? Quem scilicet Horatius Caputus variæ lectionis, prudentis litteraturæ, versatilis ingenij iuuenis obtulit; quem nec in honore habuit Paulus Iouius, licèt Museum suum ex illo subripuerit. En Callimachi imaginem venerator. Is ille Athenarum decus est, Batti, & Mesatmes filius, Hermocratis Iasensis auditor, qui Ptolomæi Philadelphi ætatem, exquisito, & multiplici studio reddidit celebriorem. Ad octuaginta libros (octingentos ex aliquibus exemplaribus expunge) exarauit, quis scribendo locupletior? Mortuis parentauit elogio; quæ laudabilior pietas? Viuorum monimenta eximijs laudibus posteris commendauit; quæ splendidior animi nobilitas? Hoc Museum, has Tabulas virorum omnium, qui in quauis disciplina claruere, nostra si hæc ætas intueretur, quis esset Callimacho illustrior? Sed in eius memoria huiusmodi conspicienda proponamus, vt cùm quis laudibus effertur, Callimacho acceptum referat, qui primus in eo genere excelluit, nec quisquam eo prætermisso, alienæ laudis probus habendus est æstimator. Commemorantur præterea ab eo scripta, *Ionis in Aegyptum aduentus, Semele, Argiuæ vrbis*

1 2 3

*ædificia, Arcadia, Glaucus, Spes, Satyricæ Fabulæ, Tragœdiæ, Comœdiæ, Carmina, Mensium apud singulas gentes nomina, Insularum, & Vrbium origines Orbis terrarum flumina, De Piscibus, De Ventis, De Auibus, Miraculorum singulis locis collectanea, Italiæ, & Peloponnesi admirabilia, Hecale, De nomine Anus hospitis Thesei, Argolici Coloni, Epodos, Mela, Lex sodalitia,* Τὰ αἴτια, qua in re Varronem fuit imitatus. Citatur eius epigramma in Ambraciotem Cleombrotum à Cicerone in Tusculanis, quod Bononiensis Cadrus retulit, recitatq. Nicolaus Gerbellius in sua Græcia,

Εἴπας ἥλιε χαῖρε Κλεόμβροτος Ἀμβρακιώτης
Ἥλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς ἀΐδην.
Ἄξιον οὔτι παθὼν θανάτου κακὸν, ἀλλὰ Πλάτωνος
Ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος;

*Iàmq. vale Soli cùm diceret Ambraciotes,*
*In Stygios fertur desilijsse lacus.*
*Morte nihil dignum passus; sed fortè Platonis*
*Diuini eximium de nece legit opus.*

Aiunt profectò, Callimachum lecto Platonis opere de anima, se ex muris præcipitem dedisse. Quàm varia, quàm diues supellectilis? Pro scriptoribus omnibus, vnus suffecisse visus est. At maledico carmine Ibin est prosequutus, quæ veneno plena auis Aegyptia, ingratum discipulum Apollonium denotabat; à quo in vxoris sollicitatorem Ouidius relegatus argumentum desumpsit. Mordet aliquandò placidiùs qui figit oscula; & inter laudes iàm diximus sæpè sedere censuram. Quid igitur peregrinæ laudis inuentori vno tantùm aculeo quicquam detractum existimamus? Quid si mordere consueuerat alius Callimachus Cirenensis Poëta, Elegorum scriptor, de quo Propertius cum Phileta coniuncto?

*Callimachi Manes, & Coi sacra Philetæ*
*In vestrum, quæso, me sinite ire nemus.*

Idemq. ad Lynceum Poëtam scribens, inflatum nominat,

*Tu satiùs memorem Musis imitere Philetam,*
*Et non inflati somnia Callimachi.*

At

At cùm mordaces nominas, tertium Callimachum interpone, è Geminiano Etruriæ oppido paulò antè nostra tempora virum doctissimum, sed crebris aculeis pungere assuetum, quamobrem libenter cum antiquis coniungam; eòq. libentiùs, quòd cùm Philippus appellaretur, horum Græcorum nomine, nomen commutauit. Sapit quid non integrum nominis mutatio, displicuitq. plurimùm Paulo II. Pontifici, qui eam ob rem Academicos Roma ablegauit, diligentiùs Callimachum ad pœnas expetens, qui maiorem conspirationis suspicionem mutato nomine dederat. Quapropter ad Sarmatas confugit, à quibus cùm conuiuio fuisset exceptus, primo gustato poculo, quod exile iudicauit, inquit, *Vinus*. Subitæ inter doctos coortæ affabulationes. Hicne ille Callimachus? Hem, nec Latinè scire videtur. Mox ad secunda pocula alio meri genere paulò generosiore rorantia, ait, *Vina*. Post admirationem, risum concitauit. Sed cùm ad tertia ventum esset, & optimum vinum fuisset propinatum, alterius auris nutu iocundè dixit, *Vinum; sed neutrum propè diuinum*. Hinc ad facetias sermones contulere, & viri notarunt vrbanitatem. Cum Casimiro Rege familiariter vixit, & post eius mortem, cum Alberto filio. Sed eò aulica modestia abusus est, eòq. potentiæ prouehi conabatur (solent enim temerario huiusmodi homines animo tantum sibi potentiorum benignitate, & gratia sumere (vt à Polonis extrusus in intimam Sarmatiam ad Vlnam apud amicum quendam effugerit. Ibiq. mortuum, vt Regi rem gratam faceret, arefactum seruauit. Indè Cracouiam translatus est, & in eius vrbis Basilica æneo sepulcro honestatus. Res Vngaricas, & Turcicas ab Amurate gestas, tàm doctè scripsit, vt sint, qui cum Tacito in conscribenda historia eum conferunt.

## Caroli Pinti.

*Promeriti nomen, pandet dùm lumina Phœbus,*
*Estis Callimachi tres & in arte pares;*
*Fecere ætates, patriæ & discrimina: verbis*
*Pungendi ratio si tribus vna fuit:*

*Alter*

*Alter in Etruſcis; Cyrene natus es alter:*
*Hic Pandionia tuus ab vrbe venit.*
*Cur non vrna eadem, vario poſt tempore, cepit?*
*Vno tres iungi debuimus calamo;*
*Non hic vrna velut retinet ſine lumine vita:*
*Fama hoc, perpetuo viuere Soli datum eſt.*

### Fabij Albini.

*Callimachos celebres tumulus tres contigit vnus,*
*Quos diuerſa dedit nomine terra pares.*
*Vnum Tuſca parens, alium tulit alta Cyrene,*
*Atque alium felix Attica terra virum.*
*Ille elegis, hic hiſtorijs, ſermone ſoluto*
*Nobilis ille alius, elogijſq. fuit.*
*Sed quia tres vno lingua maduere veneno,*
*Tres ſimul extinctos hac breuis vrna tegit.*

---

## Apuleius.

4 Emper boni aliquid attuliſſe Africam, prouerbio dicunt. Et bona,& illuſtria attulit. Cognoſcito in prima menſa, Auguſtinum omnium litterarum parentem, Theologorum principem, librorum interpretem primarium; Tertullianum graui, & multiplici eruditione alterum Platonem; Arnobium Rhetorem,atque Philoſophum, qui Gentium vanitates ſeueriore eloquentia contriuit; Victorinum ſub Conſtantino ſtatua Romæ donatum. In ſecunda, Ticonium Apocalypſis dilucidatorem, Aſclepium declamatorem, Vitellium, qui ſublato Donatiſtarum errore, inter ſummos acceptus eſſet; Poſſidonium Calamenſem, Victorem Certennæ, & Victorem Cummanenſem Epiſcopos; Euodium, Primaſium, Eugenium, Fulgentium, Larrandum Carthaginenſem Diaconum; qui omnes vel refellendis Hæreticorum opinionibus, vel explicandis

candis sacrorum librorum mysterijs, vel Ecclesiastico ærario augendo, emolumenti plurimùm sacræ dignitati, antiquorum scriptis, studijs litterarum attulere. Vltimi sedent Terentius, & Apuleius. Alter quotidianum Romanæ linguæ vsum quò potuit candidius explicat, doctorum hominum sæculo natus. Alter rudiori ætate sub Diuis fratribus Antoninis, Romanè loquitur; sed cum Romanis, inclinante Imperio, aliqua barbarie notatis. Neque idcircò barbarum Apuleium dicas; sed qui eius seculi voces, quas proculdubiò damnasset felix illud, quod antecesserat, è medio Latio, non antiquatas, non obsoletas, sed bonis Linguæ auctoribus nouas, aliquandò asperas, atque horridulas, profert. At quid si in ea asperitate, lepidè narrantem legimus, vt si ad humilitatem deiecta oratio nihil habeat magniloquum, nescio tamen cur, dùm depressior in vulgus serpit, magis sese extollat, magisq. delectet, atque in admirationem adducat? Quo contemptior Apuleius in *Patagio*, in *Palliastro*, in *Oppessulata*, in *Domuitione*, in *Collurchiationibus*, & hisce similibus est; eò, in vocum nouitate, & proprietate, quæ ex eius Condo depromuntur, fit summa dicendi venustate desideratior. Domi conuiuia parantem seruam, mulierum capillos, afflictorum miseriam, locorum amœnitates describe; quid festiuius, gratius, fragrantius expectas? Effunde cum eodem, quauis in re placidulum sermonem; non erit ille operosus, sed inordinatum ornatum gratiam addere animaduertes. Quid quòd, *ponderis Apuleiani flumen*, dicit Sidonius? Quod ad disciplinas attinet; multas crateras Athenis ipsemet in Floridis bibisse testatur. *Prima* (inquit) *cratera Litteratoris ruditatem eximit; secunda, Grammatici doctrina instruit; tertia Rhetoris eloquentia armat. Hactenus à plerisque potatur. Ego & alias crateras Athenis bibi, Poëticæ commentam, Geometriæ limpidam, Musicæ dulcem, Dialecticæ austerulam; enimuerò vniuersas Philosophiæ, inexplebilem scilicet, nectariam. Canit enim Empedocles carmina, Plato dialogos, Socrates hymnos, Epicharmus modos, Xenophon historias, Xenocrates satyras; Apuleius vester hæc omnia.* Πάνσοφον dicas. Nihil non calluit. Sed in Philosophia, vtraque lingua Platonicus,

cus, Plotinum, Iamblicum, Porphyrium antecelluit; venuſtate morum, & dicendi copia Socraticum fontem, & Platonicum torrentem redolens. Notatus vanitate Magica, cum Apollonio Tyaneo; & de ijs artibus apud Iudices Chriſtianos accuſatus aliquot ſe criminibus nobiliſsima oratione purgauit; quamuis non ſemel in ſuis ſcriptis Magiam fuiſſe ſectatum planiſsimè oſtendat. Quid verò Magiam? Puerilia, leges, & aniles fabulas; niſi in vtres conuerſos occiſos, ad Bacchum referas. Atque hoc eſt Magos CHRISTO anteferre, quod ridet Auguſtinus. Hoc, inquam, in Aſinum tranſmigrare, quem tunc præcipuè ſe præbuit, cum Socratis Deum finxit, & Medioxumos conſtituit, qui ex hominibus Dij fiunt. Parce Apuleie. Debueras non ludicro, ſed Corneo baculo contundi. Aduocati munus Romæ obijt, atque in Foro cauſas egit. Sacris initiatus in Græcia, Sacerdos in prouincia Africa fuit, cui ex ære Carthagini ſtatua poſita eſt. Extant eius libri de Aſino Aureo, Florida, De dogmate Platonis, De Philoſophia, De Deo Socratis, De Mundo, Περὶ ἑρμηνείας, Apologiæ. Nec in re Poëtica exiguum teſtem habet, Ἀνεχόμενον, carmen ludicrum Amoris, ex Menandro.


## Pinti.

*Dùm magni refouent cunabula parua Platonis,*
*Labra adijt mellis plurima diues Apis.*
*Aſt equidem vereor, mira hæc portenta, Apulei,*
*Vt tibi contigerint, qui ex Ape nomen habes:*
*Floribus hæc hauſto diſtendit nectare cellas,*
*Palladis ipſe libros condis vt arte fauos.*
*Verborum his epulas condiſti Maxime Caſar*
*Antonine, tibi his dulcius ecquid erat?*



Artemi-

# Artemidorus.



Vatuor homines Ὀνειροκριτικοῖς tractandis immersos, lugeo. Artemidorum Daldianum, Achmetem (si tamen is est, quē etiam Achamatem Medicum Arabem dicunt) Astrampsychum, & Nicephorum, quorum scripra apud nos extant. Primos, qui somniarunt in somnijs, prætermitto, Alexandrum, Epicharmum, Apollodorum, Apollonium, Aristandrem, Artemonem, Aristarchum, Cratippum, Demetrium, Dionysium, Hermippum, Nicostratum, Philochorum, Panyasim, Serapionē, Stratonem, Suidam, Arnobium, perditorum cœtum, suaui profectò morbo laborantem. Velle enim per somnia prædicere, & coniectores, & ὀνειροπόλους fieri (nisi diuina illa monita fuerint) idem esse reor, ac si in nebulis figuras euanescentes dignoscere, & constituere velimus. Quid de Artemidoro? Altas in eo stultitiæ radices nosces. Primum, τὸ μεγαλεῖον θεωρημάτων in ijs ponit. *Magnitudinem speculationum.* Deindè, damnat eos, qui Diuinationem non esse credunt, atque ità Deorum prouidentiam esse negant. Demum, certam de somnijs doctrinam se assequutum asserit, ideòq. per multos annos Græciæ vrbes, Asiam, atque Italiam peragrasse, vt somniorum euentus audiendo cognosceret. Huiusmodi autem vates apud σεμνοπροσωποῦντες, pro mendicis, præstigiatoribus, atque scurris *Viros graues.* habitos esse, abnegat. Nil verius dictum autumo. At ea fortasse de causa contemnendus, abijciendus Artemidorus est? Nihil ne ex sua scriptione studiosis innotescet? Reijce somnia, à superstitionis vsu abhorreas; cetera quæ scribit, multarum rerum plena nolens reperies. Physicè multa differit, & ad Platonicas animi prænotiones accedit; & Peripateticè cum Aristotele dubitat, vtrùm extrà nos sit somniandi causa à Deo immissa, an causa quædam intrà nos sit, quæ animam afficit, facitq. ex natura sibi accidens; nec renuit Pythagoricam numerorum disciplinam, non ad somnia, sed ad naturalium rerum causas desiderandam.

H h Sic

Sic legito, sic interpretator Artemidorum. Cùm de Capite loquitur, ne diuinationem cures, sed pecunias κεφάλαια à Græcis vocari, & symbolo Conuiuiali colligendo aliquem fuisse præfectum ediscas. Cùm de Capillis; sias vaticinatæ superbiæ contemptor, eosq. sapientissimos viros, Sacrificos, Vates, Reges, & Dionysiacos artifices decere, animaduertas. Cùm de Fronte, non effrons in eundem scopulum illidas; sed hanc hominis partem, pudoris fuisse templum cum vetere Glossario enuncies. eamq. ob rem Persium dixisse,

*----- exclamet Melicerta perisse*
*Frontem de rebus -----*

Quin potius omnia eius dicta ad symbola, & emblemata referas. Lupum ait annum significare διὰ τὸν λυκάβαντα, hoc est, anni tempus; itemq. ordinem, vel prudentiam, propereaquòd se mutuo Lupi insequuntur flumina pertrāseuntes. Hoc elicias ab Artemidoro. Somnia deseras. Onager, inimicitiam refert, ὅτι κοινοὺ ἔχει πάντα τὰ ζῶα τὰ ἄγρια, πρὸς τὰς ἐχθρὰς, *Omnia siluestria animalia in communi ad inimicos referuntur.* Hoc placeat. Ne cures si Onagrum somniaueris, inimicitiam aduersus aliquem beneuolum non valde generosum significari. Quàm vtilia ex volatilibus, reptilibusq. & maritimis animalibus percipies? Quàm rara ex omnium arborum, & plantarum generibus? Quercubus opulentiam ob alimoniam tribuit, quippè Arcades eius fructu vescebantur ex Archæi auctoritate; Oleis, certamina, principatum, libertatem, mulierum fœcunditatem; Cupressubus, longanimitatem; Platanis, Vlmis, Fraxinis, sterilitatem, & paupertatem. Symbola ex his, vt lubet, explica. In Deorum relligione, quàm varia profert? Quis dilucidius in Aetherios, Cœlestes, Terrestres, Marinos, Fluuiatiles, Subterraneos, circum circà ambientes distribuit? Quis, νοητὰς, & αἰσθητὰς doctius discriminat? Omitto alia, quæ non somniantem, sed vigilantem quempiam ad bonas artes instruent, & quæ hunc auctorem inter bonos adnumerandum hortabuntur. Achmetes, Indorum, Persarum, Aegyptiorum, sacra, ministeria, relligionem, præter somnia suppeditabit. Ex Astrampsycho, & Nicephoro, nihil

boni

boni consequeris præter orationis breuitatem, quæ iambicis versibus in hoc postremo conficitur. Alter ab altero mutuatus est.

### Pinti.

*Magni ne ergo viri miscent mendacia veris?*
*Somnia pro veris Artemidorus habes.*
*Istis terrarum peragras mendacibus orbem?*
*Si hæc vera exquiris: sunt vbi falsa Sophos?*
*Te miserum ni aliud, præterquam falsa tulisses,*
*Ingenio & scriptis Artemidore tuis.*

---

## Achilles Tacius.



Es amatorias scripturus alter Græcus Achilles Tacius Alexandrinus, omnem in Clytophontis, & Leucippes amores sermonem conuertit, veluti in Eroticis Parthenius Nicænsis diuersa narrauit. Attica profectò mellitus eloquentia; sed eò Græcanica lasciuia petulans, vt Mimnermo iocosior (an turpior?) historiæ concinnitatem, prostibuli alicuius scenam effecerit. Libido in verbis exæstuat; lasciuiendi forma, dialogismis constituitur; & quæ ipsum delectabant, in alieno congressu explicat, reuocatq. in cubicula, quæ ingenui ingenium abhorret. At quæ sint in amore vices, procellæ, luctus; quæ voluptates item, atque illecebræ, ab eo auctore explicatæ, vera veluti & viua simulacra obijciuntur, multasq. Cleætras faciunt, quæ lecto auctore dicant in aucupio, 6

----- *ædis nobis area est, auceps sum ego,*
*Esca est meretrix, lectus illex est, amatores aues.*
*Bene salutando consuescunt, compellando blanditer,*
*Osculando, oratione vinula venustula.*

Quamobrem verba in Achille secteris, & elegantiam; res ipsas castè noscito. Tunc verò omnis elegantiæ diminutio facta est, cùm οὐκ εὐσχήμον λέγει, & nefandis masculæ libidinis incita- *Nō decorum loquitur.*

 mentis,

mentis,perpolitum dicendi genus inquinauit.Quantum Bathyllus Anacreontico lepori dedecoris attulit? Quantum nostri æui scriptoribus, fœdus Epheborum descriptionis apparatus? Obfuere molles, & amatorij versus in Astæra, in Alexim, in Phædrum Platoni; seueritatemq. Solonis,Diogenis Cynici,Zenonis Stoici, Zeij Lacedæmonij, versuum licentia in impudentiam conuertit, nam minus peccasse dixerim Saphonem Lesbiam, quæ cum Phaone Siciliense Nestorem, vel Priamum ad pruriginem excitaret. Dramaticum appellat Photius, qui nuper ad manus venit,hoc Elogio conscripto;& in eo Auctore examinando,cum eodem me conuenisse, plurimùm sum delectatus. Eundem sacris initiatum, ad Episcopatum fuisse euectum, scribit Suidas.

## Pinti.

*Hoc, natale solum, quem nobile Alexandria*
*Progenuit, TACIVS conticet in tumulo.*
*Si verbis quondam prædiues lingua palato*
*Aret: Leucippe cum Clytophonte viret.*
*Flagrantes istorum, operaq. Cupidinis omnes*
*Haud vinctis, ignes edocuit numeris.*
*Si quis amat, Tacium legat: at contemnere præstat*
*Nunc monuit vanis nil graue inesse pudor.*
*Nolueris si oculos ex hoc auertere castos:*
*Hos equidem metuo ne maculare queas.*
*Insana mentis lector si scripta relinques:*
*Na sapies, atque huic, qui tacet, inde preces.*



Longus

# Longus Sophista.



Astos Daphnis, & Chloes amores descri- 7
psit Longus Sophista, pastoralia Græca suauitate, nouo dicendi genere congerens, quippè soluta oratione, huiusmodi Poeticum munus est exequutus, vt versibus exponendi Laurentio Gambaræ materiam præbuerit, quo factum est vt venustates, quæ in Sophista delitescebant, Gambara felicissimè denudarit. Fabulam, episodiorum interiectione, iurgia enim, prœlia, obitus intercedunt, Tragicomœdiam dixerim. Quid? ποιμενικὰ numeris expertia, absque lege soluta, poëtices campum excurrunt? Quem das Auctorem? Hic sanè nullus est. Neque Κωμῳδίαν finxit, neque τὰ φαλλικά. Quin vtraque eius argumentum complectitur, & actiones, & αὐλητικὴν, & Dithyrambicam. Lamon in insula Lesbo puerũ, Dryas puellam expositos aluere. Daphnin illum, hunc Leucem dixerunt. Capras alter, oues altera nutrire edocti. Daphnin è fouea, in quam ceciderat eductum lauat Leuce, cui Dorcon Lupina pelle indutus vim inferre conatus, ab amantium canibus penè discerptus, ab ijsdem illatis morsibus remedium petit. Inter pastores interim, prædonesq. in maris littore prœlium committitur. Daphnis belli auctor est, occubuitq. socius Dorcon, cuius necem Daphnis nunciat suis, à quibus multis cum lacrimis conditur sepultura. Dùmve ad pascendos greges reuertuntur, familiaritatem, quæ inter ipsum, & Dorconem intercesserat, narrat Daphnis; mox ad Lyconis vineta laudibus à viris Daphnis, à feminis Leuce extollitur. Aucupium deindè simulans, Dryantis domum Daphnis ingreditur, & Leuces aspectu tantùm fruitur. Lycormus, pastores conuiuio excipit, Lamonq. & Dryas interfuere, varia pastoribus carmina vino plenis, concinentibus. Adfuere Lymniace, Thelesilla, & Arge nautarum vxores, quæ dùm suos detegunt amores, Daphnis, & Leuce amorem inter se mutuum perpetuum

fore

fore iureiurando confirmant. Expetebant sibi plurimi Leucem vxorem; in vetitum nitebatur Daphnis. Nuptiæ tandem erant celebrandæ, cùm turbas facit riualis Lampes. Dionysophani Lamonis hero Daphnin ad vrbem ducere cupienti, Lamon expositi pueri indicijs patefactis, Daphnis filius agnitus est; & ab eodem ciuis Lesbij filia Leuce est celebrata, & in matrimonium Daphni tradita. Habes ἀναγνώρισιν, & περιπέτειαν. Habes quæ Fabulam constituunt. At hæc narratio est; quid Fabulam appellas? Quid Tragicomœdiam fingis? Quid Dithyrambum, & Auleticem destruis? Nunquam ne Aristotelem perscrutatus es? Manum de tabula. Sed has quoque narrationes inter Poetica Aristoteles reponeret, si quid Dramata, ad eam rem faciunt; & cum Heliodoro coniungas de Theagene, & Chariclea loquente, qui pudicè inter se amantes, in varijs periculis coniugalem amorem seruarunt.

## Pinti.

*Prælongas, hospes, nomen mihi peruolat oras:*
*Ossis relliquias, heu, breue marmor habet.*
*Longior & poterat melius cui ponier vrna,*
*Quàm mihi, qui LONGI nomine dictus eram?*
*Quam nisi promeruit nomen: sibi iure merebant,*
*Composuit longùm quos mea Musa, modos.*
*Hæc tibi Pastorum mores, flammasq. retexit,*
*Queis sua næ fuerat Daphni perusta Chloe.*
*Ardores varios, varias dignoscere tristes*
*Forte petes iras: hæc tibi Musa feret.*
*Me non fabellis longos consumere Soles*
*Pertæsum est: hanc me claudere tædet humum.*
*Hunc longis saltem tumulum circundate tænis;*
*Hic breuibus vates, dicite, LONGVS adest.*



Stanislaus

# Stanislaus Hosius Card. Varmiensis.



Armatarum laudatissimus sese mihi offert Stanislaus Hosius, qui relictis Vlrico, & Anna parentibus, in Italiam profectus, multorum annorum laboribus legum studia sectatus, & doctoratus laurea insignitus, clarus euasit. A Pio IV. Episcopus Culmensis, deindè Varmiensis creatus est. Ab eodem ad Ferdinandum, & Maximilianum Imperatores pro cogendo Concilio missus, cui Tridenti Pontificis Legatus præfuit, in Cardinalium Collegium titulorum S. Sabinæ, & Pancratij adscriptus. Sanctitatis, eruditionis, & eloquentiæ gloria celeberrimus. Catholicæ Fidei clypeus, sæuientibus Centuriatorum procellis, insanam Matthia Flaccio Illyrico tempestatem excitante, vanas hæreticorum fallacias Pij V. sanctissimi Pontificis monitu detexit, protriuit, confutauit. De Petri Apostoli Primatu agebatur. In Centurias, cauillos digesserat Illyricus sacræ scripturæ deprauator, Euangelicæ veritatis oppugnator, cuius ori, & pectori Catholici mentio nominis acebat, quapropter scriptis pestilentibus quibus quoquò terrarum grauitatem aspirabat, mortiferum virus studebat euomere. Occultæ Catholici status valetudini, apertam adhibuit Varmiensis medicinam, multosq. ab Apostolico dogmate abalienatos, ad eiusdem semitam auctoritatis, & doctrinæ robore inflexit. Ad ea quoque reijcienda, Romam ab eodem Pontifice accersitus est Thomas Casellus Dominicanus Cauensis Episcopus, inter summos Theologos habitus eximius, quem incœptos absoluere labores mors non permisit. Multo quoque sudore in ijs lucubrationibus frons nostra manauit, quas à me Antonius Cardinalis Carrafa expetiuit. In Gregorij XIII. Pontificatu, titulorum S. Clementis, & S. Mariæ trans Tyberim Maior Pœnitentiarius fuit Hosius. Decessit anno salutis 1579. septuagesimo ætatis, & Romæ sepultus, cui disertissimum epitaphium Stanislaus patruus, & Stanislaus Rescius posuere. 8


Pinti.

Pinti.

*Siccine iucundam ſapientum ſæuà virorum*
*Sedem, obitu, Mors o, tu mihi ſæpe ruis?*
*Prò Pater omnipotens, queror hic, Mors neſcia flecti eſt,*
*Contundam, & tremula concidet haſta manu.*
*Vſque vale, perculte ſenex mi Sarmata, Regi*
*Dulce tuo, ſapiens, & mihi dulce decus.*
*Hac STANISLAVS, ſi quaras, HOSIVS vrna eſt,*
*Purpurei ille Patrum gloria prima chori.*
*At viuum liquere ſatis ſua nota Latinis*
*Dicta notis: Pallas ſic ait, atque abit.*

---

## Stanislaus Reſcius.



EX intima Sarmatia neminem vnquam huc aduenié̄tem doctiorem, humanioremq. Stanislao Reſcio Cracouienſi Canonico, Sereniſsimi Stephani Regis Legato, Neapolis nouit. Suus ipſum Rex multis dignitatibus complexus, quanta in eo morum grauitas eſſet, quàm rara vitæ integritas, patefecit. Omnium diſciplinarum Stadia percurrens, virilem demum ſe in Theologicis præbuit athletam, quippè ſaniori dogmate cum conterraneis, & Lutheranis, eorum ſalutis expetitor, luctatus eſt; & puluerem in Eloquentiæ curriculo colligens, victor adeò nobilis euaſit, vt non ſtatuas, aut ceras, ſed immortale nomen non modò apud Polonos, ſed apud Italos quoque, & in orbis capite Roma, fuerit conſequutus; id quod præcipuè eius Orationes, & Epiſtolæ ad ſummos Proceres, alioſq. ſcriptæ indicant. In ijs non elegantiam, nec Romanam proprietatem, ſed Germanam facundiam celebrant, qua res ità deſcripſit, vt grandiloquum potiùs, & varium, quàm obſeruatorem iudicarint. Sed plenum ſalibus dicas oportet, qui ne verbum quidem proferat, quod non ſit aliqua recondita ſignificatione conditum, & obſecret,

liberius

*—— liberius si*
*Dixero quid, si fortè iocosius; hoc mihi iuris*
*Cum venia dabis ——*

vrbanitate tamen Stoica, quam ex optimis libabat disciplinis, vt venustatis subtilitatem humanissimis sermonibus attingeret. Quamobrem & si mollior interdum, ac delicatior videretur, flectebat se nihilominus ad seueritatem, qua magistra modestiæ, censoria etiam interdùm vtebatur. Sed Græca sæpè Latinis miscuit, siquidem,

*—— sermo lingua concinnus vtraque*
*Suauior; vt Chio nota si commista Falerni est.*

Multa scripsit prætereà, quæ in lucem edita, sublimis eius ingenij testimonium faciunt, & quæ Christianæ Reipublicæ vtilitatem allatura, Octauius Cardinalis Parauicinus prædixit. Spongia, qua abstergit contumelias Iesuitis Sacerdotibus ab hæreticis illatas, pijssimi, & docti succi plena est. Oratione parænetica, quot Lutheranorum errores patefacit? quot conciliat opiniones? Quæ verò adhuc non prodiere commentaria in septem Dauidis psalmos, tanta laude Ascanius Cardinalis Columna commendauit, vt suæ ornamentum Bibliothecæ singulare addidisse affirmarit. Tanta fuit comitate, vt semper in cubiculo, in mensa, doctos viros haberet; qua in re cùm reprehenderetur (podagræ enim, & chiragræ doloribus ità miserè afficiebatur, vt cùm podagra ad pedes veniret, mortem ad fores esse diceret) respondit, *Mensas Legatorum, mensas Regum existimari; & sacram rem esse mensam socialem, vt aliquid habeat in se viua voluptatis, cùm ad latus amicum videris, non solum quem desideras, sed qualem desideras.* Neapoli decessit, doctorum virorum lacrimis deploratus.

## Pinti.

*Fortunam auspicio non amplius ire secundo*
*Re scio quin tristeis sæpe referre modos.*
*RESCIVS heu lacrima cecidit mihi Vistula, dixit:*
*Palladis & specimen næ probitatis erat.*

*Ab Sebethe, meos tàm crebrò occidis amice?*
*An tibi ferali flumine lympha fluit?*
*Ex hominum genere hoc posthac te nullus adibit;*
*Miserit aut talus parca corona viros.*

---

# Sidonius Apollinaris.



10 Idonium Apollinarem Aruerniæ illustribus parentibus ortum, Galliarum Præfectura decoratis, in pueritia Poëtices ornamento initiatum, in adolescentia Græcis, Latinisq. litteris eruditum, mox quasi per gradus Philosophicis, Mathematicisq. studijs imbutum, ad Iurisprudentiæ columen, & à Consulatu, & Præfectura Vrbana ad Episcopatum adscitum, vitæ sanctitate illustrem, Theodosij, & Leonis, Zenonisq. ætas, in qua floruit, est admirata. Doctor sanè Catholicus (licèt auus primus Christianus in eius genere fuerit) Romanæ Sedis defensor, Christianæ Fidei propugnator, hæresis Arrianæ contrà Euarigem Regem potentissimum, hostis acerrimus. Ad senectutis ocium ductus nihil antiquius habuit, quàm Romanæ Linguæ candorem Gothorum lue deturpatum, ad pristinam dignitatem, quoad fieri poterat, reuocare. Epistolari stylo id assequendum arbitratus, cùm ad Ciceronem accedere haud posse fateretur, quem nec assequi potuerat Iulius Titianus sub nominibus illustrium feminarum (is auctor nobis incognitus ab eo citatur) duos sibi imitandos proposuit, C. Plinium, & Q. Symmachum, quorum vnus disciplinam, & maturitatem, alter rotunditatem suppeditaret. Adamante durior eius oratio plerisque visa est, tùm præcipuè Francisco Petrarcæ, qui vt temerarium eum admiratur. An temeritas ea est, quæ stylum non nouit, vel tarditate non capit? At si quis inter Ciceronianæ eloquentiæ vbera enutritus, posteriorum scriptis vacauerit, ab antiquorum puritate alienus crassiore cibo vesci, vel si sexcenti Apollinares loquantur, sibi persuadeat necesse est. Cur verò non

placebit

placebit aliquandò pilæ lusus in *Sphæristarum contrastantium paribus, inter rotatiles catastropharum gyros*, & huiusmodi multa, quæ Sidonius, non Cicero explicauit? Offenduntur ne aures in *Subsequis rusticanis* (Apulei vocibus) *subulcisq. roncantibus*? Patere, quæ loquendi vsu ea tempora pertulere. Idq. temerè non dictum arbitror, quod ætatibus receptum, sale sit resperfum, sit purum, & in sua barbarie non contabescat. Sed grandiora expetas in Sidonio, Magistratuum munera, quæ ad inferiora tempora pertinent, Regum imagines, antiqui ædificij structuram, quam si in Plinio nouimus, in hoc sæpè habemus vberiorem, Curiarum ordines, Imperatorum aulam, rerum maximè Gothicarum varietatem, Dedicationis festa quibus & Gentiles, & Christiani epulabantur, barbaricam in nuptijs pompam, quam in Sigismere iuuene ostentauit, qua nihil illustrius meo iudicio potuit effingi, *vt in actione thalamorum non appareret minor Martis pompa, quàm Veneris*. Quis itineraria exactiora conficit? Quis topographiam dilucidius ob oculos ponit? Macte virtute, Sidoni, quàm bene, quàm bellè de Aruernis loqueris? Adde rerum forensium praxim, de qua luculentissimè inter Turpionem Tribunicium, agit, & Maximum Palatinum de Centesima vsura; præter alia Iurisconsultorum placita. Et Episcoporum electionem, in sanctis Patiente, & Euphronio; & nouorum operum, nouitatis gratia commendationem quam de Mamerco Claudiano protulit, quem Christianorum Philosophum appellat; & annonæ curationem in Lugdunensi Episcopo; & scripturarum Allegorias, quas ad Basilium explicat, Euarigem metuens, & Episcopales orationes, & eorundem charitatem pro Gallorum fide exposcens; ceteraq. innumera, quibus & Ecclesiæ, & moribus, & Reipublicæ consulere nullo labore, nulla studiorum intermissione, recusauit. Quod si hominum prauitates, delationes, crimina, scelera, Demosthenes, aut Hortensius fuissent explicaturi, quid facundius protulissent, quàm ea quæ Sidonius protulit, in ijs animaduertit, qui Chilpericum accusabant, & criminabantur? Bone Deus, quàm in simplici argumento varius, in concisa oratione copiosus, epithethis multiplex,

historijs numerosus. Hæc in Sidonio collaudes. Elegantiam sic venerator, vt cum ipso loquaris ad Aruogastem, *Tertia Vrbanitas, qua te ineptire facetissima allegas, & Quirinalis impletus fonte facundiæ, potor Mosellæ; Tyberim ructas; sic barbarorum familiaris, quod tamen nescius barbarismorum; Par ducibus antiquis lingua, manuq. sed quorum dextera solebat non minus stylum tractare, quàm gladium*. Nec cum Francisco Florido eius auctoritatis virum cum Baptista Pio adiungas, qui Latinarum vocum monstruositate ridiculus, Romanam linguam, nec Scythicam, nec Peruuianam, sed nullius orbis reddidit inquilinam; cùm Sidonius etsi horridis plerumque vocibus vsus fuerit, redolet tamen, veneranda maiestate, Latini idiomatis grauitatem, & non ornatam nouam nuptam dixeris, sed vestium nouitate conspicuam. Quid eius Carmina? Totus in Panegyricis, totus erat in Epithalamijs. Eos Anthemio Cos. & Valerio Maioriano, & Auito Augusto; hæc verò, Polemio, & Araneclæ dixit. Lepida sunt; licèt σαφήνειαν desideres.


## Pinti.

*Quis sidit tumulo? Sidonius, alter Apollo*
*Qui latè fama lumine in orbe nitet.*
*Antistes ne fuit? vera hac notat alba mitella*
*Marmore, & hunc luget Gallica terra suum.*
*Extiterat queis Cæsaribus? Zenone, Leone.*
*Clarus an antiquo sanguine? clarus erat.*
*Nec petis ingenij longùm qua munera chartis*
*Tradidit, & varia Pallade plena manent?*
*Percepi. quid opus multis? sat sculpere verbum est:*
*Hìc Sidonius est. viuit & illacrimas?*



Ioannes

# Ioannes Trithemius.



Elix villa ad Moſellam Ioannem protulit; feli- 11
ciora cœnobia Spanheimenſe in Moguntia, & Herbipolenſe Abbatem aluere; feliciſſima tempora Pij II. & Federici III. rerum à Principibus geſtarum in Europa, lucubrationum, quas docti viri, tùm Eccleſiaſtici Scriptores elaborarunt, memoriæ habuere conſeruatorem. Quot, quantiſq. elogijs hæc Trithemium efferunt? Et quis eo dignior laudibus, qui æternum tot hominũ famæ præconium proprijs ſudoribus mandari conatus eſt? Nec dicas, nihil eum ingenij in Elogijs oſtendiſſe, cùm omnes ijſdem ferè verbis laudarit; ſatis enim fecit ſi hominum gloriam, non ſuæ orationis ornatum ſeruauerit. Studioſi ſpecimen edidit in comparanda maxima illa bibliotheca, in qua præter typis traditos, ad octingentos manuſcriptos libros Ioannes Duracluſius numerauit, qui ad ediſcendas linguas Græcam, & Hebraicam ad Tritemium ſe contulerat. Laborioſi verò, cùm ex eorum librorum lectione, innumeros ipſe ſcripſerit; nam præter myſticam Chronologiam, quæ ad ſecundas intelligentias orbes poſt Deũ mouentes, ſpectat; & Francorum, Ducumq. Bauariæ, & Comitum Palatinorum Χρονικά, quæ ad Politicam referuntur; multa compoſuit, quæ Monachos decere ob Dei, & Relligionis cultum; multa quæ quotidianis exercitationibus, Homilijs, & ſcripturarum interpretatione neceſſaria cognouerat. Nullus ſine linea dies præteribat; noctuq. didicerat horas ſomno furari, quibus aut legeret, aut ſcriberet, aut dictaret. Dederat ſe libris mancipem, quorum etiam Principum ope prædonem ſe fecerat. Hiſq. artibus ſciebat. Nec ſine libris quiſquam, nec in libris otioſus ediſcet, quæ Trithemius, Philoſophicis, Theologicis, Mathematicis, Poëticis, Oratorijs ſtudijs comparauit, quæ ſui temporis doctiſſimum virum prædicarunt. At cùm reconditis rebus penetrandis animum adiecit, duos ſcripſit libros Polygraphiæ alterum, alterum Steganographiæ. Mirandos,

& in-

& inæstimabilis laboris libros ij appellarunt, qui cùm aut homines loquentes non capiant, aut libros legentes non intelligãt, tunc sermonis, & scriptionis Auctores pro Dijs habent. In Polygraphia, nemo adhuc est, qui scabrosis vocum ordinibus, occultè scribat. Reclusa omnia in seipso cernimus, nec adhuc Clauis fores reserat; quin clauem oppessulantem diceret Apuleius. Atque vt prorsus claritatem obstruat, cum Sphynge passim loquitur, *Ignorantia est mater erroris, & qui bonum discere contemnit, quod nescit, amat cæcitatem*. Eorum more, qui videantur prophetari. Aduoca Oedipum. *Quid in his? Non refert si diem nox superet, aut si lux tenebris non concordet, qui circulus finem non recipit, & vacuum plenitudo non admittit*. Dauus sum Trithemi. Nec me implices in *periphrasmatibus*, aut *metathesi*, vel *Spiraminibus vocum*, & *Feronomatis*; nec duriorem dicas vnitate binarium, nec vnitas mediante ternario in binarium progrediatur. Durissima clauis est; indiget oleo. Eruginem priùs auferas, quæ aut est in hominum mentibus, aut in tua subtilitate. In στεγανογραφίᾳ, quàm vanus? Credideras fortasse Magico studio,

*----- aliјs duras immittere curas,*
*Sistere aquam fluuijs, & vertere sidera retro?*

inania, falsa, nedùm ridicula, & incredibilia eius artis promissa ignorabas? Dereliquit eam Nero, cui nec ingenium, nec diuitiæ deerant, & ad quem ex Armenia Tyridates Magos detulit, & contempsit; tu verò inhians amplexus es? Laudem quam ex tuis nobilibus studijs fœneratus fueras, deperdidisti; & in diuitijs quas gloriæ, & famæ adeptus fueras, conturbasti. Quàm enim longè à Relligiosi, & Theologi via aberras? Admiror hominum cupiditatem. Sunt qui hunc librum ex Inferis eruerent. Quid tum? Legisti Steganographiam. Quid facies? Aethiopide herba stagna siccabis? Verbenaca, quæ velis, impetrabis? An mater Deorum ex Pessinunte Romam adueniens hærebit in Tyberi? An Thucia Vestalis aquam cribro in Capitolium feret? Sed ne sic acerbè in Trithemium animaduertas, Naturali enim Magiæ operam dedit, quam nõ per reuelationem à Deo, vel ab Angelis bonis

bonis percepit; nec à Dæmonibus, impia cum ijs societate deuinctus; sed quam humano studio per Philosophiam comparauit. Esse naturalem Magiam non est dubitandum, quæ abstrusiore quadam sapientia, & occulta rerum naturalium cognitione, mira facit. & eiusmodi Apollonij opera non euertisse Deum, Iustinus Martyr affirmat. Eam Trithemius sectatus est; quid durioribus verbis accusas? Herbam do. Sed vide ne veluti Chimici ex naturalibus, ad violandam pecuniam sæpiùs euertuntur, sic Magi ex Philosophia, ad superstitiones, & præstigia non deducantur.

### Melissi.

*Humanos suprà captus, sensusq. Sophorum*
*Et mentes Genium, cui fuit ingenium;*
*Non quierit dia superare Trithemius arte*
*Quicquid humo summum, quicquid in axe poli?*
*Desine mirari. vir tantus ad omnia doctus*
*Naturæ instinctu, totus acumen erat.*

---

## Hieronymus Fracastorius.



Obili genere Hieronymus Fracastorius Veronæ ortus, Catullum, & C. Plinium conterraneos, alterum versibus, alterum varia disciplina æmulatus, cum omnibus Italis, plenis modestiæ, & dignitatis scriptis, contendit. Ab humanioribus scriptis Patauij ad Mathematicam, indè ad Philosophiam Pomponij Mantuani auditor; mox ad Medicinam incredibili celeritate, & auctoritate ità coaluit, vt suggestus honores iuueni Patauium detulerit, quos nisi perfectæ ætatis viris deferre consueuit. Ad eam natum omnes nouerant, incitabantq. acrius hinc Gaspar, M. Antonius Contareni, & Andreas Naugerius; hinc verò M. Antonius, Ioannes Baptista, & Raimundus Turriani, nobilissimi iuuenes, quos florenti ætate habuit socios, & sodales. Astrologiæ deindè cõtemptor, in qua Caldæis 12

in

in prædictione, & notatione cuiusque vitæ ex natali die minimè esse credendum, scribit Eudoxus, Astronomiæ factus amator, ex Pomponij, & Lucæ Gauricorum familiaritate ea excerpsit, quæ non ad iudicia, sed ad naturalia ediscenda pertinerent, & secretioris cuiusdam Philosophiæ cultor, Ioannis Matthæi Giberti Veronensis Episcopi exhortationibus, quæ circà stellas apparent per homocentricos orbes ostendere diligenti studuit indagatione, quos labores Paulo III. Summo Pontifici dicauit. Ingenij fertilitate, cùm in vltimam senectutem antiquorum Medicorum ætates actas processisse viderentur, veluti virgultum, excidentem Medicinæ truncum sustinuit, & mortalium saluti consulens, clarissimo lumine contagionis doctrinam de miserrima nocte exactissimè eruit, probante Alexandro illo Farnesio Sanctissimi Senatus gloria, atque splendore. Cùmq. in Naugerio (Dialogus is est) ex abditis poëtices fontibus suauiùs propinasset Ioanni Baptistæ Ramnusio, qui litterarum studiosorum familiam ducebat, vberiorem se quoque præbuit, & dùm præclarè animum mille orationum flosculis informasset, abundantem quoque rerum reconditarum copiam ex ditissima officina suggesserit. Quàm verò doctè in sua Syphilidi cum Petro Bembo lusit? Potuit ne fieri, vt morbum Gallicum tàm lepidè descripserit, & poëticè sanarit? Nec Poëta dicatur. Satis Casteluetro faciamus. At negabit, nisi eum prædicemus in opere, fuisse tamen in numeris, quibus omnem poëtices laudem illustrauit? Euerso bellorum eruptionibus Gymnasio Patauino, à Liuiano Venetarum copiarum Imperatore in Academiam Foroiuliensem Andreæ Naugerij, & Ioannis Cottæ contubernio euocatus est. Sed fuso Liuiano, in patriam se contulit, quam etiam reperit incendijs deuastatam. Connubio miseriam solutus est, & liberalium Artium exercitatione, quibus Musicæ principem locum dedit. Vir minimè ambitiosus, paruoq. contentus, iocundæ, & honestæ vitæ percupidus, vt cùm Medicina se abdicasset, totum se mansuetioribus Musis dedicauerit. In suis Caphijs (ager est) fato cessit septuagenario maior, & Veronæ conditus. Aeneas imagines Fracastorij, & Naugeri Patauij Ioannes Baptista

Ramnusius

Ramnuſius poſuit, ſupremum amicitiæ munus. At Veronenſes ne pietate in ciuem à Ramnuſio ſuperari viderentur, marmoream ſtatuam Veronæ, ſummo omnium conſenſu poſuere.

Pinti.

*Per fratres Helenæ lucida ſidera*
*Vos oro Aonides hic lacrimas date:*
*Illius cineres marmore ſublatent,*
*Cui quondam nituit ſidereum caput.*
*Tàm probè aſtra Sophos nouerat omnia*
*Cultos aſſiduè condiderat ſonos.*
*Hunc vos ò Medicùm flete virum cohors,*
*Hic & res medicas auxerat ingeni,*
*Haud feſſus ſtudijs, mirus acumine.*
*Bullarum recidant lumine gemmulæ.*
*Hic Verona tuo: ciuis vbi tuus?*
*Clarum lumen vbi, & lucidius decus:*
*Hic Fracaſtorij paruus adeſt cinis:*
*Hic digna Imperio vir facie, cinis;*
*Eſſet quàm miſerè actum ſine munere*
*Ipſius calami, Phœbe, ſub hac tua,*
*Tellus qua fruitur, lampade, qua polus.*

---

## Andreas Naugerius.



IMmortalitati commendatur Ars dicendi huius 15
voce,& ſcriptis,quem intueris(hoſpes) & contemplaris. Verborum ſplendore, & copia, quem Oratorem non ſuperauit? Quam ingenij gloriam alios laudando non conſequutus eſt? Et quæ propria laudis præmia cum ſuis Venetis non communicauit? Quid moror? Andreas Naugerius eſt, quem coronis,& floribus Muſæ complerunt,orationis ornamenta,ſubtilitatemq. ab ipſis mutuatum.Acri vir iudicio res graues eiuſmodi ſuſtinere edoctus, vt in Hiſpania diuturnæ Legationi

apud Cæsarem fungendæ Veneti prudenti consilio destinarint; & vix reuersum, in Galliam missum, eidem muneri præfecerint. Hisce animi perturbationibus, licèt studiorum assiduitatem nunquam abiecerit, non tamen absoluta, & perfecta, quæ scripserat, in medium afferre dubitauit. Noluit citrà sui nominis iacturam ea diuulgari, nec violari partæ per orbem terrarum existimationis fructum; quocircà, Siluis quas Statium imitatus composuerat non ignouit, & nec delicti venia ab amicis petita, damnauit igni. Vereor vt eadem pœna affecerit duos de Venatione libros heroico carmine, librumq. De Situ orbis elegantissimo stylo conscriptos, lusus complures, & laudationem illam quam in funere Cypriæ Reginæ publicè habuit de nobilissima Veneta gente Corneliorum, tùm præterea laudatissimam historiam Caroli Octaui in Italiam aduentus, in qua multa arbitror fuisse desideranda. Paucula, quæ adhuc in litura erant, seruarunt amici, qui tanti viri funeris relliquias expetunt, & hisce papyris non cera, sed beneuolentiæ ardoribus circumuolutis, mortuo prælucent, pullatis lugentibus M. Tullio, Terentio Varrone, alijsq. bonis Auctoribus, quos castigatiores propediem librarijs dare deliberauerat. Post Gallicam Legationem decessit ætatis anno quarto & quadragesimo.

## Pinti.


*Iàm tum, docte, tui nomina, NAVGERI,*
*Percepi teneris auribus; inclyta*
*Nunc cerno ingenij culmina.*
*Astant Mæonides dùm tua lectito,*
*Parnasi rutilant tunc mihi lumina;*
*Dignos quos referam te sonos?*
*Quæ cultè eximijs condideras viris,*
*Quæ magno Oenotriæ delicio tuæ,*
*Multorum decorant nunc manus.*
*Merces, quas alij Castalidum gerunt*
*Angustis ratibus: nonne opulentior*
*Vasta naue tuis gesseras?*

*Heu*

*Heu pars huius humi naufraga subiacet:*
*Supremo at ratio, clauus erat cui,*
*Cœlo est nonne sedens integra?*
*Et sunt, qui esse putant nauiculam alteram*
*Clarè quæ memores nos tui*
*Reddat stellifero de polo.*

---

# Petrus Card. Bembus.



Etro Bembo Venetiæ clariores redditæ sunt, 14
quàm vel naturæ miraculo, quòd omnium admiratione in aquarum lacunis conditæ sunt; vel quòd felicissimæ Reipub. splendoribus inter Italas vrbes, Italiæ totius præsidium, elucent. Latini sermonis obseruator is est; Itali, restaurator. At relligionem appellas obseruantiam? En tu innocentem accusas. Quæ nam relligio in candidè scribendi cupido, qui verecundè extrà Romanæ linguæ fines egredi plerunque voluit, vt (quod à Ioanne Francisco Pico acceperat) plures ad benè dicendum imitaretur? An relligiosum benè appellas eum, qui omni puritate conceptus parit? Hyperidæ, & Lysiæ Atticam fortasse subtilitatem exposcis? An idcircò relligiosus, quòd horridioribus verbis mutatis, additis numeris, aptiorem facit orationem? Ex antiquitate eligere, reijcere, ingenui scriptoris est, in quo tunc demum grauitas apparet, cùm interlucet nitor. Si epistolarum Bembi volumina legeris, Paulo III. Pontifici dicata, à quo Cardinalis electus est, summa iucunditate res maximas, & euentu grauissimas, quæ Leonis X. Pontificatu florentissimo acciderant, facillimè animaduertes explicatas. Habuit in ijs delicatos censores, qui aliquot ad summos proceres conscriptas, ieiuniores dixere; aliquot verò ad artifices, humilesq. homines, pleniores quàm par esset Summi Pōtificis auctoritati. Si eiusdem historiam suæ ipsius Reipublicæ precibus in senectute editam percurres, quàm eleganter scriptam iudicabis? quàm

sincerè expositam, in qua nec mendacio gratiam aucupatus est, nec odium veritate extimuit? Si Latina carmina perleges, quid dulcius, quid purius, quid magis Maroniano sapori proximum degustabis? Quid verò in Italico idiomate, Bembi disciplina accuratius est? Quid vitio tribuunt turgidi scriptores, quod à Francisco Petrarca non discedendum statuit? A candore, & puritate, non discedendum sanxit optimus iudex; quam sanè deserere coguntur, qui salebrosa, & hiulca verborum curiositate redundanter excurrunt, quiq. dùm iucundiora interijcere student, pondus, grauitatemq. sententiarum aspernantur. An fortasse satis illud Bembo non esse debuerat, vt se magistrum præbuerit, cuius præceptis doctorum virorum scripta pertulerint emendationem? Non nescimus Ludouicum Ariostum multos versus obelisco notasse; & Sannazarium parere recusantem, in aliquot errores incidisse. Nec veremur, tanti fuisse quæ Bembi calamo viuunt, vt sint cum sæculo perduratura. A Constantino Lascare litteras Græcas edidicit. Studiosorum amantissimus, tùm ambitiosius ab ijs laudari cupiebat, quod huiusmodi Francisco Maurolico declarauit, vt cùm Dialogos de ordine, & numero elemenrorum, & de Sphæræ circulis, & Planetarum motibus ipsi dicaturum scripsisset, *Se illud peruelle*, respondit, *nec vberiorem esse donationis inter viuos stipulationem, quàm ea quæ nostri nominis memoriam in omnem posteritatem sit propagatura*.

## Incerti.

*Adria Bembe tibi patria est, tibi Roma sepulcrum,*
*Imperat hæc terris, imperat illa mari.*
*Egregiè es Tusca lingua, Latiaq. loquutus,*
*Non hac, non illa dulcius vlla sonat.*
*Sunt testes Musa Tusca, Musaq. Latina,*
*Magnanimùm Venetum testis & historia.*
*Nobiliore loco haud poteras nasci, nec obire,*
*Nec magis ornatè, nec magè dulcè loqui.*

Iacobus

# Iacobus Cardinalis Sadoletus.



EX Ioanne Sadoleto, qui Ius ciuile Ferrariæ ab 15 Hercule Estensi, summorum virorum fautore, accersitus, publicè profitebatur, Iacobus Mutinæ ortus est. Quem adultum pater ad eadem studia nequicquam alliciens, ad ea hortatus est quibus eum oblectari intelligeret. Nihil durius, quàm inuita Minerua alicui studiorũ generi operam dare. Idq. bonas artes perdidit, & plurimum ingeniorum indoli abrogauit. Quamobrem humaniores Musas sectatus, Nicolaum Leonicenum moralem Philosophiam edocentem audiuit, Græcæ Linguæ incubuit, Romanæ eloquentiæ copiam ex optimis quibusque auctoribus hausit, vt egregiè ijs disciplinis institutus, doctissimis eius ætatis viris esset admirationi. Et quamuis rem Poëticam non ea felicitate fuerit assequutus, qua Petrus Bembus claruit, quocum ab ineunte ætate familiariter vixerat, & qua ad aliorum studiorum columen peruenit; aliqua nihilominus eius poëmata in adolescentia huiusmodi floruere, vt grauitatis, & grandiloqui sermonis fructum pollicerentur. Nec Cicero ipse ex vberrimo facundiæ flumine riuos ad carmina Musis dedicanda deduxit. Fortunatum Bembi caput, & olea, & lauro ornatum quis non admiretur? At cùm tantum roboris virtutum efficacia ingenio inesse cognosceret, vt Romanæ se posse auctoritatis iudicia sustinere non vereretur, Romam profectus est, & ab Oliuerio Carrafa Neapolitano Cardinali amplissimo, qui iuuenis incredibilem pudorem, & singularem modestiam perspexerat, receptus, præstantium virorum domi, forisq. beneuolentiam sibi conciliauit, tùm præcipuè Federici Fregosij Salerni Antistitis, cuius contubernio post Oliuerij interitum, cum Petro Bembo vsus est, quos etiam ijsdem studijs coniunctissimos Leo Decimus cùm primùm Pontifex creatus est, ad conscribendas epistolas delegit. Nescio an diligentiorem Petrum appellem, qui posteritati scriptis pro Pontifice epistolis consuluit. Non

tamen

tamen illud reticebo, nihil esse in summorum Principum negocijs, in Romanæ Aulæ maiestate, in publicarum, & priuatarum rerum cognitione, quod in Sadoleti epistolis desideres, quas veluti totius litterariæ Reipublicæ ærarium posteris reliquit. An dixerim fortasse cultiorẽ Bembum, Sadoletum grandiorem? clarum illum, hunc floridum? in vno splendorẽ, in altero venustatẽ conspici? Creatus interim Carpentoractensis in Gallia Episcopus, tranquillã vitã degit sedente Adriano, qui Leoni successerat. Mox à Clemente VII. post Adrianum Romam vocatus, administrandæ Reipublicæ ob summam prudentiam adhibitus est, licet eius Pontifex magis calamitoso tempore consilium non fuerit complexus, qui ingruentibus inter ipsum, & Carolum Quintum bellis, dissuasor discordiarum, & deponendorum armorum extiterat hortator. Abijt idcircò Roma Sadoletus; & vix viginti dies abfuit, cùm de miserrima vrbis direptione nunciatum est; doluitq. Pontifex, & intellexit quàm prudenter sensisset Cardinalis optimus, & quàm fideliter monuisset. In ea rerum perturbatione sacris libris animum addixit, & D. Pauli ad Romanos epistolam tribus libris explicauit. In aliquot psalmos lucubrationes edidit, volumen illud Dauidicũ interpreraturus si ocium nactus esset. Philosophiæ studia sic retinuit, vt aliquandò laudauerit, aliquandò verò improbarit; *Quorum vtrumque* (inquit Sigonius) *tanta cum ingenij, ac iudicij laude, tanta verborum, ac sententiarum copia est assequutus, vt acrius ne ab eo reprehensa, an ornatius laudata Philosophia sit, haud facilè iudicare possis.* Alterum librum Phædrum dixit, alterum de laudibus Philosophiæ, Maffeo Volaterrano dicatos. Scriptis, & voce, salubri consilio, quoad fieri potuit, omnibus adscitis vigilijs, semper eos qui à maiorum fide, & relligione aberrauerant, ad Euangelij pietatem, veriq. Pastoris obedientiam hortatus est. Quamobrem linguarum eruditionem, eloquentiæ flumen, Philosophiæ, ac Theologiæ promptuarium, auctoritatis amplitudinem omnem, ad Pontificiam dignitatem amplificandam, ad Catholicos, bonosq. mores informandos profudit. Honestis viris semper eius domus potuit, aluitq. summa charitate difficili annona egentes, vt veri

Episcopi


Episcopi munere excelleret. A Francisco Rege,& Carolo Quincto, Gallis omnibus, Hispanis, atque Italis, maximo in honore habitus est. Trans Tyberim Romæ septuagesimum annũ agens, obijt. Cùmq. Senatus habitus esset, Ioannes Petrus Carrafa Sabinorum Episcopus, deindè Pontifex, orauit. Sed in æde D. Laurentij cuiusque ordinis hominum frequentia à Iacobo Gallo Romano ciue laudatus fuit. Nullam in suo funere pompam postulauit. In D. Petri in Exquilijs sepultus.

Benedicti Ariæ Montani.

*Vt Plato facunda decorauit dogmata lingua,*
*De priscæ Sophiæ dogmata sumpta sinu;*
*Eloquij sic tu decorasti flumine blando*
*De sacro CHRISTI dogmata sumpta sinu.*

---

## Petrus Victorius.



Ihil est quod florentissima Italiæ vrbs Florentia in maximis rebus desideret. Dominatum si inspicias, Mediceos habet Magnos Duces, præclaros Principes, qui Pij V. Sanctissimi Ecclesiæ Monarchæ testimonio, Religionis pietate, Magnum sibi nomen compararunt. Si ædificiorum excellentiam, quænam vrbs Arnolfi, Baccij, Giotti, Alberti, Bonaroti, Donatelli, Rauezzani, Ammannati, Taddæ, Stoldi, Londini, Friani typis, Architecturæ regulas, non didicit? Si Statuarum raritatem, quid Diei, ac Noctis, D. Virginis, Victoriæ, Bonaroti opera signis nobilius? Quid eiusdem Septem mundi miraculis admirabilius? Quid Vincentij è Rossis Troia pulcrius? Quid Donatelli Magdalena, Sanctis Georgio, & Marco candidius? Quid Ioannis Bologni Sabina efficacius? Quid Bandinelli Hercule, Caco, Laocoonte industrius? Vt antiquorum Statuas non commemorem, inter quas Platonem, & Aristotelem extolles. At cùm picturarum simulacris oculos,& mentẽ explere volueris, quænam tibi Bronzinus, Alloius, Barberius, 16

Sartus,

Sartus, Naldinus, Perusinus, Ghirlandatus, Lippus, Poppus, Vasarius, Vrbinas, Masuuius, Pantormus, Pollaiolus, Paganus obijcient? Quos in tabulis, parietibusq. aperient thesauros aulæis preciosiores? Templorum ibi magnificentia, Hortorum iucunditas, pontium structuræ, aquarum perennitates, omnia prætereà quæ nobilissimæ ciuitatis titulo decorant, quam Carolus Cæsar in sollemnibus ostendendam esse prædicabat. Quid? An præstantius aliquid in doctorum ingenijs expetes? Quantum Dante Aligherio, Francisco Petrarca, Marsilio Ficino, quantum Poggio, & Guicciardino illustrissimis viris gloriantur Florentini? At omnes eius patriæ enumerem doctos viros? Volumine opus esset. Vnum nostra ætate seruaui, Petrum Victorium (Vettorim sua lingua dixerim) qui & statuis, & picturis, & Florentina fortuna illustrior, maximum Florentiæ suis scriptis attulit honorẽ. Nescio an frequentius ad Sechnuphidem Aegyptij, quàm ad Victorium Itali, Galli, Germani venerint, qui ab eius ore optimis disciplinis, Græcisq. & Latinis litteris pleno, ambagum solutiones, veluti oracula expectabant. Cosmo illi maximo, illum inuisenti factus obuiam, ait; *Mirari se tanti numinis aduentu, ædium parietes ob reuerentiam loco nõ dimoueri.* Cùm in villa esset rusticis vestibus indutus, succinctus gladiolis ad expurgandas arbores, quidam iuuenes, qui eum adierant, nec in eo habitu cognouerant, percunctati sunt, *Vbinam Victorius esset?* Quibus respondit, *Ipse Victorius adsum.* hisq. illudentibus; *Non creditis* (inquit) *me esse Victorium? expectate, iàm aderit.* Atque digressus, sericea veste ornatus redijt; *En* (ait) *Victorium.* Quem alloqui volentibus, dixit; *A veste respõnsum accipito, cùm vestis Victorium demonstrarit.* Scripsit variarum lectionum libros, Latinorum, Græcorumq. auctorum voces, sententiasq. dilucidando; quibus autem dicere Rhodiginis, Calcagninis, Crinitis fuisse clariorem. Marcum Antonium Muretum ad eas quoque conscribendas impulit. Commentaria in Ciceronem, & Aristotelem, Catonem, Varronem, Colummellam, & Cornelium Tacitum. Veterum libros mancos, & corruptos, summa diligentia integros, & emendatos reddere studuit. Bonorum ingenijs

nactus

nactus occasionem semper fauet. Lectionibus publicis in sua patria ad vltimam senectutem vacauit. Eius effigies depicta in æde Montagutorum visitur, habetq. socios Vincentium Borghinum pictorem, & Baccium Baldinum Cosmi Medicum.

## Petri Angeli Bargæi.

*Si quem felicem, ac verè statuere beatum*
*Quicunque expendunt cum ratione bonum;*
*Ipse ille es certè Victori; nam tua primùm*
*Clarat te veteri nobilitate domus;*
*Deindè valetudo firmum, vegetumq. senecta*
*Tradit, & à puero continuata venit.*
*Postremò virtus sese tibi pulcra, suasq.*
*Nixa quibus graditur, sedula pandit opes.*
*Cetera non referam, quandò omnes vndique terras*
*Plurima doctrinæ sic monumenta tuæ*
*Complerunt, vt te quoddam ceu numen ab astris*
*Delapsum cuncti mente, animoq. colant.*
*Perge igitur, veterumq. libros, artesq. iuuato*
*Ingenuas omni qua potes vnus ope.*
*Perge, inquam, nobisq. aperi quorum aurea magno*
*Cum damno in tenebris scripta sepulta iacent.*
*Ipsaq. tot meritis deuincta fatebitur ætas,*
*Nulla vnquam tantum sæcla tulisse virum.*
*Nam si opus Heroum proprium est prodesse futuris,*
*Atque hominum præsens velle iuuare genus,*
*Extinctis vitam, lucemq. afferre tenebris*
*Quis Phœbi, & summi iàm negat esse Iouis?*



# M. Antonius Muretus.

17 Mnia cùm in M. Antonio Mureto summo viro, dicendo, & scribendo, ingenio planè diuino, ad omnes artes aptissimo, seu carmen pangeret, seu solutam orationem texeret ornatissimo laudaueris, illud laudabilius existimato, quòd candidè scribendi regulam, præscriptionemq. à seueritate, qua duritas, & mœstitia orationis efficitur, explodendam, epistola quadam iudicarit. Quid malum ab vno Cicerone, ab vna eiusdem vocula pendere? Venustam, & concinnam orationem quis grauitati asperserit, qui pedem extrà nimis obseruati sermonis limites promouere dubitabit? Omnes ergò Ethnicorum libri abijciantur, comburantur. Vnus viuat Cicero. Viuat Cicero; Princeps est. At cum solo erit Respublica Principe? Nitor ille Ciceronianus plurimus est. Erunt ne aliorum lumina despicienda? Moriar si cum Cicerone scriberem, quæ morum varietate conficiuntur, temporum vicibus extant, sæculorum cursibus immutantur. Ne sperne, quod Cicero ipse docuit, *Omnium bonarum artium scriptores, ac doctores esse legendos, & peruolutandos*. Si quidem variarum epularum apparatu, opiparè conditur conuiuium. Adolescentulus Muretus, ea docere incœpit, quæ ea ætate si quis disceret, in summa laude esset ponendus. Ducem, & adiutorem studiorum habuit Iulium Cæsarem Scaligerum, qui excellentissimum adolescentis ingenium admirabatur. Luteriam deindè profectus, diuitias animi explicans, orando nouus videbatur Demosthenes exortus. Duodetricesimum annum agens Venerijs Lauredano, Bembo, Contareno, Soriano, Manutio charus vixit. Indè Patauij summa cum suorum studiorum laude commoratus est. Mox in Galliam cum Hippolyto Cardinali Estensi rediji, cuius suasu in Italiam reuersus, Romæ per annos vnum & viginti, Aristotelis Ethicen, Ius Ciuile, Platonem, Senecam, Horatium, Tacitum, Ciceronem summa cum studiosorum voluptate, & frequentia explicauit.

In eo variam eruditionem notat Lipsius, sed comitatem, & leporem, *& tàm promptam humanitatem, vt rarò domus, aut lingua eius cuiquam essent clausa.* & nunquam ex eo rediјsse affirmat, nisi cum fructu aliquo, & velut doctrinæ spico, quod ex fœcundo illo agro colligebat. In Platonem, & Aristotelem Commentaria inchoauerat. Insignesq. notas in Herodotum, Thucididem, Xenophontem, Plutarchum, Liuium, Plinium scripserat; sed quas in Tacitum edidit, habemus. Varijs lectionibus sexcentos Græcorum, Latinorumq. locos emendauit, disposuit, enucleauit. Vix credi potest quanto studio orationibus in Catilinam insudarit. Sed quantum delicatioris operæ impenderit Catullianis Commentarijs, ex eorum peritissima lectione studiosi animaduertent. Sacrum Collegium coràm Summis Pontificibus orando sæpè decorauit. Gymnasium Romanum, litterarum parente orbauit. Natus est in Gallia, in agro suburbano Lemouici, cui Mureto nomen; patre Iurisconsulto, genere perantiquo, & nobili, qui agrum illum possedit. Sepultus Romæ.

## Pinti.

*Somnus erat, muros sublatos mente videbam,*
*Et penes ire vagæ ductile flumen aquæ;*
*Libethri circùm Nymphas ductare choreas;*
*Et grauem in aurato fornice in esse senem.*
*Dùm choreas passim exercent: perquiro quis esset:*
*Illa: erat hic nostri gloria magna chori;*
*Condendis nouus hic ingens vir natus Athenis:*
*Hic raro eloquio Tullius alter erat;*
*Sciscitor & nomen: Muretum vix dedit ore,*
*Nescio qua pulcras compta puella comas:*
*Et subitò cepta hæc læta euanescit imago,*
*Lætitia, heu, somni tam breuis esse solet!*
*Nil mirere, meam si hac lusit imagine mentem:*
*Dexteræ erant tanti scripta diserta viri.*

# Iuſtus Lipſius.

18  Otius Antiquitatis arbiter, ac perluſtrator Lipſius (ne venaticum veterum monumentorum canem appellem) ſalebroſas variarum rerum quæſtiones ità complanauit, vt quæ inuia, & inacceſſa credebantur, planiſſima eſſe reddita; incognitorum ferè anteà auctorum obſeruationibus quibus vſus eſt, perſpicuè cognoſcamus. Quis enim antè ipſum Sidonios, Apuleios, Arnobios, Caſſiodoros, atque alios eius farinæ ſcriptores nouerat? Quis ex ditiſſimo Cornelij Taciti ærario tantum nouerat diuitiarum comparare? Quis ex Græcis, Latiniſq. Hiſtoricis, Grammaticis, Philoſophis, Medicis, Theologis, medullitùs penetratis, litterarum Reip. tàm conſultò prouidere didicerat? Res quidem varias promit, magnas oſtentat, abſtruſa patefacit. Politica, quorum ſententijs altiùs adire aſſerit, breui, & arguta methodo coërcet. Confuſa pleriſque videntur. immeritò. nihil enim magis diſtinctum, atque ordinatum. Sed dùm affectatam Principum gratiam redolere alij exiſtimāt, ab eo genere aberrare quis neget? Nihil Lipſius variorum Auctorum primæ claſſis auctoritatibus, niſi ad Regum virtutes con formandas congeſſit, quibus ni *Monita* addidiſſet, nequicquam de re Ciuili fuiſſet loquutus. De Romana militia quis tractauit vberius? Machinas bellicas quàm ſubtili acumine in lucem reuocat? Sed quàm purum qui ex altis rupibus cadit liquorem, delicatiori vaſculo tùm in multis, tùm in libris de Cruce, & Conſtantia propinauit? Quàm placidè philoſophatur in ſuo Seneca? Romanam vrbem ampliori magnitudine reddidit admirabilem. Amphitheatri munera exhibet. curioſè. eruditè. Veſtalium ignem accendit denuò. At Criticis lectionibus varios Auctores illuſtrat. Epiſtolarum voluminibus, quas in Centurias conſtituit, rem familiarem loquendi formulis, vrbanitate, vberrimè auget; vt habuerit Belgia virum, quem ſibi Principem Europa expoſcit, ob multa vtilia, quæ ſtudioſorum commodo propalauit,

palauit,enucleauit,edocuit. Quid verò (inquiunt æmuli) Lipsiana illa noua,libera,inusitata Latinitas? Eam hercules admiror, si non imitor. quam si imitarer, nihil esset dispendij. Cultus enim est, & reconditarum vocum obseruator, nullius seruituti addictus, fœcunditate redundat. Et ne alieni prædij depeculatorem quis eum accusaret, suo tantùm peculio viuere studuit, dùm scriptionem sibi peculiarem comparauit, vt diceret,

*Mea præda est illa* ——

ipseq. dicerem,

*Cui homini hodie peculi nummus non est plumbeus.*

Et suprà vires factum arbitror, vt tenebricoso eorum locorum scribendi generi lumen attulerit, & quasi *nouellare* voluerit in Germania,cùm in Italiæ meliore cœlo,& solo profecerit,vt ipse testatur ad Henricum Strauium; ideòq. de Latinæ Linguæ pronunciatione tàm disertè disseruit, & tàm dilucidè Epistolicas institutiones edocuit. Tria Latinitatis tempora dedit. Puerile, in quo Cicero,& solus Cicero. Crescens,in quo Liuius,Fabius, Curtius, Cæsar, sed leuiter; at cum omni studio Plautus, & Terentius, Et adultum, in quo omne scriptorum genus legatur, præpositis tamen Sallustio, Seneca,& Tacito, quibuscum liberè se quisquam exerat,atque floridè vagetur. *Antiquas verò illas rariores, & priscas voces, eloquentiam non facere*, scribit ad Ianum Vuouerium; *& quanquam lectionis, aut doctrinæ aliquod specimen præferunt, tamen iure hanc κακόζηλίαν damnasse, & appellasse Augustum; & ridere eos, qui in ea classe ipsum censerent,qui aliquid tale asperserit,vt salem; & non superfluere,aut abundare.* Eadem de re longiùs scribit ad Henricum Vuenum, *aliquid in suis scriptis, vel vetustiùs fortasse, vel concisiùs dictum; sed idem excusari, vel erigi, si quo loco, argumento, vel ad quem scriptum sit, videatur.* In Criticis antiquioribus vsum, vbi ex professo antiqua tractat. In epistola ad doctum virum, breuiùs,& eruditiùs scripsisse,& absque vlla affectatione mollia, & vulgaria,vt strictiora, & meliora eodem calami tenore ex impetu exarasse. Quid ergo? Abest Ciceronis elegantia? Abest. Sed cum omnibus scriptoribus est elegans. Et adsunt, intercurruntq.

*Praua æmulationem.*

runtq. suauiter lepores, adestq. spiritus, quo viuere, quæ dicuntur huiusmodi perspicimus, vt vita ad lectionem excitet, etsi non omnes delectet forma. Tantùm Lipsius Antiquitati incubuit, qua sine nihil nouum concinnè conditur, qua sine scripta, rudia, & impolita habenda sunt, vt cum rebus ipsis voces quoque ebiberit, malueritq. aliquid Plautinum Antiquitatis reuerentia sapere, quàm multus scribendo videri. Isthæc nihili facio. Aestimes, tantarum rerum molem laboriosissimum hominem fuisse complexum. Christianum virum, Beatæ Virginis deuotioni addictum, Hallensis Virginis historiam prosequutum, qui sterilis cuiusque materiæ argumentum copiosum facere poterat, ab Hæretico quodam iniustè obiurgatum, Anastasius Cochelet Monachus Carmelita pijssimè defendit. Anno 1606. cum pietatis Christianæ testificatione x. Cal. Aprilis, anno ætatis nono, & quinquagesimo ad cœlum euolauit.

## Francisci Colellij.

*Quis latitat tumulo, num Lipsius? ob dolor, hic est,*
*Qui perijt. mundi ò flebile dissidium.*
*Quæ pubes? Charitum. Quorum hic est fletus? Olorum*
*Aonidum. tumulo quis lacrimatur? Honos.*
*Cur tremit Vrna? pauet istum complectier. haustu*
*Vitali orbantes qui rapuere? Dei.*
*Cur lugent Vates? amissa est Laurea. cur non*
*Cinthius in tumulo thura ministrat? obit.*
*Quis tandem Lipsi cineres comitatus in vrna est?*
*Cinthius, & Pallas vnanimi interitu.*
*Felix sorte tua, tibi Polus inuidet; at tu*
*Tergeminum Sophiæ contegis vrna iubar.*



Gaspar

# Gaſpar Scioppius.



*Rancum amicum habeas, vicinum ne habeas,* 19
vetus fuit Romanorum verbum, Marcellino teſte. At in hoc viro contrà fieri videmus, cùm eum Romani non ciuitate modo donare, ſed etiam in patricios allegere, quàm inter Francos Orientales, in quibus natus eſt, diutiùs cenſeri maluerunt. Neque id herclè iniuria. Ingenij enim ſolertia præſtat. Præſtat moribus, quos è Chriſtiana pietate deductos Stoica philoſophia (ex qua ῥώμην καὶ ἰσχὺν ψυχῆς eruit, & eruditiſſimo ſcribendi ſtylo optimam viuẽdi rationem inſtituere conatus eſt) Zenone, Antiſthene, Platone, Socrate reuocatis, reddidit ornatiores. Tantum porrò in ipſo propagandæ Catholicæ Fidei, & reſtituendæ in Germania auitæ pietatis ſtudium, vt non modo totis iàm vndecim annis hæreſes concidere, & iugulare ſermone, ſcriptis, & vitæ exemplis conatus fuerit, ſed etiam vt Germani Principes, procereſq. in hæreſi ſorte potiùs, quàm vlla ſua culpa nati, & educati, liberè Romam accedere permitterentur, & hoſpitalitate, ac beneuolentia Romanorum mitigarentur, & ad combibendam mutuam ergà Catholicos beneuolentiam imbuerentur, ſua deprecatione apud Clementem VIII. P. M. perfecit. Teſtes in eam rem affero libros, qui pro Eccleſiæ dignitate tuenda, ſumma cum eius laude efferuntur; De ſua ad Eccleſiam migratione, Annotationes in Tertullianum, De Indulgentijs, Commentarium Apologeticum aduerſus Aegidium Hunnium, Syntagma de Antichriſto, De Iuſtificatione hominis coràm Deo, Elenchos aduerſus Lutheri Relligionis auctoritatem, & nonnullos alios eius argumenti lingua Germanica ſcriptos, quibus multos ex hæreſis faucibus ereptos Eccleſiæ conciliaret, Germaniamq. erroribus inquinatam, puram, & nitidam redderet, Syntagma de Cultu, & Honore, quo libro nec cultius quicquam, nec maiore honore dignũ legi. Quid Scioppio admirabilius? Quid perditos hominibus vtilius? Quid Lutheranis

magis

magis odiosum, qui quotidianis insidijs eius sanguinem exposcunt? Abditas Philosophiæ latebras penetrauit. In profundissimos disciplinarum gurgites se immersit. Nihil reconditis Auctoribus expendendis, atque examinandis prætermisit, vt omnia sciuisse, omnia edocuisse, cuncta præ manibus habuisse dignoscatur. Moribus hæc addidit,

*Quæ virtus, & quanta, boni, sit viuere paruo*
*Discite non inter lances, mensasq. nitentes,*
*Cùm stupet insanis acies fulgoribus, & cum*
*Acclinis factus animus meliora recusat.*

Eaq. damnat,

*Ego iàm intùs ero, facite cœna mihi vt ebria sit,*
*Cœnare lepidè, nitidèq. volo* ——

Qui priusquàm in Italiam veniret, sic totum in Germania biennium exegit, vt integros dies aridus, siccus, ac ieiunus in studendo consumeret. Romæ posteà hanc instituit rationem, vt carnibus, piscibus, ouisq. à mensa in perpetuum proscriberet, & caule vnico, oryza, piro, caseoq. contentus viueret, cœna scito plusquàm Stoico adhibita, ieiunio quotidiano addictus; ac ne dimidiatam Deo gulam (velut Tertullianus loquitur) immolaret, continuo aquæ potu mutaret. Lecto cubiculari, non conchyliato peristromate strato, sed duriore, quàm habuit Seneca, vtitur, in quo sine vlla culcita asseres, ceruicali, duabusq. lodicibus instructi, in quo somnus laborum, ac sollicitudinum perfugium arctior, & ad vitam necessarius oculos petit, vt nihil vrgeat, quod à contemplando declinet, & in quo mens studiorum vigilijs excitata, ocio, & inutili tranquillitate valeat consopiri. Eaq. vigilantia *emunctæ naris* homo tantum nouit, vt sua, atque aliena diligentissimè rimetur,

*Vtilius enim noscere alios.* —— Χρησιμώτερον γὰρ ἦν
Τὸ γνῶθι τοὺς ἄλλους ——

Hinc eiusdem Hypobolimæus Scaliger, quo FERDINANDO Archiduci Austriæ Pseudoscaligerorum fraudes patefacit. Hui? tantus ne in ea re Scioppius? Et Stoicus homo verecundus, & parcus in cibis, procax, & prodigus in contumelijs? Hæc dixere.

aduer-

aduersarij conspecto libro. Sed ne Seueritatem, obsecro, à Stoicis seiungas. Quid si ambitiosi homines huiusmodi malleis contunduntur? Quid si Iosephi Scaligeri contumacia in tot pios, doctosq. viros, quos turpiter in annotationibus in Eusebium deridet, comprimit, execratur, & singularis arrogantia, qua ad insolentiam, & inanem sui existimationem effertur, sic erat castiganda? IOANNES FABER Bambergensis eruditissimus vir, in rerum simulacris factus ad vnguem, qui vix XXX. annum egressus Vesalium, & Fallopium æmulatus, sedulus naturæ explorator, centena diuersi sexus, & ætatis humana cadauera secuit, cui grata olim posteritas rarum illum suarum obseruationum Thesaurum debebit, Neapolim à Paulo V. Summo Pont. missus ad varias plantas in Hortos Vaticanos congerendas, dùm de Nardo, & Epithymo suam mihi aduersus Iosephum Scaligerum Disputationem typis traditam ostenderet, de clarissimo hoc viro ea retulit, quæ me in maximam admirationem adduxere. Confirmant id Austriaci, Bauari, alijq. magni Principes, qui in maximi momenti negotijs eius opera, & consilio feliciter vtuntur. Prædicant verò illustria, & varij argumenti opera, quibus orbi clarescit. Scripsit enim, & edidit iàm indè ab octauo decimo ætatis anno Verisimilium libros quatuor, Promptuarium Romanæ eloquentiæ, cui nihil vnquàm simile à quoquàm vel cogitatum videtur; Symbola Critica in Plautum, in Apuleium, alia, quæ acumen viri, doctrinam, politissimum iudicium, & candorem perspicuè omnibus declarant.

Pinti.

*Dege Quirinali longam sub culmine vitam,*
*Herculeusq. tuus sit labor vsque viris.*
*Christiadum fidei seruito hoc inclyte in æuo;*
*Mutatis animis gestiat illa tuis.*
*Tota, lares patrij, stupeat Germania ciuem*
*Te illa suum, melius te audiat illa suum.*
*Gaspar es ille, penes quem virtus iuncta Mineruæ,*
*Consilioq. iuuant, auxilioq. iuuant;*

*Gaspar es & linguâ, & vero munitus in Hydram*
*Rumpere qui potes: at qui es modo, Gaspar eris.*

---

# Ioannes Kircmannus.

20 

Vlla de re differentes doctos viros libentiùs audiui, quàm de Gentium funeribus; nihil enim in tota Antiquitate curiosius existimaui. De *Humatione* multa ignorabam. De *Combustione* in varias ferebar opiniones. Verebar vt à Græcis vterque mos defluxerit, vel à trium Philosophorum dogmatibus. Nam Heraclitus Combustionem proposuit, quòd omnia ex igne constare dicebat; Thales humationem, vt corpora humore resoluerentur, ex quo omnia procreari arbitrabatur; & Democritus in melle seruanda affirmabat, quæ sic reuiuiscere posse pollicebatur. Ignorabam an Romani ex Græcis exemplum sumpserint; nec constabat quo pacto in rogum cadauer cum lecto collocatum comburebatur, quo pacto legerentur ossa, seruarentur cineres; nescio quid de lino Asbistino, vel Indico in mentem venerat, quo comburi corpora plerique tàm verè affirmabant, vt vel etiam credidissent nauibus onerarijs opus fuisse, vt comportaretur ad tot corpora comburenda. Multaq. alia ad quæ ediscenda multorum annorum vsuram contulissem. Cùm ecce tibi eruditum opus, à Ioanne Kirchmanno Lubecensi elaboratum accepimus, qui fortasse aspernatur Porcachij exiles in ea materie labores (sed plurimi faciendos, quòd primus in Arenam descendit) vberiùs absoluit, quæ ille ieiunus inchoauit. Nihil est, quod amplius desideres. Ex optimis quibusque Latinis, Græcisq. Auctoribus, effossis cœmentis, nobilissimum sepulcrorum ædificium condidit. Habes itaque indictiua, tacita, vulgaria, plebeia, translatitia, censoria, triumphalia funera; oscula, lotionem, vncturam, vestitum, coronas, lectum, conclamationem, elationem, cantus, tubas, tibias, nænia ludos, imagines, pheretra, lacertationes, conuiuia, crines, digitos abscissos,

abſciſſos, inſignia, orationes, pyras, decurſionem, mactationem; ſepulcrorum loca, munera, odores, δῶρα, ψυχαγωγίαν, Leges, Præficam, vrnas, pacis precationem, Oſſilegia, ſepulcrorum rationem, diuiſionem, περιοικομιδὴν, ſimulacra, emblemata, elogia, relligionem, violationis pœnam, parentationes, Feralia, Nouemdialia, Denicalia, victimas, menſas, aras, inferias, vnguenta, vel χοαὶ, Arferiam aquam, vel Arferial, aut Adferial, vt in Gloſſis, quam Græci χθόνια λουτρὰ dixere, vinum, lac, & ſanguinem, flores tænias, ſilicernia, Manes, ferales cibos, cuncta præterea, quæ cùm in libris, aut in lapidibus legeris, in Nomiſmatibus inſpexeris, in eorum notitiæ cupiditatem te impellere poſſe videbantur. Breui ſcies. Callebis optimè; & multa quæ in Poëtis præſertim legendis prætereras, diligentiùs cum hac lectione animaduertes.

### Auctoris.

*Triſtia cum lacrimis, extinctis, funera præbes,*
*Perfundisq. ſacros, macte, liquore Rogos.*
*Viuere ſic diſcis, vaſto ſic labier Orco*
*Credis & inuerſas dùm regis arte vices.*
*Nænia das cunctis; laudes tibi quæris. & vrnis*
*Corpora dùm ſeruas, te domus alta teget.*

---

## Guidus Pancirolus.



Am indè à Theodoſij Imperatoris ætate aureus liber latuit, quo nec vtilior, nec curioſior multis ab hinc ſæculis in lucem prodijt. *Dignitatum Orientalis, & Occidentalis Romani Imperij Notitia* inſcribitur. Auctor ignoratur. Sed is quidem pietate inſignis, qui antiquarum rerum memoriam, & Romani nominis maieſtatem, hoc quoque libro ſeruandam propoſuit. Inſcribant auctoris nomen Romani, quorum res agitur. Romanæ vrbis Principum diuitiæ, robur, præſidia, ditiones, magiſtratus, magnitudo, in eo conti-

nentur. Inscribant Iurisconsulti, cùm omne ferè ius Ciuile Magistratuum, & officiorum nominibus explicet. Inscribant militum Duces, quorum symbola militaris disciplinæ occulta, sed præclara ornamenta demonstrant. Quis enim anteà nouerat Aquilam in Herculianis, Rotam in Pannonicianis, Dracones in Celtis, Aprum in Batauis, & Ascarijs, Crucem in Matthijacis, & Secundanis, Regem, aut Solem in Felicibus, Canem in Marcomannis, Leporem in Constantijs, Leonem in Thracibus, Nodum in Primanis, Coruos in Constantinianis? Quis in Equitibus, Serpentem in Honorianis, Lunam in Saggittarijs, Vrsos in Mauris, & Honorianis? Quis horum rationem nosset, cùm priùs in antiquis sculpta monumentis vidisset? Inscribant Historici, quorum plerosque ignotos locos Notitia dilucidat, quod in Marcellino potissimum, Suetonio, Tacito, Suida, Nicephoro, Cedreno animaduertemus. An tot Inscriptiones ei debentur, quot in memorijs, atque libellis Magistri Scriniorum notabant, quot in Laterculis Primicerij exhibebant? An tot, inquam, quot Prouinciarum limitibus nomina cohortium describebantur? Hæc omnia libri huius referunt honores. Sed retulit illustrius Guidus Pancirolus olim in Patauino Gymnasio Legum interpres Primarius, eximia laude in hisce lucubrationibus dignus. Nullam Legem non eius auxilio indigere iudicabis. Nihil esse in Antiquitate reconditum, quod non sit huius opera omnibus iudicijs expositum, & egregiè perpolitum intelliges. Quod si Corpori ciuili explicando tota vita insudasset, nullam maiorem gloriam adeptus esset ea quam ex his in Notitiam Commentarijs comparauit; quæ si quispiam studiosè legerit, ea edíscet, quæ prorsus ad hæc vsque tempora fuerunt ignorata; habes enim præter ea, quæ diximus, Panciroli sudoribus ex obscuritate, & tenebris mira lectionis varietate, & Iurisprudentiæ disciplina hæc omnia dilucida; Publicum Veredorum cursum, & Angariarum ordinem, Legionariorum militum nomina, eosdemq. multis Orbis locis dispositos, ministrorum salaria, pompam, dignitates. Quid exactius? Ipsas habes Principum vestes, gemmas, aurea, & argentea vasa, Largitionum libros, & signatæ pecuniæ,

vel


vel in argenti massa conditæ monumenta. Varia quis anteà Magisteria in militia sciebat? Quis Præfectorum, Vicariorum, Proconsulum, Comitum, & Consularium iurisditionem; quis armorum fabricas, præsidia limitum, cohortium classes non ignorabat? Nec dicas fictum fuisse opus Notitiæ, aut suppositum. Pancirolus doctissimè locos conciliat, verumq. Iuris, & præstantium Historicorum testimonium affert.

Franciscus Pola Veronensis.

*Ergò insperato tandem candore potitam*
*Notitiam Gemini Imperij spectamus ouantes*
*Romulidumq. iuuat, nec non Byzantia regna*
*Partibus è cunctis manifesta in luce tueri?*
*Quæ fuerint orbes olim, quæ castra vel arces*
*Quæque Magistratus ferrent insignia, nunquam*
*Intellecta prius, nigrisq. obducta tenebris?*
*Te sequor ò te sancte senex; tua numina adoro*
*Pancirole ingens; ne me aspernare colentem.*

---

# Torquatus Tassus, & Ludouicus Ariostus.



Vem cernis (quisquis es) procera statura virum, luscis oculis, subflauo capillo, tristi fronte, cogitabundum, inter Christianas phalanges arma barbarica phaleratis carminibus tractantem, Torquatus est, Bernardo patre, ex quo, & coniuge ex familia Russa, nobili genere Surrenti genitus est, & Neapoli educatus, tantò nobilior litterarum fama euasit, quantò inter Ferdinandi Sanseuerini Principis Aulicos, ipse scribendo habitus est excellentior. Torquatus est, nouæ scriptorum militiæ Imperator eximius, qui Heroicam dignitatem, quæ in Homero primùm, deindè in Virgilio defierat, noua disciplina, 22 23

omnium

omnium gentium plausu restituit. Armauerat se profectò splendidè, & seuerioris doctrinæ acie constituta delicatum sermonem Primipilum obijciens, qui nec

*----- in hora sæpè ducentos*
*Vt magnum, versus dictabat stans pede in vno.*

& qui nec imitaretur vsquam

*----- conclusas hircinis follibus auras*
*Vsque laborantes dùm ferrum molliat ignis*,

nec peregrinas, exoletasq. dictiones, sed ex genuino fonte depromptas inueheret, omnemq. Musarum suauitatem introduceret, nemine concurrente, Ludouicum Ariostum strenuum Ducem lacessiuit, qui post sui temporis incultos scriptores, primus cultiori stylo scriptor prædicabatur. Quid? Torquatum dices *minimo* digito *prouocasse* Ludouicum? Prouocauit, contempsit, victoriam sibi prænunciauit. At cùm manus conseruere, neuter succubuit. Rudem illam carminum, operumq. congeriem, quam antiquiores Itali in medium protulerant, exacto vt ea ferebat ætas, scribendi genere Ludouicus perpoliuit. Eum Torquatus ità sibi imitandum proposuit, vt ἐν τῷ ἔπει magis ἡρωίζοντα se præberet; & ἐν τῷ ποιεῖν, rectiùs fingeret, & imitaretur, si tamen illud sic concederem; vt δραματικὰς μιμήσεις iure ab eo factas (qua in re vnus Homerus laudatur ab Aristotele) & δρῶντας in communi conuictu Critici censuerint illustriùs à Ludouico fuisse introductos. Huiusmodi, inquam, sibi imitandum proposuit, vt puriora ex Italo idiomate deduceret, tenuesq. & exiguas aliquot voces, grandiori sermone ex Latinorum Poëtarum officina deprompto, redderet clariores. Torquatus, intrà sacræ suæ historiæ cancellos, prophanis interiectis Episodijs, se continuit; Ludouicus, apertissimũ Fabulæ campum, allegoriarum, rerumq. admirabili varietate peragrauit. Aliena cautiùs Torquatus seruauit; sua liberaliter Ludouicus profudit; dùm enim ille auidiùs traducit, hic suam Mineruam liberaliter excolit, atque exornat. In illo concinnitas; in hoc maiestas elucet. Illum, ornata; hunc, copiosa supellectilis diuitem ostentauit. Militem si descripserit Torquatus, nobilem sanè militem, nitidumq. proponit; quem

Ludo-

Ludouicus militaribus laboribus assuetum, puluere aliquandò sordidum patefacit. Mulieris ille venustatem dùm ob oculos ponit, omnes Cupidinum artes, omnesq. Veneres adpingit, varijs leporibus circumfusas; hic autem absque fuco, simplici ornamento, naturali penicillo colorat. Quòd si ad hominum mores Ludouicus etiam Satyra claruit; Torquatus Ethicam Philosophiam Dialogorum alloquutionibus illustrauit. Pastoralibus, atque Tragicis imbutum, nitidiore socco, aut nobiliore cothurno indutum Torquatum dices? Quid Ludouici Comœdias non producis? Ecquid, si ea quoque ipsum scripsisse dixerimus, quæ in lucem non prodierint? Aut quis neget tanto virum ingenio, quicquid voluisset fuisse conscripturum, & feliciorem existimandum, si hoc æuo scripsisset, qui mores mutauit, ad nouas rerum semitas deflexit, & quiddam priore ætate inopinatum conquisiuit? Ambo igitur Italorum gloria, ambo florentes, ambo Estensium Principum deliciæ. Atque in hoc omnino pares, quòd alter à Carolo V. summo Imperatore, alter à Clemente VIII. Summo Pontifice, laurea fuerit decoratus. Qui cum Homero, & Virgilio Torquatum conferunt, ea ne altius hyperbolicè repetant, quæ ab hoc sæculo longè sunt aliena. Vix Homerum attigit Torquatus, qui actiones, non sententias eius Linguæ ignarus, nosse confitebatur. Et dùm Virgilium vertit, à quo grauitatem, describendi methodum, poëticos spiritus elicuit, magistrum non æqualem habere patiatur. Inter nostros eò prouectus est, quò quispiam cum ea dignitate vix profectò accedet. Si quis iniustè ea de re litigauerit, Marsyam ad forum adeat. Laudent Torquatum, & efferant, summum virum, Poëticæ rei restauratorem, sed non temerarium faciant. Displicet sanè quòd non ardet adhuc *Ombos, & Tentyra*; & disceptationes, & æternæ argumentationes conquieuere; nec

*Inter finitimos vetus, atque antiqua simultas.*

nec vicinia,

*----- solos credat habendos*
*Esse Deos, quos ipsa colit -----*

Alexandri

## Alexandri Rinuuini.

*Non hìc effusis Elegeia mæsta capillis*
*Immatura canit lasciui fata Tibulli,*
*Non Siculo extinctus ploratur carmine Daphnis,*
*Sed quibus æterno semper dignissimus æuo*
*Limina cum liquit vitæ diuinus Homerus,*
*Argolicas quondam complectis vocibus vrbes*
*Aonides magnum mecum celebrate Poetam;*
*Sic quoque ploratus Tyrrheno in littore vobis,*
*Dùm triste alternat carmen mæstissima Syren,*
*Ausonium decus ille Maro, qui feruidus æuo*
*Syluestrem Tityrum, & moderantes arua colonos,*
*Mox Phrygium cecinit Regem, quæ bella Latinis*
*Intulit, vt sæuum strauit certamine Turnum;*
*Haud secus Etruscæ Tassius noua gloria linguæ*
*Et teneros primùm calamos, & lusit amores,*
*(Quis non blandè tuas miratur Amyntha querelas?)*
*Hesperias exindè acies, sacrosq. labores,*
*Et canit Assyrijs exausta pericula in oris*
*Sanguine dùm multo petitur sanctissima tellus.*
*Tu casus renouare pios, tu nomina mille*
*Erepta è tenebris ingentem Tasse virorum*
*Instaurare potes, per te gratissima cælo*
*Christiadum virtus nostras celebrata per oras*
*Gentibus insolitum inspirat pietatis amorem.*



Ludouicus

# Ludouicus Casteluetrus, & Annibal Carus.



Xitiale bellum à Romanæ Academiæ Fœcialibus Ludouico Castęluetro, Annibale Caro iubente, indictum est. Quid causæ? Ardet ne Ilium? Rapta ne est Helena? An, 24 25

*---- μάλα πολλὰ μεταξὺ,*
*Οὔρεάτε σκιόεντα, θάλασσάτε ἠχήεσσα?*

*-- valde multi, montesq. vmbrosi intermedij sunt, mareq. resonans.*

Nihil horum. Sed rideas. Verebatur Casteluetrus ne aut Liliorum vmbra Musis obesset; aut non tàm patulè eos flores luxuriaturos, vt eas opacare valuissent. Vmbratile profectò, & molle studium, quo neruum omnis poëtices elidebat. Id ne solidum, atque germanum in ea re cõtentionis genus? An nescimus Poëtas veluti pictores in vmbris ea collocare, quæ quis in eminentia spectare desideraret? Effigiem vllam nisi in Allegoria poëticæ rei tenemus expressam; eaq. fortasse ementiri iudicamur, quæ Scena varijs frondibus, Theatrum velis, Dictio figuris adumbrat, tùm præcipuè in Lyricis; malè enim cum Horatio actum esset, qui *lubricum* mulieris *vultum* dixit. habet ne strata viarum mulierum facies? nec sanæ mentis fuisset cùm diceret,

*----- quicquid habes, agè*
*Depone tutis auribus -----*

non suffecissent Midæ aures; nec Quercuum aures, quas arbores eadem allegoria *auritas* nominat. Quodq. ad propositam materiem propiùs accedit, si Fama velut arbor cresceret,

*Crescit occulto velut arbor æuo*
*Fama Marcelli -----*

ad quam ea proceritatem pullularet? sed grandiorem dixit Virgilius,

*Ingrediturq. solo, & caput inter nubila condit.*

Sed sic habeto. Pythagoras cùm μετεμψύχωσιν effinxit, Ludouicum in Aristotelem, & hunc in Ludouicum transmigraturum auguratus est. Quis Casteluetro Aristotelior? & cui nam carior

Aristoteles? Quis enim ex eius Poëtica fructus decerpitur, cùm quispiam deuorato Auctore,

*----- in versu faciendo*

*Sæpè caput scaberet, viuos & roderet vngues?*

Ergo ne præcepta traditurus, artis vtilitatem percipiet, si eius thesauris fruetur oculis, nec dabitur vsus? Laudabis fortasse mella, cùm non gustaueris fauos? quod si facies, quàm laudabis ineptiùs? Quid medullam Suadæ quempiam dixeris, quem durum, nunquàm limatiora effundentem audimus? Sed

*---- ποῖόν με ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;*

*Quale mihi verbum fugit ex septo dentium?*

limatiora non effudisse ais Casteluetrum, qui nunquam ad bonarum litterarum mammas labra admouit, ex quibus purissimus lactis imber non effluxerit? Incesto doctissimum virum ore non lacero; sed hæc illa infelix transanimatio est; neminem arbitrari de arte poëtica cultiùs loquutum, & nullum poëtices monumentum posteris reliquisse; quasi verò quis bellus verborum sit Architectus, & non ædificij; & aliquem rectè eam artem docturum dicamus, qui decempedem non tractauit. Nec Horatiano exemplo nitor, qui cùm nec Comœdiam, nec Tragœdiam scripserit, de ijs optimè docuisse profitetur,

*----- ego fungar vice cotis, acutum*

*Reddere quæ ferrum valet, exors ipse secandi.*

Quid enim coti, & ferro? Quid imagini, & pictori? Pictor Homerus, & Euripides; Imago Cicero, qui eos laudat. Et picturæ vitia, quis nisi pictor norit? An verò idem non contigit Aristoteli? Hoc reliquum eius scholæ sectatoribus; oblatrare, mordere acriùs, criticè in aliorum scripta, & cum liuore inuehere, nec vsquam in Regnis litterarum, quæ sibi effingunt, argumentum aliquod aliorum iudicijs examinandum in medium proferre. Sed heus tu, qui

*----- naso suspendis adunco*

*Ignotos -----*

& *Egregio inspersos reprehendis corpore næuos,*

quæ scribis, quæ iactas, quæ balbutis, insulsa sunt, neque bona palato Epicurus iudicat. Et quæ salsa arbitraris, & veluti condita

condita fercula degustanda apponis,

*Quasi salsa muriatica esse autumantur,*
*Sine omni lepore, & sine suauitate.*

Satis Casteluetro factum arbitror, si aliorum carmina, ad quæ natus non erat, reiectis Sphyngibus, & cauillis, qui modestis viris displicent, probauerit; si ex bonis auctoribus ea elicuerit, quæ ad humaniores litteras faciunt, quas profectò calluit. Sed dùm acumen, & pompam cum specie, & dignitate remotarum rerum indagatione præsefert, meminerit rebus Sibylla indigētibus non vti, & in traducendo esse accuratiorē; Græci enim sermonis vim, vulgari idiomate exprimere, ἀδύνατον. Eosq. Annibali Caro honores deferat, quos nitido, cultoq. scribendi genere præclaris quibusque Academijs recepto, & sua scribēdo, quæ varia proferuntur, & aliena vertendo, in quibus excelluit, veluti in Virgiliano poëmate cognouimus, comparauit. Quisq. dando munificus, & in exigendo non acerbus esto. Commentarios in Petrarcam, & Poëticam Aristotelis cautiùs legito; sic Catholica Ecclesia iubente.

## Pinti.

*Queis animis, aut igne ferox, quoue ariete, Vitri,*
*CARE, tui castella petis? non igne, nec armis,*
*Sed quæ est, aut flamma, aut quauis truculentior hasta,*
*Vi lingua. quibus hac veniunt certamina caussis?*
*Non ita in Oenotrias Pœnus Dux ruperat oras,*
*Regnandi cupidus, lecto ferus Annibal hosti,*
*Antiquam natus Romanam euertere gentem.*
*Damna feres? tanta ne animis sapientibus iræ?*
*En age, CARE, tuos motus compesce furentes:*
*Sum memor: exilis te iniuria percitat; alba,*
*Aurea vel, nemo fregit tua Lilia Regis:*
*Integra visuntur magnis laudata Camœnis,*
*Docte Poëta, tuis: hostis simul integra Vitri*
*Sunt Castella tui: vos fœdus pangere vtrinque*
*Fas erit; & pulcro capiantur Lilia Vitro;*

*Vitrea sic Adamas veluti Castella manebunt;*
*Sic tua perpetuò fragrabunt Lilia Vere.*

## Antonius Epicurus.

26 Ec multarum virtutum claritate nobilis Antonius Epicurus in Samnitibus apud Marsos honestissimis parentibus ortus, in hoc templo iacebit inglorius, cuius Sepulcrum Bernardinus Rota Musarum studijs, & ingenuæ disciplinæ societate, in D.Claræ amplissimo templo Neapoli illustrauit. Sodalem, amicum, ducem præterea appellauit Rota in Elegijs,

*Quaris vt Herculeæ fatum lacrimabile Nymphæ*
*Sit noua nunc chartis fabula picta meis;*
*Est, EPICVRE, nefas tàm chari iussa sodalis*
*Spernere, sancta iubet lex ità amicitiæ.*
*Te duce virgineis prima ora admouimus vndis,*
*Vidimus & sacrum relligione nemus.*
*Te duce, Castalium pueri penetrauimus antrum,*
*Cœpimus & tenuis tangere fila lyræ.*

Quid optimi, splendidissimiq. ingenij non assequitur industria, dùm cœli pleniorem naturam cum tenui, & pura commutando, vel retusa, atque hebes acies acuitur, qua nihil feracius doctrinarum varietate exculta, redditur? Diuertit litteris vacaturus Antonius ad Rotam, à quo viginti ferè annos familiarissimè, & liberaliter acceptus est, cuius laudibus docti viri virtus, quæ intrà parietes delitescebat, in summorum Procerum cognitionem, & beneuolētiam se emersit, tùm præcipuè cùm Carolo Quincto ex Africa feliciter redeunti, Arcuum, & Trophœorum apparatu, ciuium lætitia, publicæ hilaritatis significationibus, symbola, inscriptiones, epigrammata essent dedicanda, ad quæ cùm natura genitus, & conformatus videretur, verborum, & sententiarum raritate, huiusmodi placuit, vt Fortunæ initium, summorum virorum Vastij Marchionis, & Salernitanorum Principis voluntate

tate cœperit propagari. Ideò Cæsari ab ijsdem commendatus, Secretarius, & Portulanus (quem dicunt) effectus est. Plenus mox fortunarum Iuliam Datam vxorem sibi coniunxit, ex qua susceptis liberis, & extincto mare Scipione, qui ad vltimos eius annos superuixerat, tanto dolore afflictus est, vt confecta, exactaq. octoginta annorum ætas, licèt exercitatione assidua, robusta, perpetua post eius obitum ægritudine effluxerit. Sic Rota pro Epicuro eidem soluit inferias,

*Quas tu debueras lacrimas mihi nate parenti*
*Quæ iuuenis misero soluere iusta seni,*
*Hac tibi fatorum non æqua lege paraui*
*Infelix simulacrum, vmbraq. mœsta pater.*
*Et quandò semper mecum tua viuet imago,*
*Sit tibi pro tumulo mens, animusq. patris.*

Ex ijs quæ scripsit, Cæcaria solùm Tragicomœdia viuit; in qua stylus deest, & candida elocutio, quamuis doctis, cultisq. spiritibus scateat. Hoc linguarum incommodum ea ferebat ætas; & tempori tribuendum est, quod aptius desiderares. Ex chartulis, & schedis, quæ reliqua fuerant, multa quis posset elicere, nisi viduitatis dolore deperdita, in sacrilegas manus deuenissent.

## Bernardini Rotæ.


*Tu ne, Epicure, iaces animæ pars optima nostra?*
*Tu ne iaces Charitum, Pieridumq. decus?*
*Vsqueadeò immitis sæuit lex improba Fati?*
*Vsqueadeò in magnos mors furit atra viros?*
*Tu poteras blanda fatales voce sorores*
*Flectere, præcipites tu cohibere manus;*
*Et tamen ipse siles nigro leuis vmbra sepulcro,*
*Nec Vatem Charites, Pieridesq. iuuant.*
*Debuerat laniata sinum, crinemq. soluta*
*Surripere è medio Calliopeia rogo.*
*Ipsa tibi æternas felicia pocula lymphas*
*Præbuit, & vellet serta dedisse tibi;*

Quæ

*Quæ magni crines olim cinxere Maronis,*
*Quæq. Tibulle tuos, quæq. Petrarca tuos.*
*Te moriente sacri Permessi exaruit unda,*
*Excussit Laurus te moriente comas.*
*Dissiluit summo Parnassus vertice, & atra*
*Nube suum obduxit te moriente nemus.*
*Tùm Phœbus cytharam perfregit pectine verso,*
*Tùm cecidit capiti Laurus amata suo.*
*Solus abit, solus montes, siluasq. pererrat,*
*Flebilibusq. mouet saxa, ferasq. modis*
*Non tantum Eridani cùm flagrauere salicta*
*Defleuit nati tristia fata sui.*
*Infelix Phaëton animosis perdite cœptis*
*Quid malè caute petis? cur tibi fata paras?*
*Metiri poteras annos, viresq. animosq.*
*Aequa humeris aptet pondera quisque suis.*
*At nos exemplum miseret terrere ruinæ*
*Debuit, & poteram, non tamen abstinui.*

---

# Bernardinus Rota.

27 

Vid in Bernardino Rota potissimum laudem, generis, an virtutis nobilitatem? Vtraque præcipua est; sed genus efferam, quibus maiores cogniti fuere, qui Antonium patrem norunt quatuor Aragonẽsium Regum Neapolitanorum, Ferdinandi primi, Alfonsi secundi, Ferdinandi secundi, & Federici familiaritate, muneribus, legationibus percelebrẽ. Quo studio Ferdinãdum II. Carolo VIII. Regnum inuadente, sequutus est? Qua in alumnum (sic enim in diplomatibus, præter Cameræ Præsidem, & Consiliarium appellauit) qua in optimum militem animi propensione, recuperata Neapoli, de parta victoria certiorem fecit? Quid superiores Reges commemorem, quorum splendoribus

ribus huiſce viri maiores elucent? Nicolao militi Carolus ſecundus Caſtrum Rotum reſtituit. In Samnitibus Rinaldo, Goffredo, & Gulielmo Robertus Rex oppidi auiti iura concedit. Carolo Illuſtri Riccardus inter Regulos, qui Cupertini Comitatum poſſidebāt, milites obtulit; veluti Lancelottus, Riccardus, & Andreas Riczacorni oppidi, & Riccardus, Robertuſq. fratres oppidi Roti in Lucania militari ſubſidio potiebantur. Quantùm alter Robertus claruit, qui in Etruriam cum Calabriæ Duce inter ceteros inſignes viros profectus eſt? Quænam idem à Ioanna prima non eſt aſſequutus, cùm Riccardus natu maior ei litem intuliſſet, cuius æſtimatio à Roberto Sanſeuerino Cambellano facta eſt? Quòd ſi recenſiora notentur in hiſtorijs, en tibi Ioannem Rotam, qui arci Tropeenſi præfectus, quam Ludouicus Andegauenſis obſederat, deditionem eiuſmodi facere ſtatuit, vt niſi viginti dierum ſpatio, datis obſidibus, Alfonſus Rex opem ferret, ſeipſum, filios, arcemq. dederet. Quæ cùm Rex reſciſſet, claſſe in Calabriā ex Sardinia contendit. Cùm verò maris æſtus fuiſſet impedimento quo minùs milites è nauibus deſcenderent, deditione facta, in Siciliam nauigauit. Antonij filij Ioannes Baptiſta ad Rauennam pro Rege Catholico nauiter pugnando occubuit; Ioannes Franciſcus in Valdimontiana obſidione cecidit, cuius gloriæ Carolus Cæſar, & Hugo Moncada Regni Vicarius teſtimonium publicè dixere, dùm captiuus factus eſſet in eadem obſidione Alfonſus, qui præterea in ea quam Lautreccus concitauit, & ad Tunetum apud Cæſarem ſtipendia meruit. An Bernardinus à militari diſciplina abfuit, qui in ijſdem obſidionibus, & in Florentina, ſuam Regibus operam nauauit, vt meritò S. Iacobi militiæ decore fuerit inſignitus, & meritò titulorum honores in familiam, domūq. euocaſſet, ni mors inuida præripuiſſet? Stemma hoc præfulgidum, in eius virtutibus demùm enituit. Optimis diſciplinis inſtitutus, Poeticem amplexus, vtraque lingua floruit. Tibullum in Elegijs, in epigrammatibus Catullum dixere, quibus Heroica grauitate antiquos omnes æquauit; figuris ornatus, renidens floribus, gratia, & iucunditate lepidus, ſalſus, atque eruditus, affectibus admirandus, quibus lectiſſimam,

mam, specie, & pudicitia præstantem Portiam Capiciam vxorem, aut versibus explicatis, aut marmore sculptis, cantauit, amauit, immortalitate donauit. Picturam mirificè excoluit. Rerum antiquarum monumenta vndiquè conquisiuit, domumq. ornauit, & appositè omnibus institutis, Antonio primogenito, & Ioanne Baptista heredibus virtutis, & nobilitatis superstitibus, in cœlum euolauit.

## Dionysij Athanasij.

*In noua mutari quicunque haud corpore formas*
*Posse putat, Vatem perlegat ille Rotam.*
*Inq. ipsum inueniet mutatos quatuor vnum*
*Tecum Flacco Albi, te Valeri, atque Maro*
*Hisq. duos addet, te dulcis nempe Terenti*
*Arbiter Etruscæ, teq. Petrarca Lyræ;*
*O mirum, & nulli credendum; corpore in vno*
*Illustres vnà viuere sex animas.*

## Pauli Manutij.

*Felix, cui licuit pleno bibere ore liquorem*
*Pegaseum, & magnis Vatibus ire ducem.*
*Ingenium, nomenq. tuum ROTA candide, & artes*
*Famà coloratos ducet ad Aethyopas;*
*Ducet & ad Morinos, Lelegas, pictosq. Gelonos,*
*Et quà Riphæis nix iacet alta iugis;*
*Et quà Sol radijs rutilum caput exerit, & quà*
*Cæruleo labens conditur Oceano.*
*Seraq. mors gelido cùm clauserit ossa sepulcro*
*Non tua Lethæis nomina merget aquis.*



Paulus

# Paulus Manuccius.



Onæ Latinitatis amator Paulus Manuccius, à splendido,& magnifico orationis genere abesse visus est, dùm ab humili Epistolarum stylo non discessit. In ea tamen humilitate grandior effectus est, cùm deuorato Cicerone, nihil exprimat, quod ornatam non redoleat eloquentiam, in qua nihil ipso candidius, nihil cultius est, vt omnibus,qui sua ætate viuebant, puritate, & obseruantia antecesserit. Quæ de Antiquitate duorum Ecclesiæ, & litterarum luminum Bembi, & Maffei Cardinalium monitu ex omnibus veterum monumentis omni studio collecta pertractauit, Hyppolito Estensi Romano quoque Principi dicata ( summorum enim tunc virorum sæculum viuebat à Leone X. Laurentij patris vestigia imitato, introductum) sapiunt profectò Romanæ sapientiæ dignitatem. Et quamuis Sigonio, in ea re conscribenda,palmam alij tribuerint, qui omnem Vrbis molem veneranda tractatione complexus est; digna nihilominus sunt,quæ Paulus de Legibus scripsit,vt inter nobiliora de Antiquitate scripta numerẽtur,tùm præsertim cùm stylo magis florido fuerint exarata. Sed veluti doctissimis illis viris debuit Italia, ex qua translatam barbariem depulerant; ità & Manuccio semper debebit, qui ab eruditissimo patre edoctus, emendatissimis typis, tot volumina imprimenda studiosorum commodo curarit. 28

## Pinti.

*Quis iacet hic ? Paullus, gentis decus ille Manutæ;*
*Adriaci cunas cui maris ora dedit.*
*Quem ciues longùm debent lugere Quirini,*
*Et lingua excultum turba Latina virum,*
*Scribenti huic Cicero, Cicero fuit ore loquenti;*
*Quin scriptis dele nomen: erit Cicero.*
*Ergo hic aut illum defle, aut monumenta legenda*
*Sæpe tua, illius docta, capesse manu.*

# Carolus Sigonius.

29 D conſcribendam hiſtoriam natus Carolus Sigonius, humana, atque diuina ſectatus, antiquorum ſcripta accuratiſſimis laboribus dilucidauit, atque ità, vt inter Romanos Hiſtoricos, primas videatur partes agere, cùm de Faſtis, Triumphiſq. narratio proponitur, qua in re omnium auctorũ conſonantia veritatis explicator, & defenſor effectus, quantum Patauio Liuius, tantum ipſe Mutinæ adeptus eſt dignitatis. Quid ſi dicerem Romanos omnes huic viro tantum debere, vt qui ſint, quo nomine appellentur, quibus facti fuerint familijs illuſtres, quo iure vixerint, quibus Colonijs, & Municipijs præfuerint, quas dederint Leges, quibus Comitijs Magiſtratus pronunciarint, ab vno Sigonio ſciant? At alios, qui de ijſdem rebus ſcripſere deſpicies? Laudo in primis, tantum abeſt, vt deſpiciam. Sed nemo dilucidiùs, nemo germaniùs Sigonio ſcripſit. Eius clariſsimis monumentis teſtata eſt, conſignataq. Antiquitas; & ab vltima antiquitate eius ſtudio res repetitas amplectimur, atque amamus. Quid poſteriora debent illi tempora, quibus cùm ferè nullus extiterit rerum geſtarum Auctor, è denſis tenebris manuſcriptorum Codicum, diplomatum (licèt in ſumma barbarie ea fuerint conſtituta, & carie conſumpta) memorias eruens, Occidentale, atque Orientale Imperium, Græcorum factis, Longobardorum, Gotthorum, aliarumq. barbararum nationum bellis, & dominio, certis confectis Annalibus, in quibus nec mendoſior, nec ambitioſior ab vllo dijudicari poteſt, fecerit notiora? Lucubrationibus, quas multas meditatas conſilio dixeris, quid rebus Eccleſiaſticis non attulit vtilitatis? Hanc vnam ſibi laudem peperiſſe, cuncti feliciſſimum non fatebuntur? At deflorauit alios. Quid ſi deflorando, dulciſſimum liquorem confecerit? Obijcies fortaſſe Robortellum? Amicitiam cenſuræ, veritatem ſubtilitati, ne dicam liuori anteponere debuiſſet. Sed ad Diſputationes Patauinas te reijcio. Habuit Petrum Nannium

Alcma-

Alcmarianum aduersus eundem Robortellum, Cornelium Furium, Andream Alciatum, Vincentium Madium, Petrum Victorium, Franciscum Patricium, commilitones, qui vno ore immodestum, & petulantem accusarunt. Eius Ephemerides nihili fecit Sigonius. Quin eius dicteria risit, cùm ex Patauino eum Gymnasio expellere cogitabat. Tunc doctrinæ, & ingenij testes habuit locupletissimos Onuphrium Panuinum, qui Sigonij auxilio suos Fastos confecisse affirmat; Gulielmum Xylandrum, qui virum longè doctissimum, & exactissimæ diligentiæ vocat; Franciscum Balduinum, Antonium Augustinum, Franciscum Fabricium, qui summis laudibus dignum prædicant; Ioannem Baptistam Pignam, qui summa litterarum cognitione præditum, & studio Patriciorum Venetorum dignissimum dicit. Cum Nicolao Gruchio disputationes habuit de Binis Comitijs, & lege Curiata. Vitam, & res gestas Scipionis Aemiliani conscripsit. Hebræorum Rempublicam dilucidauit, quos etiam cum sacra Historia Sulpitij Seueri coniunxit. Græcas, Latinasq. litteras Patauij professus est. Decianum habuit, & Romulum Amasæum contemporaneos, & collegas.

## Casimiri Accursij.

*Sigoni pater eruditionis*
*Atque idem Italiæ decus perenne,*
*Laudes qui innumeras tuas videre*
*Se negat, medio in die videre*
*Se Solem negat. ille namque vt orbi*
*Toti splendidus vsque, & vsque fulget*
*Virtus haud aliter tua enitescit.*
*Quod si quis memorare pergat illas,*
*Hic cælo numerare vult sereno,*
*Quàm sint sidera multa, cum tacet nox.*

# Franciſcus Floridus.

30 

OPtimè in criticis rebus olentem Franciſcum Floridum notauimus; qui tamen peſſimè in cloacis olet. Linguam doctè acuere, dicacis eſt, & ſolertis; ſed maledici, & detractoris eam ſordidis ſermonibus fœdare. Fortiter contrà Linguæ Latinæ calumniatores pugnat, noxia in lutulentos ſcriptores tela iacit, argutoq. iudicio de doctorum virorum varietate, doctrina, ſcriptiſq. decernit; ſed intemperanter ſæpenumerò (quod eruditum hominem non decet) aliquos execratur, quos ni fortè candidè loquutos exiſtimamus, vtilia nihilominus varijs operibus, variaq. eruditione tractarunt. Ain tu? An verò huiuſmodi fœx hominum, ab hominum ſocietate non eſt ablegenda? Eſto. Quid ſpurca verba immiſcet? Quid extrà modeſtiæ fines egreditur? At ſi quis diceret,

*---- nunquam ne reponam*
*Vexatus toties rauci Theſeide Codri?*

*Aurium, & linguæ magnū periculū.* Nec illud Clitarchi in mentem venit; ὤτων καὶ γλώσσης μέγας ὁ κίνδυνος? Parcè & molliter faciundum, quod ἐχθρῶς *Inimico animo.* vrbanitatis exlex fecit, eaq. reticenda fuere, quæ incondita quadam acerbitate profudit, dùm ipſe quoque *quãdoque bonus Homerus* in ceteris caſtigandis dormitauit. Ceterùm floret profectò ingenij acumine; iuueniſq. probatis laboribus Latini ſermonis obſeruantia, Plautum, Varronem, Lucilium, alioſq. antiquos defendit; antiquarum rerum peritiam oſtentat, de Cæſaris præſtantia loquens; & ſucciſiuis lectionibus, bonarum litterarum diſciplina nitet. Debeat ei plurimùm Plautus, cuius honorem, dignitatem, maieſtatem retinuit, nõ in iocis modò, quibus elegantem, vrbanum, ingenioſum, facetum ſimul cum Atticis Cicero nominat; ſed in ſermone, quo nihil candidius, nec magis lepidum; quo ſi quis vti aſſueſceret, ex Latino Capite hauriret, audiretq. à doctis viris, non ab imperita multitudine, cuius ruſticum ſtomachũ in delicatis cibis nauſeat, ſcripta, dictaq. maximè commendari,

habere tq.

haberetq. referendæ Florido linguam natam gratiæ, cui, quòd Plantinum negocium rectè accurauit, rectè quoque curiosorum encomio, & feliciter sub manus successit. Quid vero? in Plautum euagabimur licentiùs? Libero quodam studio nullus habebitur delectus? Atqui delectu habito, veteranis ob reuerentiam relictis, tyrones ad pugnam excitemus. Vetustiora, & obsoleta quiescant, & lacessent ingenium recentiora. Quid si ex tribus doctorum ætatibus, prima qua Plautus, secunda qua Cicero, tertia qua Plinius auunculus vixere, tertiam eligemus, quæ si quid antiquauerit, optimè factum existimabimus? Melius si non quasi quibusdam sacris initiati, alienigenæ, superstitiosi, certis legibus deuincti apparere scribendo velimus.

Pinti.

*Albentes, mistosq. nigris hac spargite flores*
*Ne malus halet odor.*
*En hoc qui quondam maledicti floruit arte*
*FLORIDVS in tumulo est.*
*Aruncani huius sed lucent scripta Poetæ*
*Candidum ob eloquium.*
*Varronisq. vetus claret Plautiq. volumen*
*Scena vbi plena ioco est.*
*Aut, hospes, celer hinc abeas, aut supplice dextra*
*Clam dabis ore preces.*

---

## Ioannes Baptista Attendolus.

N Italiæ calamitatibus, quas Barbari cupiditate regnandi intulerant, antiquissima, & nobilissima vrbs Capua eorundem inundationibus in medio itinere semper peruia, si suum aliquandò Ambrosium Attendolum habuisset, cuius solertia propugnaculorũ munitionibus ornata conspicitur, nihil Syracusis ob Archimedem inuidere potuisset, quandò plurium Marcellorum gratiam tanti ciuis merito fuisset 11

conse-

cõsequuta. Genuit is Ioannem Baptistam litterarum studio omnium Campanorum principem, disciplinis, linguarum peritia, gnarum, Theologica, & Philosophica eruditione clarissimum, vt nihil quicquam vel dicendo, vel scribendo proferret, quod ex earum penetralibus depromptum non dignosceremus, cùm præcipuè Rabinos, atque Arabicos scriptores inhians euolueret. In re poetica ità versatum, vt cùm Græcorum, Latinorum, Italorum, Gallorumq. lac ebiberit, omnem in ipso vno excellẽtiam adoleuisse dixeris, dùm vel emendaret, vel interpretaretur, vel in pristinum candorem candidissimo stylo restitueret. Plenam idcircò omnium rerum, atque ornatam habuit officinam, in qua multa inchoata digessit, Museum, Lectiones in psalmos, De mysterio regenerationis ad Cathecumenos, Theologicorũ Suessani supplementum, secretioris poeseos critica, præter ea, quæ ex Oratoribus, atque Historicis coegerat, ex quorum copia vberem segetem docti expectabant, sed cùm messis nulla fuerit, fructum interijsse subita mors pertulit. Nihil perfectum velox concipiendo, tardus parturiendo reliquit; tantùmq. partui adhibere consueuerat operæ, vt obscurior videretur, in qua tamen obscuritate multa lumina curiosis viris eniterent. Totum se illustrium, & formosarum mulierum laudibus effundebat. Amicitiæ laudibus nihil sanctius coluit. Patriæ præcipuus obseruator, quod publico marmore in D. Catherinæ ipsa quoque Capua eius elogio testata est. Mathematicis in primis fuit addictus, à quibus cùm sortem libuisset edoceri (rem docto viro indignam narro) atque statuta die periculoso mortis genere prædicta, conscensurus rhedam, vt Archiepiscopum Costam in D. Mariæ suburbio inuiseret, aliquot relligiosos viros obsecrauit, vt precibus mala infelicis diei omina auerterent. Discessit tandem. In reditu, media in Campaniæ planicie, quod malum nescio effrenes ità concitato cursu reddidit equos, vt auriga, quiq. cum eo erant, vnius fracto crure in terram sese deiecerint, ne in mœniorum fossas prociderent. Idem ipse efficere conatus (antè Capuæ portam rheda peruenerat) suamet veste circumuolutus procidens, rotarum velocitatem non effugit, quæ fracta miseri ceruice cursum illicò

retar-

retardarunt. Luxit eum Capua, quæ maiorem ex eius viri morte calamitatem, quàm ex vastitate agrorum, vrbis direptione, Campanæ felicitatis interitu accepisse existimauit.

Pinti.

*Artes, & linguas peregrè quem nosse profectas*
*Nouimus, & primos cuius miramur honores,*
*Qui Heroum laudes numeris, & voce soluta*
*Qui multa scripsit, frugi patriæq. suisq.*
*Sub currente rota crudeli funere raptum*
*Vulturni deflens fluuij quem Nympha dolebat.*
*Cernite vt aduerso hic fruitus sub sidere vita,*
*Thesides alter perijt, Troianus vt Hector:*
*Hospes amice, Deum metuens, attende supremum*
*Inter spemq. metumq. diem. hac Attendolus vrna est.*

---

## Camillus Pellegrinus.



Iuitate, studio, moribus, relligione Attendolus Camillum Pellegrinū habuit æqualem. Doctum sanè virum, Latinè, atque Italicè concinnè scribentem, vt sæpenumero in Poëtarum theatris primas habuerit acclamationes. Critico fuit in aliorum scriptis iudicio. Nouit Florentinorum Academia, cùm pro Torquato Tasso Ludouici Ariosti æmulo stetit in Dialogo de Epica poësi Hostiliensium Principi dicato. Illum ex Attendoli Bibliotheca prodijsse multi arbitrati sunt, propterea- 32
quòd ex ijs, quæ cum Principe conferre consueuerat, dialogum conscriptum non negat. Quid illud profanum pronunciant? An quicquam Camillo deerat, qui ex locuplete promptuario sua promere valeret? Multis respersa salibus in eam rem scripta Florentini edidere, scommatibus eiaculandis non longa verborum periodo peritissimi. Fortiori se Camillus obtexit clypeo, cui hærebant aliquandò spicula, aliquādò verò fracta victoriam

victo

victo condonabant. Ausus, conatusq. viriles laudauit, atque sæpè timuit hostis acerrimus. Mors prœlium diremit. Pugnandum fuisset diutiùs, vt ea exercitatione acuerentur ingenia, cùm veluti in trutinam doctissimorum hominum scripta expenderentur; quamobrem non tantum curæ Ludouico, & Torquato expoliendo, purgando, defendendo accesserat, quantum disceptationibus sublatis doctarum rerum gratiæ deperijsse animaduertimus.

## Pinti.

*PELLEGRINE, tuus cinis, Camille,*
*Vrna clauditur hac. abi viator.*
*Auri plura petis dari? vetusta*
*Vrbis Troiugena Capy vocata*
*Bonus ciuis erat, bonus Poëta;*
*Vulturni patrij decus fluenti,*
*Vrbi floridula nitens Etrusca*
*Arte, & mirifico ingeni lepore;*
*Tassi Pieridum patronus acer;*
*Docti Attendoli amicus & Camœnis.*
*Ne hac siccis oculis eas Thalia:*
*Textam flore, nigro & dabis corymbo,*
*Dignam marmoreo hoc sinu, corollam.*
*Si quos inuenies, malos repelle*
*Poëtas, rudis & sonos Mineruæ.*
*Si cultos: tumulum ambiant, decentes*
*Vt vsque hùc numeros ferant, rogato.*



Aloisius

## Aloisius Tansillus.



Loisium Tansillum Nola ex Campaniæ vrbibus nulli secunda in Poëtarum numerum adscriptum protulit. Italo scripsit idiomate, non ità Latinè scribendo felix. Et quamuis natura potius effusa, quàm arte elaborata eius scripta habeantur, redolent nihilominus tantum acuminis, vt bono imbutus scribendi vsu, flexanima, dulciq. oratione rapiat, ac si doctrinis fuerit liberaliter institutus. Idq. in eo admirabilius esse cognosces, quòd cùm veluti aquulam seclusam eum teneri tibi persuaseris, legendo deinceps, vniuersum flumen erumpere in poëmate, quod de Petri Apostoli lacrimis confecit, animaduertes. Fuit opus illud à Torquato Tasso, prandio à me excepto, tot laudibus ornatum, vt neminem in Italia multos ab hinc annos puriores fœtus edidisse affirmarit. Cùm verò post eius obitum aliqua à Theologis, & Poëtis desiderarentur, Ioannis Baptistæ Attendoli opera in Casamarcianæ montis Cœnobio, quò ad eam rem conficiendam, Magdalenæ Carrafæ sumptu, se receperat, prodijt absolutum. Ludicra, quæ eius ingenium peperit, plurimum placuere. 71

### Pinti.

*Taxillo aligerum somno, sub fronde tuebar*
*Captus, & hoc quæro quæ ad loca tendat iter?*
*Ille mihi: ad tumulum Nolani conuolo vatis*
*TANXILLI, atque illuc à Ioue iussus eo.*
*Percunctor fieret cur hoc? respondet: honore*
*Et cultu hic alio contumulandus erat.*
*Huius in haud vrnam Vates fudere liquores*
*Permessi, haud Pindi serta tulere iugo.*
*Cur ita sit factum: somnum, Cyllenia proles,*
*Rumpens, Iustitiæ quo locus esset, ait;*
*QVOD meritis prohibent homines, dant numina Diuùm;*
*Nec capere ingrato munera corde solent.*

# Ioannes Casa.



34 Ortunatiorem Francisco Petrarca Ioannẽ Boccaccium habeto. Nouit hic neminem in linguæ Etruscæ dominio successorem. Habuit ille Ioannem Casam eius compilata doctrina,& exhausto ærario competitorem. Competitorem? Succensuisse visus est. Perperam id credunt scioli. Nihil minus. Cœlum tetigisse dicas,qui Petrarcæ candorem scribendis Italis carminibus fuerit assequutus. Hoc sibi Lyrici lusus exposcunt. Nec Lyricè dixerit, qui quòd puritatem contempsit, illud Diphili postulat,

*Sed diuinè Aer mitte nobis per nubes Anticyram, & ex cimice fumum efficiam.*

Αλλὰ μάκαρ ἀὴρ διὰ τῶν νεφέων διάπεμψον
Αντίκυραν, ἵνα τόνδε κόριν κηφλῶσα παύσω.

Ad æmulationem Horatius Pindarum commendauit; noluit tamen tibiam orichalco iunctam,æmulam iudicari. Quid verò huc Pindarum arcessis,qui licet Lyricus,Heroum nihilominus gesta, atque coronas in ludis cecinit? sed turgidiorem stylum cum puro si quis mutauerit,prouoco ad Eupolidem, *Vino enim præsente acetum bibere cupit*. Quid sesquipedalia verba cum ampullis in ode? Quid

*Accessit numerisq. modisq. licentia maior?*

Quid Solem renuunt,vt Opiliones in effi͏cta luce intereant? Quid Petrarcæ,& alijs scriptoribus, cuius flatu verba, Veneresq. compleant necesse est? Ergo ne qui tardissimè quasi Iunonis,& Cereris sacra ferentes,versibus,& sententijs incedunt;qui Orgia Baccho facere autumant aliquid poëticum explicaturi,palmam Petrarcæ eripient,qui dùm canit amores Cycnus est;dùm acres spiritus excitat, se diuinum præbet; dùm philosophatur Platonicæ maiestatis imaginem refert; quiq. omni adfectationis admixtione liberatus, purus verbis est, integer, atque vnus materia, sensuumq. illustri breuitate conspicuus? Accede ad Petrarcæ orationis lenitatem; quid dulcius? Ab eius ne verborum, rerumq. proprietate recedas;quid candidius? An verò nauseam circuitio

moueb it,

mouebit, & anfractus, cùm amorum illecebras, animorum motus, poëticas omnes diuitias, Musis placidè annuentibus, dulcè ridentibus, ad eius Artis Liberalis commoditatem, floridè, eruditè, sapienter explicauit? Multa dixi. nihil dixi. Patrem Musæ Italæ Petrarcam colunt. Degenerant, qui alijs, quàm ab alumno acceptis ornamentis studebunt conuestiri. An idcircò degenerat Ioannes Casa, qui grandior est, qui vagatur latiùs, qui folles implet, & cui non, vt Damasippo

*----vultus erat multa, & præclara minantis,*

cùm re ipsa, & promiserit expectatione, & scriptis cum admiratione obseruarit? Hoc ne de eo dicendum est,

*Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atque os*
*Magna sonaturum?* ----

An verò Poëtæ nominis honor huic dandus non est? Hoc non audebo. Neque mea oratio Loliginis succo inspergitur. Magnus Casa est, qui nec *humiles* potuit *habitare casas*. paucisq. scriptis sublimis iudicij pompam fecit. Cùm autem quatuor, aut sex odas admiraueris, quæ reliquæ sunt, cõmuni stylo abiere in vulgus, non tamen vt flueret aliquorum more lutulentus, cùm semper aliquid sit, quod in eius scriptis probaueris, indagabat enim, & odorabatur acutè, quæ numerosæ orationi cum dignitate coniunctæ, quæ poëtico lepori opus esse cognouerat. Verùm in eodem scamno cum Petrarca assidentem venerari, perpolitis ingenijs non conuenit. Indicis mercibus onusta nauis in magnitudinis Oceano Petrarca est. Minori nauigio Casa littorum sinus tenet, & margaritas exonerat, non ea itineris longitudine conquisitas. De moribus aulicè scripsit. Latinæ scriptionis metam non attigit. Aliquot Latina carmina exarauit.

## Pinti.

*Marmore de pario domus, & distincta columnis*
*Alta, vir, haud humiles sunt tibi, culte, Casæ:*
*Iuno potens per quam spaciatur & ampla Minerua*
*Gressibus, ac defert splendida luce togas;*

*Fons vbi Equi aligeri lympha nitet, vngue refossus,*
*Pegasidum satis hic pellitur ore sitis.*
*Graius vbi Orator Latio (Duce te) ore profatur,*
*Erudit & iuuenes moribus arte senex.*
*Mitræ vbi mille patent, & mille rubentia cocco*
*Tegmina, temporibus serta parata tuis.*
*Quid viuam recolo? ruit alto è culmine sedis,*
*Hancq. rutam angusta hac continet vrna domum.*
*Ipsius at rectrix quondam mens vadit Olympo,*
*Aeterna illa Dei (spes ait) ora videt.*

---

# Ioannes Andreas ab Anguillara, Ludouicus Dominicus.



35 36 Erum Latinarum traductores insignes Ludouicum Dominicum, & Andream ab Anguillara nostro hoc æuo habuimus, alterum, qui ex soluta oratione Paulum Iouium; alterum, qui carminibus Ouidium Italicè fecere loquentes. Fidus alter interpres, de suo nihil addere ausus est; ità tamen aliquandò conuertit, vt sententijs ijsdem, & earum formis, tanquam figuris, sed verbis ad nostram consuetudinem aptis vteretur, Ciceronem imitatus, qui in conuertendis Aeschinis, Demosthenisq. orationibus idem se fecisse scribit; quapropter Latini sermonis angustias interdùm, in perspicuam dilatari copiam permisit; nimiamq. persæpè eiusdem vbertatem, nostrorum commutatione verborum, & sententiarum varietate contraxit. Et placuit Auctori, vt quisque de eodem fonte hauriri intelligeret. Addidit alter sua, & sæpiùs addidit, quæ nihilominus nec animum offendunt, & orationem crebriùs videntur reddere concinniorem. Quis enim Poëtarum mentem se explicaturum profitebitur, qui antiqua tempora, verbis, moribus, affectu, ad nostra non traducat? Summa cum felicitate

aliquot

aliquot etiam Virgilij libros Anguillara transtulit, & in turpi corpore, nobile ingenium ostentauit.

### Pinti.

*Turpis vt hic vultus terret plerosque tuentes:*
*Anguis ita haud horrens Laocoontis erat.*
*At quantum huic, Musæ, debemus soluere vati:*
*Edidit hic vigili carmina culta manu;*
*Hoc duce, Naso sonis varias decantat Etruscis*
*Priscorum in formas corpora versa Deûm.*
*Hàc miro ducit studio te copia rerum,*
*Dulcibus hic numeris verba ligata tenent.*

### Eiusdem pro Ludouico.

*Diuitis en huius quondam sermonis Etrusci*
*Culcitra in hac vrna molliter ossa cubant.*
*Vsque Latina forent, non hoc, monumenta Latina*
*Conuersore, Ioui, quæ tua dextra tulit.*
*Hunc abijsse vides, memores at, dùm manet orbis,*
*Ille sui iuuenes, & facit ille senes.*

---

## Aurelius Cassiodorus.



Qvid Cassiodori stylum curiosum hominum genus explodit? Cur non homini, sed seculo, quo floruit impolito vitium tribuunt? Quid puerilia blacterones in magno illo viro exposcunt? Quasi verò sermo, non res ex insignibus auctoribus sint expetendæ? An peregrina dictio inuecta, præclaris rebus indixit exilium? Cur ingenuæ, & eximiæ doctrinæ, vel disciplinarum promptuarium non recipiendum ducunt, qui cùm sui id iudicij non esse cognoscant, voculis sectandis, negligendis student? Ergo ne Cassiodorum non admirantur, qui tantum scriptione vtilitatis attulit, vt ab eo Iurisconsultorum Academiæ, Legum, edictorum, iudiciorumq. formulas quibus Gotthorum 37

Reges

Reges vtebātur, didicerint; nouerint Magistratuum officia, quibus Notitia Imperiorum indigebat; sciat Militia ordinum decriptiones, & Comitiuas, vt eius opera disciplinam Prouincijs uisse redditam Theodoricus Rex fateatur. Sed quid in Politicis mmoror? Habes ex eo viro, qui Cancellarius, Senator, Vrbis Consul, Sacri Palatij Exquæstor, Comes, Præfectus Prætorio, Patricius, & tandem Monachus, & Abbas πολύτεροπος extitit, multos sacræ Scripturæ libros doctissimis commentarijs expositos, Psalmos scilicet, Acta Apostolorum, Apocalypsim, Cantica, Epistolasq. Canonicas. Habes opuscula de Anima, De Diuinis institutionibus, præter ea quæ de Tropis, de Grāmatica, & Rhetorica congessit; & quæ ad mores pertinent, de Amicitia; & quæ ad historiam spectant in Chronicis explicata, & in Tripartita historia, quam ex Epiphanio Scholastico traduxisse Honorius Augustudunensis scribit. Illustris à Rege appellatur, qui præcipua *in Republica claritate notissimus, non fragili felicitate prouectus Fortunæ ludo ad apicem fascium repentinis successibus euolauit; sed vt crescere virtutes solent, ad fastigium præconij conscendit gradibus dignitatum*. Quamobrem tanti Cassiodorum facio, & generis nobilitate cùm sub Valentiniano patrē habuerit Tribunum, & Notarium, qui honos in præstantes viros conferebatur; & summa fide, qua Theodorico charus erat; & modestia, qua nunquam fuit elatus; & Relligione, quam humanarum dignitatum pertæsus professus est; & excellenti doctrina, qua summos viros fuisse institutos affirmabimus, vt in doctissimorum Corona primum sedentem, vel ij intueantur, qui in nitidissima facie næuum damnant.

## Pinti.

*Solem, Aurumq. tui felix notat omine nomen;*
*Nostra tamen Clio sis an vtrunque, docet.*
***Auricomus Phœbus cæcas ex orbe tenebras:***
***Ordine ab hasce tuo te pepulisse ferunt.***
***Vt tibi erant tenebræ pellendæ menda tuorum***
***Est, tua, purum aurum, vita probata viris.***

Te

*Te ante Senum sedes, aurum est, subijsse togatas,*
*Inter & hos æqua lance fuisse parem.*
*Te sensim, aurum est, decorum tetigisse cacumen*
*Fascibus inque, aurum est, Consulis isse Forum.*
*Aurea, non ne aurum est, tòt nobis scripta dedisse?*
*Quin auro hæc cuiuis ante ferenda reor.*
*Fortunate Patrum cœtus si, hoc auspice, quondam*
*Auro diues eras: lumine clarus eras.*

---

# Alexander ab Alexandro.



Aboriosos, argutos, acres in causarum patrocinijs hac ætate Iurisconsultos noui; sed raro bonarum litterarum cultores; quapropter ijs inuideant necesse est, qui aut scriptorum monumentis, aut Academiarum consessu, vel publicarum scholarum honoribus, ingenuis, politisq. disciplinis floruere. Ingeniosos multis in locis aëris clementia procreat; studiosos sæculi infelicitas non producit; & dùm Curialium (vt vocant) voluminosi explent libri bibliothecas, nullus eruditorũ liber exornat, currunt enim in stadio, & ad Iasonis, Bartholiq. metas, vel alicubi ad Rituum, Pragmaticarum, & Consuetudinũ Oua, metas sibi constituere. Primùm à Linguæ Latinæ cultu prorsus abhorrent, atque è sodalitio abijciendum arbitrantur, si quis Latinè sciuerit; nec Iurisconsultus habetur, qui vacat elegantiæ. Quasi verò quisquam antiquorum sententias nouerit, qui Latini sermonis fuerit ignarus; & quasi Pauli, Papiniani, Modestini, Vlpiani arcana ediscet, qui Romanæ eloquentiæ domicilia non penetrarit. Absunt deindè longiùs à disciplinis. Ecquid limatiora iudicia quis proferet, si qua occurrent vel ex antiquis moribus, vel ex prisci æui memoria, aut multorum hominum rebus gestis, quæ ex intima Philosophia sint eruenda, quæq. ad Politicam, Ethicamq. spectent, quibus aliquandò plerique tenuiter imbuti, ex ignorationis immanitate emergere videntur? 38

videntur? Leges, iudicia, Doctorum placita obruit inscitia, quæ suo malo in eius rei tantùm studio indormit; & euertuntur scientiarum partes, quæ rudi, vel auaro sæculo non placere dignoscimus. An verò surgentia in summis viris Alciatis, Budæis, Tiraquellis, Brittonijs, Fabris, Claris studia, non dùm adulta stirpe exaruere? Pudet, vnum se mihi in eo genere offerri laudandum, in mea patria, Alexandrum ab Alexandro ex Portænouæ Sedili nobilem, qui ex Iurisprudentiæ Theatro, in cuius Orchestra optimis disciplinis ornatus multos annos sederat, & in Patrociniorum arena luctator Olympicus habitus est, in suauissima optimorum studiorum oblectamenta se abdidit. Cùmq. animaduerteret non iurium telis, sed potentiorum vi esse pugnandum, iudiciaq. non ratione, sed hominum vultu reijci, vel confirmari; quæstu item temporum calamitate ius, fasq. esse conuolutum, dicere solebat; *Satius esse modico, & ciuili cultu contentum viuere, quàm bona animi, turpi auaritia, pessimo exemplo maculare.* Viuebant ea ætate doctissimi viri Trapezuntius, Platina, Gaza, Barbarus, Volaterranus, Calderinus, Pontanus; audiuitq. iuuenis Alexander senem Philelphum Romæ docentem. Aulum Gellium æmulatus in Noctibus Atticis Dies Geniales conscripsit, totos enim dies in Pontani hortis cum eruditis, curiosisq. viris varijs de rebus sermones conferebat, & Lusus appellauit, Andreæ Aquauiuæ Adriæ Comiti multiscio dicatos, quibus in procellis sæuientis Fortunæ respirare videbatur. Totam perlustrauit Antiquitatem, vndè quæ pertinent ad Veterum instituta, honores, Magistratus, rem bellicam, sacra, Cæremonias, cultusq. Deorum, tanto doctorum plausu deprompsit, vt Andreas Tiraquellus multiplicem eius doctrinam annotationibus, quibus Semestria nomen dedit veneratus, ostenderit quanti Auctor hic insignis sit faciendus. Sed malæfidei hunc Auctorem Tiraquellus accusauit, quod ceremonias lauandi manus in Ossilegio, auctoritate non produxerit, quod tam Alexander in Tibullo legerat,

*Perfusæq. pias antè liquore manus.*

Irrideat seipsum Niger, qui eum obolarem facit. An seipsum pluris faciet, quem quadrante balneatorio Floridus æstimauit?

Romæ


Romæ interijt, vbi hortos in agro Vaticano, domumq. possidebat, dùm esset Abbas Carboneti.

### Pinti.

*Multa in Alexandro noui communia Magno:*
*Nomine magnus erat: nomine magnus eram.*
*Seminibus nitet ille sui clarissimus ortus:*
*Enitui pariter seminibusq. mei.*
*Singula quid similent? tantum quod distulit inquam:*
*Mars illi in caris: at mihi Pallas erat:*
*Pella illi natale solum, prope littora Graia,*
*Itala mi Siren sub meliore Ioue;*
*Addo quod haud illi præuastus sat fuit orbis:*
*Sat mihi pauca domi mensa, liberq. fuit.*
*Ille sibi Eumenides socias videt: at mihi cœli*
*Heroas. turbas ille habet: ipse fruor.*

---

## Antonius ab Alexandro.



Vid vnum ex Iurisperitorum numero laudan- 39
dum se mihi offerri dixi? An ex memoria
exciderat summus vir Antonius ab Alexandro, quem Aragonei Reges Ferdinandus primus, Alfonsus secundus, Ferdinandus iunior, Federicus gloriosissimi in delicijs consuetudine, in consilijs sermone, & iudicio, in Oraculis sapientia, & fide habuere? Peragrauit hic Italiam, non vt ab Egeria Nympha, sed à doctissimis viris tùm præcipuè à Francisco Aretino Iurisconsultorum sui temporis principe humani, diuiniq. iuris arcana edisceret, cuius multiplici, ac recondita disciplina imbutus, Ferraria, Senisq. profectus, Bononiæ in illa celebritate, & splendore studiorum, Doctoratus insignia accepit, quo tantum valuit, vt alter Charondas leges condere suis potuisse omnes prædicarent. Ornamenta verò legibus addidit, eloquentiæ studium, quo primam inclitam, & arduam

difficillimo tempore Legationem apud Pium II. profequutus est, dùm de Regni Corona ageretur, cui sese Andegauenses rerũ potiùs ambagibus, & cauillis, quàm armis opposuerant; atque post grauissimas disceptationes, quas summa cum admiratione Pontifex frequenti Senatu audiuit, non modò Coronam, sed Inuestituræ formulam eius consilio conscriptam Aragoneis Regibus, posterisq. impetrauit. Secundam ad Hispaniæ Reges, Ferdinandi, & Ioannæ felicissimo connubio. Tertiam, ad Regem Gallorum, nuptiarum item auspicijs. Alias ad Alexandrum, & ad Innocentium, quibus Italiæ quietem, Regni statum, & firmitatem maxima cum sua laude procurauit. Addidit & antiquarum rerum cognitionem, quam excellenti quadam dexteritate, quasi ex thesauro negotijs conficiendis depromebat. Tùm prætereà historiarum leporem, quibus nisi quis eminere studuerit, quid insignia facinora tractaturus consultum, lepidum. Regibus exponet? Quid maiorum exempla proferet, quibus abducat animos, reuocetq. aut res ipsas, & tempora conciliet, vt rerum publicarum molitor, atque affector ex omnibus partibus commendata negotia perficiat? Grauiter, doctè, & copiosè Neapoli Legales lecturas professus est, ex tota Europa auditoribus concurrentibus, ex quibus vel senio confectum Aulæ occupationes auocarunt, cùm Sacro Consilio Prothonotarij, & Logothetæ Regni Vicarius præesset, quod munus obijt oculatissimus veritatis iudex, & Iustitiæ prouidus examinator. Ex eius voce, & scriptis, vberrimos fructus cepere, doctissimi viri, qui in Foro vigebant. Ex familia Riccia nobilem matronam habuit vxorem; obijtq. Neapoli anno 1498. habuitq. in funere orationem Franciscus Puccius Florentinus in æde Oliuetana, in qua sepultus conditur.

## Pinti.

*Qui Italicè cunctas peragraui limitis vrbes,*
*Ingenui mihi quò dos animi alta foret:*
*Qui titulos, & opes poteram & iactare potentis*
*Iura Magistratus, qui Toga prima fui:*

Cuius

*Cuius ab ore olim iuuenum studiosa pependit*
*Ciuium, & externo de Ioue missa cohors:*
*Quem Rex audierat fecialis munere functum,*
*Purpurei summus quem Pater ille chori:*
*Cui Siren permœsta dedit feralia, caris*
*Qualis in extinctis ciuibus esse solet:*
*Magni ab Alexandri vocitatæ nomine gentis*
*Flos iaceo hic; flores & mihi nomen habet.*
*Dùm stas ante meum hoc, hospes, memor esto, sepulcrum:*
*Finiri tandem stamina longa senum.*

---

## Antonius Ianuarius.



N verò Antonius Ianuarius ad ijsdem Regibus admirabilium laudum ornamentis elatus, & in maximarum dignitatum luce positus, nostro indigebit Elogio? *Consiliarium*, *Auditorem*, *Præsidem*, *Viceprothonotarium*, *Militem*, cùm dixerint, nihil quicquam sine virtute laudabile existimantes, ***morum probitate, virtutibus, Iurisscientia munificè decoratum*** Ferdinandus; ***virum insignem, vitæ integritate, & Iurisprudentia clarum***, Federicus appellarunt. Plura ne de hoc singulari viro expetis? Optimè de eorum Regum varia Fortuna promeritus est. Post varias clades, quas Regno Neapolitano Carolus Francorum Rex intulerat, quamobrem Ferdinandus Catholicus, & Isabella Hispaniarum Reges grandem pecuniam erogauerant, vt terra, mariq. Federico essent subsidio; post calamitates quibus Ludouicus omnes affecerat, à quo nondùm ritè firmata pace denuò bellum esse inferendum suspicabatur; Antonius, & Baptista Brancacius Consiliarij, atque Oratores eliguntur, qui Catholicis Regibus omnem pecuniam restituendam curarent, vt acriùs dùm opus esset Regni patrocinium susciperent, ac libentiori animo tuerentur. Idem cum collega Hectore Pignatello apud eosdem Catholicos, aliosq. Reges, &

Proceres pro feriendo fœdere (*Confraternitatem, & Intelligentias* habent diplomata) procuratores,mãdatarij,actores, & nuntij mittuntur, dùm omnia quæ ipsi egerint, rata habiturum Federicus iureiurando publicis tabulis pollicetur. Qua etiam auctoritate ad nuptias inter aliquam Catholicorum filiam, & Ferdinandum eius primogenitum, Calabriæ Ducem, quem ex Isabella Baucia Pyrrhi Altamuræ Principis filia susceperat, pertractandas delegatur; quæ cùm inter Ducem, & Ioannam Aragoneam Siciliæ Reginam intercesserint, cum eodem Brancacio, rem perficere, & matrimonij sollemnia absoluere iubentur. Cùm iàm senectutis onera perferret,coadiutorem Ciccum Losfredum sibi popoſcit anno 1521. Quæ tantum virum ignorasse dicemus,quem suorum Regum negociorum præclarè gerentem, gesta, scripta, omnium voces declarant? Ad vitam eum reuocat Felix Ianuarius, qui maiorum vestigia sequutus, inter summos Regij Senatus viros,cunctis virtutum,animiq. dotibus eximius, ferendis sententijs integerrimus, administrandæ Reip. consultissimus, Austriacis Regibus & sua, & suorum glòria, qui domi, forisq. claruerunt, charus, apud suos, apud exteros volitat laudatissimus.

## Pinti.

*Da, quis es? armata nudum quid concutis ensem*
*Dextera? Alexandro Graecus an hostis eras?*
*Quem toties perhibent vates, nimbosus Orion:*
*Carbasa ad hic falsas nauta ligabat aquas.*
*Sed quid me rogitas? fuit hic Antonius olim*
*Nomine de Iani gente decorus eques.*
*Maiores, noui hunc, equites videre togatum,*
*ET toga iuncta ensi quam decus esse solet.*
*Regibus hic quondam, docta pro Pallade, adauctus*
*Saepe magistratu, munere saepe fuit.*
*Heu rogitator abi. menti quid plura resurgunt?*
*Carus erat. lacrimas ne mihi redde nouas.*

Pausa-

# Pausanias.



FEliciter Græciæ successit, cùm quatuor habuit veteres heroes descriptores Strabonem, Ptolemæũ, Plinium,& Pausaniam. Infeliciter actum in ordine. Primus enim ab Epiro in Peloponnesum traijcit. Secundus à superiore Achaia in hunc deflectit. Tertius ex Epiro ad superiorem Græciam, mox ex Attica regreditur in Thessaliam. At Pausanias quartus describendo, dilucidando primus, ab Attica per Megaridem in Peloponnesum, indè per Isthmum in Achaiam redit versus Epirum. Confusus hic ordo, Græciam, vrbium nomina perturbat. Sed cuinam maiorem fidem adhibeam? Pausaniæ proculdubio, qui accuratè præter ceteros narrat, exquisitè digerit, inaudita,& noua,& nulli scita commemorat. Expectas quid de Pausania sentiam? Ne viuam, ni is est, qui præ manibus est semper habendus, si magna, si rara cupis. Neruos habet quibus Historia stat firmiter, totumq; corpus seriò placet. Caput rerum gestarum extollit, dùm ab ouo orditur, vrbiumq; ædificia, gentium genealogias,& Regum bella rependit. Oculis, in fronte voluminum narrationes collocando vibrat. Lingua, innumeros Poëtarum locos obiter enucleat. Pectore, multa scitu pulcra recondit, quæ profectò apud alios Auctores non reperies. Manibus, Statuarum palpat artifices, quarum apparatu Attalicas conditiones superat, vt nihil curiosius sit expetendum. Quæ relligio? Quæ sacrificia? Quos ritus? Quæ symbola? Quæ Numinum in Lucis, in delubris dignitates? quocirca nec antiquitatem ad Liberales Artes, ad omne disciplinarum studium necessariam, extrà Pausaniam noscas, nec rerum pulcrarum simulacra percipias. Digitis, pictorum ostentat imagines, vt in Parthenone nihil præter Themistoclem pictum desideres; quo circà in hoc auctore Apellis gratiam, Polygnoti dignosces seueritatem. Pedibus, tot vrbes, tot regiones sedulus peragrat, distinguit, proprijs ditionibus subijcit, quot lugeas necesse est, cùm

aut

aut solo æquatas, aut impiæ Turcarũ nationi subditas intelliges. En tibi thesaurum eruditionis. Iacebit inconditus, puluere obsitus in tua Bibliotheca Pausanias? Tanta rerum moles ad eius te amorem, & æmulationem non prouocabit? Si audiuisses Rhetorem, fortasse displicuisset. Placebit, si leges Historicum. Rhetorem sic describit Philostratus in Sophistis, vt, quoniam Cappadox, innato eius gentis vitio crassa lingua pronũciarit, quamuis ex Herode magistro (quem Ἀθηναῖον ἄνδρα nominat) præstantia orationis ornamenta retulisset, ideòq. appellatum fuisse μάγειρον, πολυτελῆ ὄψα πονηρῶς ἀρτύοντα, *Coquum opiparas dapes malè condientem*. quòd rebus splendidis nullam pronunciationis gratiam adderet. Historicus non pronunciat, sed tacitus aperta significatione nobilissimè obloquitur. Floruit sub Antonino Philosopho anno ab V.C. 927. Sed iuuenilem profectionibus ætatem tribuisse conijciunt, reliquum deinceps vitæ tempus declamationibus Romæ, & Athenis consumpsisse. Inter vehementes declamatores posuere, & ἐῤῥωμένως dicentes, quamuis orationis genere remisso, sed quod οὐχ ἁμαρτάνει τοῦ ἀρχαίου. Certabatur de duobus Pausanijs altero Lacone, altero Cæsariense. Hunc fuisse de quo agimus & Volaterranus asseruit, & Philostratus multis in locis demonstrauit.

*Validè.*

*Ab antiquo dicendi genere non discrepat.*

## Pinti.


*Vos ite ad Veneris sinus iocosa,*
*Fodit queis petulans Amor latebras,*
*Latent & laquei misello Amanti;*
*Et me, Pausilypi, dùm amœna collis*
*Ambitis, nitidis vagi carinis:*
*Hic esse ad scopulos rogo sinatis*
*Sedentem: trahit ite, qua libido,*
*Sed citra maculæ, notamq. culpa.*
*Ego (sepositis parùm Camœnis)*
*Hic cum Pausania meo iocabor,*
*Is conuiua meus, meus sodalis,*
*Probaq. historiæ meus Magister.*

*Aedes*

*Aedes vos petite, & vireta, & hortos,*
*Et antra, & latebras, rutasq. sedeis*
*Quæ olim Romulidum fuere Regum*
*Primæ deliciæ, otijq. fructus;*
*Suæ Parthenopes moraq. dulces.*
*Hunc næ delicioseram ante cuique*
*Meum Pausaniam: mihi hic placebit*
*Auctor Cappadocus, leuabit atris*
*Is curis animum: hoc libro tuebor*
*Vrbes, semina gentium, insulasq.*
*Ritus Argolicùm, Ducumve mores*
*Regum militiam, feriq. bella*
*Mauortis: varia hic mi erit voluptas:*
*Demum Pausilypum æstimabo vestrum,*
*Meum Pausaniam mihi ocioso.*

---

## Athenæus.



Liud reperit thesaurũ Athenæus multiscius, perscrutator, altera Pandora. Non hercules è dolio, sed è Conuiuio; cui nec Anthraces, Congrios, vel Ergasilos, & Curculiones adhibuit, qui 42

*----- rebus prolatis latent*
*In occulto miseri, victitant succo suo,*

nec Philemia, vel Erotia quæ insusurrent,

*Amanti amœnitas malo est, nobis lucro est,*

& dùm comessationibus adsunt, *dedolant assulatim viscera* amantum. Sed quos conuiuas? Dipnosophistas, eruditissimos quouis genere disciplinarum viros, Masurium Legum interpretem, Momium Poëtam omnium bonarum Artium cognitione nulli secundum, Plutarchum, Leonidem, Aemilianum; Philosophos Pontianum, & Democritum; eximiosq. Oratores, quibus Laurentius Romanus Conuiuium parauit; quosq. Vlpianus Tyrius ad omnium quæstionum genera lacessiuit. Hæc ne sunt


nostrorum

## Pinti.

*Magnus Athenæus domicœnia magna parauit*
*Regibus, & magnis quæ daret apta viris.*
*Pro Cerere hìc verum est : pro Bacchọ carmina vatum :*
*Pro dapibus dederunt quæ loca docta Sophi ;*
*Non hìc lurcones ; Pallas, Pandora, Φρόνησις,*
*Hic & casta loquens verba ministrat Amor.*
*Accumbat tantum sapiens : hinc quæque facessat*
*Inscia, & in luxu perdita turba suo.*

---

# Adrianus Imperator.



Vid præclarius existimandum est, virtutibus 41
Imperatorē, an ab Imperatore virtutes fuisse
exornatas? Laurea virtutes coronantur; quid
præstantius? Virtutes pro Laurea sunt vsui;
quid memorabilius? Circumspicit è summo
æthere Sol Reges, oriensq. ferè salutat, quòd
eius imaginem gerant, & homines diuino
beneficio disiunctissimas terras, magnorum littorum finibus, fluuiorumq. diuerso sub cœlo ripis interclusas, superbo cum Imperio possidere admiratus. Mox in Occidentem vergens, quòd nulla notarit eorundem gesta virtutum gloria clara, socordiæ, & ignauiæ tenebris, noctis tenebras, vela indignationis, obtendit. Quid Rege maius? Indocto Rege quid vilius? Maiestatem indotatam, incomitatam, atque incomptam, sapientiæ dotibus locupletare, quàm laudabile, quàm populis commodum? Aduerte Adriani magnitudinem. Nescio an maiori laude, quàm admiratione dignus sit. Poëmatum, litterarumq. omnium fuit studiosissimus, & vetustissimorum auctorū amator Ciceroni Catonem, Ennium Virgilio, Sallustio Cæcilium præposuit; eiusq. vetustatis studio Catacrianos libros obscurissimos scripsit. Græca lingua sic delectatus, vt Græculi nomen quo appellabatur, non abhorruerit; artesq. Liberales complexus, quid in Arithmeticis, Geometricis, Musicisq. non profecit? Quantum operæ nauauit Ar-

chitecturæ? Pictura verò, qua sola qui delectantur liberali ingenio,& polito possunt haberi, quo studio incubuit? Qua facundia doctissimas composuit Orationes? Quid mirum si doctos viros, Senatores, Consules inuiseret, honoraret, Iurisconsultos optimos Senatui præficeret, vt in Iulio Celso, Saluio Iuliano, Neralio Prisco cognouimus? Quid mirum si tot egregia ediderit, quæ ab omnibus Romanis prouincijs ab ipso perlustratis, ab Alpium niuibus, ab Aegypti ardoribus, à Danubij fluctibus celebrantur. Quid virtus in Imperatore valeat, discite Reges ab Adriano; discite ab Imperatorum maximo Carolo Quincto, à cuius latere nunquam Thucidides decedebat, quem librum vel etiam cœnæ, aut lecto adhibebat. Discite ab Alfonso illo Castellæ Rege, qui omnes liberales artes amplexus, Astronomicas accuratissimas tabulas composuit; & ab Alfonso Aragoneo, qui quater sacra Biblia euoluisse, & Quincti Curtij lectione è morbo conualuisse gloriabatur. Discite ab Imperatrice muliere Amalasuenta in iuuene Theodorico instituendo, in quo demùm tunc perfractas Gotthorum vires nouimus; cùm in eodem litteras non desiderarunt. Aperitur Regibus hisce exemplis virtutibus campus, quem si excoluerint, quos vberes fructus regnis non afferunt? Sed ne superstitiones, voluptates, Magicas artes, aut cædes Adriano obijcias. Flagitia eximiæ virtutes obruere.

Pinti.

*Vnius Martis gladij sequendi?*
*Temnitis, sceptra, studijs adesse*
*Pallados? vobis sociale tractat*
*Fœdere telum.*

*Illa ne ad solas inopum tabernas*
*Præpetes vertet studiosa gressus:*
*Ibit hùc Fama sociata Honoris*
*Diuite pennis?*

*Næ latet Reges, iuuet vt vetusta*
*Voluere Auctorum monumenta, Græcis,*
*Hæc vel è prælis, minus vt laborent,*
*Orta Latinis.*

*Fascibus,*

*Fascibus, Pallas, repetes relictis,*
*Semper exilus operosa sedes?*
*Non ne te quondam domus ADRIANI,*
*Blanda recepit?*
*Caesar hic Lydo decorauit auro,*
*Facta es augusta locuples in aula:*
*Si tamen purae tibi corda aduris*
*Ardor habendi.*
*Te sitis nullam cupidam fatigat.*
*NAE solent plerunque nocere fausti*
*Nummi. idest caussae vacua vt virorum*
*Tecta frequentes.*
*Illud aut fiet quoniam superbos*
*Efficit Reges minus imperitos*
*Esse. sed Regum, nocuit Minerua*
*Nuda supellex.*

---

# Ioachimus, & Ludouicus Camerarij.



Res Symbolorum centurias ediderat doctissimus Ioachimus Camerarius (non illũ memoro à Romana Sede impietatis omnino damnatum) Medicus Noribergensis ex plantarum, & animalium historia depromptas, quibus quicquid ad eam rem pertineret, tanta diligentia, & industria disposuit, vt bono studiosorum Fato materiae tàm curiosae consultum videatur. Quàm iudiciosè aliorum opiniones conciliauit? Quàm locuples aliena reddidit ditiora? Bonorum auctorum locos vndè emanarunt, aperuit, addiditq. rebus omnibus, Graecorum, & Latinorum auctoritate, dignitatem. Ea quibus nostri Medici (si Dijs placet) ad suam tantum ipsorum litteraturam vtuntur, ad bonarum artium vsum, ad Symbolorum, & Emblematum cognitionem, quae plurimi apud ingeniosos 44 45

habenda eſt,tranſtulit. Ad reconditam Philoſophiam earum rerum interpretatio ſpectat,quarum deſertũ ab alijs patrocinium, ſumma cum pietate Ioachimus ſuſcepit,& ea quæ indoctum genus hominum eripuit,laudandarum rerũ ſtudio,inuſitato exemplo reſtituit. Libelli eiuſdem viri,quem falſum Ciceronem nuncupabat,meminit Lipſius in Epiſtolis. Sed quartam Centuriam rerum Aquatilium cogitantem,mors inuida ſurripuit,cùm nihilominus Ludouicus filius nihil paterno ingenio cedens, eius partis, quæ reliqua fuerat,extiterit auctor. Et aduertas licèt Iuriſconſultus hic eſt,Palatinus Conſiliarius; ſed elegantioris Muſæ iucunditate, alter effectus, ſublimiora pura mente intuetur, occultaſq. rerum cauſas doctiori haurit ſpiritu, ſuſtineturq. atque alitur ijs, quæ ineruditi, & craſſioris Mineruæ appetentes, cum ſtomacho renuunt. Collecta in eo cernes opere, quæ Paulus Iouius, Lucas Contilis,Hieronymus Ruſcellius, Scipio Bargaglius, Camillus Camillius,Ludouicus Dulcius,Andreas Palarius,Gabriel Simeonius,Guilhelmus Paradinus, Andreas Alciatus ſcripſerũt.Nec mea ſcripta contempſere.Humaniſſimè ab ijs acceptus ſum. Parem gratiam referre haud valeo. ſit meæ in ipſos obſeruantiæ ſymbolum, Aeternitas.

## Pinti.

*Muſa, ſub vmbrifera nos ceperat arbore ſomnus,*
*Tunc mentem irrepunt ſpectra marina meam.*
*Tun' nihil aſpexi? verum quæ mira videbas?*
*Ore meo verum quod cadit, aure bibas.*
*Sceptrigerum, camuris, alga, pictiſq. corallo,*
*Regem altè in ſaxis; agmina amica penes.*
*Singula, at ignoro in medica quis veſte, petebat*
*Interea tecta, ſquamigerumq. genus.*
*Hic LVDOVICVS celebris Camerarius arte,*
*Digna hìc aſpectu cuncta docendus erat.*
*Quid non facta canam? ſuntne iſthæc forte futura?*
*De falſa melius ſtirpe quis edet opus?*

Ioannes

# Ioannes Antonius Pisanus, Cæsar Scannapecus, Donatus Antonius Altomarus.



MVltos esse Medicos, paucos Medicinam nosse, 46 47 48
ab ipso Hippocrate dictum. Nec te moueat Apollinis nomen, quòd Ἀλεξίκακος diceretur; vix enim alicui malo medelam attulit, & omnium malorum depulsor appellatus fuit. In Chirone Centauro, Medicinam detesteris necesse est, vel si oculis omne vlcus herbarum viribus sanantem videas. Atqui Aesculapium dùm à Nympha natum, à Ioue occisum, in serpentem mutatum audis, quàm benè despicies? Huiusmodi etiam Machaonem, qui arte quadam Philoctetem in bello Troiano sanauit. Ain tu? Despicies fortasse Hippocrates, Aretæos, Theoph astos? Quid ni malè de primis sentiam, qui breuissimo sermone; longissima morborum curricula complecti voluerint? de secundis, quorum obscuritatẽ nihil Iacobus Goupilus illustrauit? de tertijs, qui inter plantarum radices Naturam implicarũt? Sed quid de Crateua, de Nigro, de Celso dicendum? Primus, herbarum collector; alter incredibilium relator; tertius, eius artis colorata oratione depictor. At Galenum reijcies? Næ, Atticus ille gloriosus, hominem, sed nõ indiuiduum sanans, sermone potiùs, quàm re ipsa valuit. Et Aeginetam? Græcos quoque sequutus cum Aëtio, & Oribasio, Galenum compilauit. Et Auicennam? Barbaricam luem attulit medicinæ. Siquidem Auenzuarum mehercules copiosè loquentem, rerum etiam copia delectatum amplecteris. Quasi verò à barbarie hic fuerit seclusus. Quid malum hæc perfidia? Quid perfidiam dicis? Si eadem medicina est, cur nouam Theophrastus Paracelsus in Germania adinuenit? At Montanos, Farnelios, Trincauellas, Crassos, Argenterios, Cardanos, Cornarios, Victorios, Curtios, Sauanarolas nihili facies? Non equidem. Omnibus Medicis tantum honoris tribuo, quantum summorum virorum virtus, qui naturæ

naturæ arcana perſcrutantur, expoſcit, quantus ſalutis ergò tribuendus eſt. Cùm verò ex omnibus medicinæ coryphæis veriora decerpſerint, accuratiorem in omnibus diligentiam, maturius conſilium, diuturniorem experientiam, ægroti, & non pecuniæ amorem deſidero. De vita agitur. Maxima res eſt, & ab omnibus expetenda. Paucos vix dies methodo datur opera, paucos pharmacorum vſui quotidiano, cùm ſubitò quiſpiam Medicus ſalutatur. Vniuerſalia ſigna notat; medicamenta cuilibet morbo conſtituta affert. Quæ primo loco irrita, reiteranda iubet; nec morbi genere cognito, morti miſerum deſtituit, nec ipſe ab aliquo iugulatur. Inter eos ne recenſeas Medicos Neapolitanos, Donatum Antonium Altomarum, qui è celeberrimis Medicis, ac Philoſophis Italiæ ſuo æuo fuit. Scripſit Artem medicam, de medendis humani corporis malis; Methodum de alteratione, concoctione, digeſtione, & purgatione; De medendis febribus, variaq. varij argumenti opuſcula, quibus acceſſit, De ſanitatis latitudine tractatus. Nec Ioannem Antonium Piſanum, & Cæſarem Scannapecum, qui eadem ætate, eadem vicinia, ſed non eadem medendi methodo vixerunt. Alter varijs diſciplinis ornatus, hilaris, ægrorum oblectamentum; alter, Medicæ tantùm diſciplinæ deditus, ſubruſtico ingenio, nihil præter ægritudinem cum ægro tractans. Aſtra Cæſar; Lotium Piſanus obſeruandum dicebat; dùmq. hic placido veluti obſequio hominum naturis, ætatibuſq. multa condonabat, ferocior ille in morbos impetum faciebat, celerem victoriam reportaturus. Quòd ſi primam medicinam Medici faciem exiſtimandam legimus, ægrorum animos Piſani aſpectus recreabat. Erat in eodem comitas; & ab hominũ conſuetudine Cæſar abhorrebat. Publicum Medicorũ ille Gymnaſium multos annos lectura, tùm verò Anatomicis laboribus ornauit; dùm totus domi Cæſar libris incubuit, priuatis ſtudijs maximè delectatus, & prognoſticis clarus. Trium illuſtriſſimorum virorum interitu maximam Medicina iacturam fecit, ſed ingentibus opibus hæredes aucti. Quid verò? Faxit Deus ne Adriani Imperatoris verbis vtendum ſit, πολλοὶ ἰατροὶ βασιλέα ἀπώλεσαν.

Pinti

## Pinti pro Altomaro.

*Quod funus mira hæc veneratur pompa sequentum?*
*Cui gestat niueas ambitiosa faces?*
*Sirenis plectrum supra quid cerno feretrum?*
*Hoc Medico fieri iussit Apollo decus.*
*Cui Medico? Altomaro. Altomarus decessit, vt alto*
*Doctrinæ, è vita? an portus vt vrna patet?*
*Corpori an extincto portus? Non. portus Olympi est*
*Alta animo sedes, pax vbi, & alma quies.*
*Aeternum hunc studeat quisquis conscendere portum,*
*Re vt medica, clarus sic pietate Medens.*

## Pinti pro Pisano.

*Pugnasti satis in Lethum medica arte pauendus:*
*Sæpe amissa illi palma dolenda fuit.*
*Et pulsu, sanum induxti lotiove notato:*
*Nonne fatum hinc fidus te penes esse datur?*

## Pinti pro Scannapeco.

*Iuisti ex nostro vitali lumine in Orcum:*
*Tecta nisi tibi si Iuppiter alta dedit.*
*Queis te nauta senex dictis aggressus in imo est*
*Lintre, feræ remis dùm Stygis vnda fremit?*
*His ne? opus ecquid erat nostras descendere in oras?*
*Dis meus ex atra num male sede valet?*
*Lustra Herebi partes omnes, æger ne moretur:*
*Sin minus: hinc, obolum solue, & abire licet.*
*Quid iocor his, Cæsar? cœlum tua vita petebat.*
*NON alia illa viris, quàm supera aula datur.*

I I.

*Velleris insigni Medico si Rex pecus aurei*
*Traderet: hoc primo primus honore fores.*
*Aurea: nam decoris nulli id retulere medentes*
*Pro pecude hac, Cæsar, scamna supernus habe.*

Ioannes

# Ioannes Bernardinus Longus.



49 Vm verò de Neapolitanis Medicis sermo est, Τρισμέγιστον si quis Ioannem Bernardinum Longum diceret, non longiùs ab eius elogio aberraret. Theologus enim, Philosophus, ac Medicus fuit insignis, qui Cathedras sacris disceptationibus, lectionibus scholas, curationibus Collegia illustrauit. Audiuimus eum sæpissimè de rebus Theologicis tàm disertè differentem, vt doctrinæ grauitate Tertullianum, subtilitate Aegidium iudicaremus. Neapolitanam scholam lugentem quotidie, & suum Longum desiderãtem intelligimus; qui enim quadraginta ferè annos lectura huiusmodi claruit, vt suum Aristotelem ea ciuitas haberet, vtq. omnes, qui in ijs disciplinis aliquid profecere ab illo maximè fintè emanarint, quemadmodum viuens in honore habitus est, sic post obitum singulari memoria obseruatur. Placido, & liberali erat, sed acuto ingenio; vtq. auditorum animos alliceret, nec impudenter indignis modis rudes Calabri, Appuliq. debacchari auderent, iocis, & salibus materiæ grauitatem condiebat. Leniter ægros curabat, fontanæ aquæ liberalissimus. Hortos exædificauit ad Mergellinam aureis malis consitos, fontibus aqua pluuia irriguos, Neapolitanorum delicias. Quibus dùm frui cum colludentibus marinis Nymphis deliberasset, mors abstulit eum ciuium lacrimis.

**Pinti.**


*Quid sibi longa togis Medicorum turba? quis altè*
*Assidet in medijs? optimus* Αρχιατρος.
*Quis, rogo, vera doce? Longus. sat dicere id vnum est.*
*Eius enim latè fama vagata sedet.*
*Quis donat? Phœbus. quid? textam flore corollam.*
*Quæ propè stat mulier? Iuno, ministrat opes.*
*Qui pueri circum? series hi longa nepotum,*
*Quæ magis est opibus clara futura senis.*

*Maiestate*

*Maieſtate grauis non ſic aſtaret Apollo*
*Vatibus, hic celebris LONGVS vt in Medicis.*
*Hinc abijt, longùm in terris at nomine viuet*
*Et longùm in ſupera, quin ſine fine, domo.*

---

## Duo Pauli Rhamnuſij. 50 51



Eliciſſimo ſeculo Rhamnuſiorum ſtemma Venetijs floruit, eamq. vrbem mirificè multis virtutum ornamentis decorauit. PAVLVS Benedicti filius inter Iuriſconſultos, & eos qui capitales quæſtiones præclarè exercebant eximius, de Iure Emphyteotico librum ſcripſit, & Angelo è Caſtro præceptori dicauit. Additiones prætereà ad Angeli Aretini tractatum de Maleficijs. De officio Aſſeſſoris ad Hieronymum Feramuſcam Iuriſconſultum Vicentinum; tùm etiam in ſecundum Digeſti noui librum,& in Veteris primi,& ſecundi libri titulos,præter tractatus, & interpretationes. Alter PAVLVS Ioãnis Baptiſtæ filius,Decemuirorum Cõſilio à Secretis,linguarum,& diſciplinarum varietate eruditus. Primo ætatis flore Latina carmina exarauit;laudauitq. in funere Triphonem Gabrielem, Andream Franciſcum Magnum Reipublicæ Cancellarium, & Iouitam Rapicium præceptorem, & nobiliſsimum Rhetorem. Grandior, ſex Latinè libros de bello Conſtantinopolitano conſcripſit,quod anno 1204.geſtum eſt,ſub Henrico Dandulo Principe, qui cum Burgundionibus, & Gallis Proceribus fœdus ferierat, quos ex Gottifredi Villarduini Galli Hiſtorici commentarijs excerpſit. Et iàm ſenex præ manibus habebat eorum elogia,qui D.Marci Procuratores nuncupabantur,quos vt præſtantiſſimos Senatores celebraſſet, ni morte ſublatus eſſet.

Pinti.

*En duo Rhamnuſij, Pauli vocitatus vterque*
*Nomine, & in clara doctus vterque domo.*
*Ambo ætate pares, Veneto ſub ſidere nati*
*Ambo, ſatis ſcriptis notus vterque ſuis.*

*Omnia conueniunt ipsis : discrimen in vnq est :*
*Baldus vt alter erat : Flaccus vt alter erat.*
*Anteferes igitur consultum iure Poëta,*
*Musa ? tua laudis carmine tolle pari.*
*Cur non ambo vrna conduntur (miror) in vna ?*
*Nil est, hos superùm ni tenet aula duos.*

---

## Hieronymus Rhamnusius.

52 Ieronymus Benedicti filius, Philosophiæ studijs peritissimus, cùm esset Patauij, cum præcipuis eius vrbis familijs immortales exercuit inimicitias. Quamobrem vt omnia quæ imminebant pericula auerterentur, à Paulo fratre in Siriam missus est. Neque in eo contabuit ocio; quippè Arabicam linguam celeriter tàm benè didicit, vt Arabem Doctorem Auicennam conuerterit, atque ità, vt eum laborem (quòd operosior, & fidelis habitus fuerit) insignes nostræ ætatis Medici in Rhamnusiorum Bibliotheca fuerint admirati. Huiusmodi quoque Andreas Graciolus probauit, qui in primi eius Auctoris libri traductione, textus harmoniam ex illo traduxit. Scripsit etiam duos de vtriusque Philosophiæ nexu libros, cum aliquot Elegijs Hieronymo Donato Illustrissimo Senatori, Leonardi Donati hoc tempore Principis affini, dicatos. Damasci fato cessit. Alter verò Hieronymus Pauli iunioris F. Senatus Veneti à Secretis paterna, auita, proauita virtutis vestigia persecutus; semel in Lusitaniam, bis in Germaniam, bis in Galliam profectus, operam suam non minori fide, quàm virtute Reipub. præstitit. Superioribus annis apud Comites, alterum de Miranda, alterum de Oliuares, Neapolitanos Proreges, Internuntium agens, munere suo per triennium egregiè functus est. Vir non solum frugi, sed elegantis ingenij, ac summæ probitatis, Patribus, & patriæ apprimè charus.

Pinti.

Pinti.

*Benaci hic ille eſt olim gratiſſimus vndis.*
*Eridaniq. decus cum iuuenile foret.*
*Hunc ad Idumæos fratris prudentia miſit,*
*Ne molita eſſet gens inimica dolos.*
*Sic odia vt ſtudio, vitauerat ocia, lingua.*
*DESIDIA vt turpe eſt ſi liget vlla manum.*
*Factus Arabs Arabis Medici medica arte volumen*
*Vertit, & ægrotos ſic magis ille iuuat.*
*Linea tandem aui ducta eſt poſtrema Damaſci.*
*Promerita eſt tantum barbara & vrna virum?*

---

# Ioannes Baptiſta Rhamnuſius.




Oannes Baptiſta Pauli Iuriſconſulti filius, & 51
Decēuiralis Collegij à Secretis, Bembi, Naugeri, Fracaſtorij, aliorumq. doctiſſimorum eius aureæ ætatis virorum familiaritate celeberrimus. Græcæ, Latinæq. linguæ peritiſsimus. Gallicæ, Hiſpanæ, Luſitanæ gnarus; quas ijs, multiſq. alijs in Regnis, grauiſſimis Legationibus à ſua Republica adſcitus comparauit. Medicinam, Philoſophiè optimè calluit. nec de ijs in eruditorum virorum conſeſſu quæſtiones proponebantur, quin Rhamnuſium conſulerent. Coſmographiæ ſtudio tantum claruit, vt tria nauigationum volumina congeſſerit, quibus alter Strabo, vel Ptolomæus, noui Orbis incognitas terras, inſulas, maria, gentium mores, naturæ miracula, cœli proſpectus, aliaq. quas fabulas exiſtimauit Antiquitas, tanto ſtudio patefecit, vt nihil veteribus, plurimùm nouo huic ſcriptori, tantæ molis cognitione debeamus. Dùm præfatur quibuſque libris, de varijs reconditis rebus diſſerit, inter quas de Nili aquis diſputans, eò viſus eſt admirabilior, quò materies antiquis Philoſophis ardua, neotericis incognita facta eſt. Opus de fluxu, & refluxu maris inchoauit, non abſoluit. Obſcura Philoſophiæ arcana, & penitus abdita, quaſi qui viderit, manu docuiſſe viſus eſt, & aliquot amici

Fracastorij, & Cornarij opiniones tractatu de Venetis lacunis confutauit.

Pinti.

*Quid tibi cum sculpta, RHAMNVSI marmore Rhamno?*
*Spina aduersa notat, viuens aduersa ferebam;*
*Sumve vsus Rhamno, morborum damna repellens,*
*Arte valens medica iuuenis Phœbeius alter.*
*Quid tibi cum Solio? Reges Orator adibam,*
*Pro patrijs missus rebus cumulatus honore.*
*Quid tibi cum pleno ripis, ac rupibus orbe?*
*Quid cum littoribus? Nautis quos puppibus intrent*
*Ostendi portus calamo, tractusq. remotos.*
*Quid me plura rogas? tibi adhuc haud cognitus hospes*
*Extiti? in Hesperias ambas mea Fama penetrat,*
*Et qua lympha Tagi, & Sequanæ, & qua currit Iberi.*
*Sat dixi: peregrinæ habui γλωσσήματα terræ:*
*Nunc tacita longùmve sinas requiescere in vrna.*

## Sertorius Quattromanus.

54 

Onsentinæ Academiæ florem Sertoriũ Quattromanum antè mors contriuit, quàm fructum aliquem edidisset. Quæ enim ab eo scripta circumferuntur, præcocia sunt, nec ea maturitate cocta, vt spontè ex eius fertili ingenio decidisse viderentur; falluntq. huiusmodi opinionem, vt maiora ab eo expectari debuissent, quàm Cantalitij Episcopi de Magno Consaluo carmina nostro idiomate prosa oratione traducta. Censor fuit alienæ scriptionis seuerior, vt mordacitate fuerit notatus, cùm præsertim molestiæ nauseam ex omnium scriptis haberet, nihilq. probaret, quod ex Petro Bembo, & Ioanne Casa non esset profectum. Latini, & Italici sermonis peritus, earumq. Linguarum vocum relligiosus obseruator, quibuscum tàm sedulò, tàm accuratè


curatè verſabatur, vt grandioris eloquentiæ ſtylus ab eo profugerit, cum totus in voculis eſſet, nec μεγαλείως ſcribere conſueuiſſet. Rem Poëticam calluit, eaq. in vtriuſque Linguæ Poëtis adnotauit, quæ ſtudioſorum curioſiſsimi prætermiſere. Et licèt nihil ab eo in ea Arte confectum fuerit; fuiſſe tamen ſcribendo gloriam conſequuturum, oſtendunt aliquot Horatianæ Odæ noſtris carminibus doctiſſimè explicatæ. Erat Symbolis operam nauaturus, in quibus excelluiſſet. *Magnificè.*

## Pinti.

*Tandem ſerta gerens SERTORIVS huc grauis annis*
*Venit: Narycijs qui alter Apollo fuit.*
*Si tot in Heroum laribus, ſat clarus vbique,*
*Scripta ſoluta dedit, ſcriptaq. vincta dedit:*
*Cur hunc Quattrimanum noſtri dixere? lacerti*
*Centum Centimani more Gygantis erant.*

---

# Michael Scotus.



Andem nutricem cum ſtolidis litteratis bibit Michael Scotus, & in eorundem nexu germanitatis vnà coaluit. Detorſit ad ſpecioſas formas animum (hoc habuit ſingulare) & nobiliorem mundi partem, genituram ſcilicet hominis, eiuſdemq. compoſitionis notiorem aſpectum, hoc eſt corporis delineamenta, in quibus phiſyognomiæ recondita cognitio conſtituitur, deſcribenda ſibi propoſuit. Sed nec illud in hoc homine aſperneris, quòd Federici Imperatoris nomine, diuturnam ſuis ſcriptis gloriam addere cenſuit. Benè factum. At dùm hæc præclara rimabundus eximiè delectatus eſt, in vetuſtum chaos omnia merſit. In alteris rebus ſæpè incautus Ariſtotelis axiomata confundit; in alteris Aegyptiarum more mulierum diuinat, quibuſque membris eandem proprietatem adſcribens; pedibuſq. in ſuam ſententiam vadit, cùm 55

ſic

sic se scitulum probat, vt suis se scriptis sapidissimum esse persuadeat. Quid verò in xij. augurijs somniat? Quid *Fernouam*, & *Amponenth*, aliaq. monstra obijcit? In qua officina Vulcanus has voces fabricauit? quasi verò defuerint *adepta Coptica*, *incrementa Nilotica*, *arcana Memphitica*, *sistra Phariaca*. Sed hæc ad Magiam, inquies. Quid hominem, & auem; dexteram, & sinistram miserrimè vrget? Non adeò ignaua Fotis, quæ ex Lucerna imbrem prænunciauit. Miror Federicum in hisce nugis fuisse immoratum, nec noxios oculos, noxia huius verba effugisse. Habebis in eo auctore aliqua, quæ meliori ordine digesta, & saniori perpolita ingenio, indignis lectione, & Christiano homine, aliquot expurgatis, Phisyognomiæ studio aliquid afferrent vtilitatis; inculta enim pauperie Apuleiana, sine delectu ciborum, sordentia ventri conquisiuit.

## Pinti.

*Quod tantum Federicus amet vir magnus haberis?*
*Quod, Scote, te exlegem Cæsaris aula legat.*
*Bellus es, & malus es, doctusq. indoctus & idem,*
*Nunc salso, insulso nunc facis ore dapes:*
*Nunc te deijcio, & capio, nunc nolo, voloq.*
*Nunc nouus, & contra nunc vetus auctor ades.*
*At tua dùm rectè pendo monumenta, Michaël;*
*Næ mage pro veris rebus adesse placet.*

---

# Phocius Patriarcha.

56 
NOn pluris esse faciendos thesaurorum, quàm Bibliothecarum repertores, Ptolomæus Philadelphus edocuit, qui cum Hierosolymis Hebraico idiomate Bibliorum exemplar habuisset, nullum defossis sub terra thesauris fructum inesse prædicauit. Quid Bocchus Numida in monte pecuniam condidit? Quid à Decebale Duce in Sergetia,

& à

& à Vespillonibus Alarici in Bisento fluminibus aurum est repositum? Quantum vtilitatis attulere in Iberia Isidorus, & Ildefonsus, in Gallia Gennadius,& Honorius, in Belgio Sigebertus, in Germania Thithemius, qui bibliothecis excussis, librorum cathalogis exactis, reconditis auctoribus, & eorundem ingenijs in medium prolatis, matura gloriosi laboris segete coacta, vberem litterariæ annonæ messem compararunt. At primum fortasse locum PHOCIO Constantinopolitano Patriarchæ dabimus, qui (nam Hieronymus antè illum Ecclesiasticorum scriptorum tantùm historiam contexuit) dùm Imperatoris Orator in Syria versaretur, Tarasii fratris rogatu, locupletem Philologorum, Oratorum, Historicorum, Philosophorum, Medicorum, Theologorum bibliothecam composuit, deditq. operam, vt quæ iàm intercidisse iudicabantur, quæq. funditùs essent deperitura, in manus hominum tandem deuenirent. Quis huic Auctori debebitur honos, qui tot auctorum nomina propagauit, seruauit? E' quibus (bone Deus) eos tenebris eruit? Et è quibus ipse tenebris erutus est, adiutrice manu Andreæ Scotti Antuerpiensis Iesuitæ, qui purioribus collatis exemplaribus, tàm operosè, tàm candidè, Marci Velseri Cæsaris Consiliarij, litterarum alumni, auspicijs, latinitate donauit? Ad ducentum habes auctores, & cuiusque operum habes (præter res ipsas quas scripsere) & styli, & sermonis,& historiæ, peculiares censuras. Sed dùm quærit interpretem, eundem habet ipse censorem, qui tumultuarium illud opus esse scribit, vt qui eadem sæpiùs repetat, & hiulcus sit, atque neglectus, consarcinator potiùs, quàm concinnator;& quem nitidius opus fuisse facturum arbitraretur, si postremam manum adijcere licuisset. Effecit Phocius, vt quas gratias prior ætas Ptolomæo (licèt ingens librorum numerus bello ciuili Pompeiano Alexandriæ fuerit combustus) quas Aristoteli, quem primum librorum collectorem Strabo nominat; quas Polycrati Samio, Euclidi Atheniensi, Nicocrati Cyprio, Pisistrato Tyranno, Euripidi Poëtæ Græcia, Iulio Africano Cæsarea Palestina, Attalicis Regibus Asia, Aemilio Paulo, & Octauio Roma referre debet; eas posterior hæc ætas referat ingentes Serenissimo Ba-

uariæ

uariæ Duci, & Augustanæ Reipublicæ, ex quorum bibliothecis Iacobi Gresteri opera, Anastasius Sinaita, Theodorus Abucara, Philippus Solitarius, Nicolaus Sebasila, Ioannes Carpathius, Philotheus Patriarcha, Gelasius Cizycenus, tot sanctorum Lithurgiæ, præter manuscriptorum Græcorum librorum indices, tanto cum doctorum hominum commodo prodierunt. Ingentes habeamus gratias Philippo II. maximo Regi, qui in D. Laurentij in Hispania tot libros ex tota Europa congessit; Serenissimo Francisco Mariæ Feltrio Vrbinatium Duci, qui tot manuscriptos, ab Esdra præcipuæ sacræ scripturæ libros exaratos, in amplissima sua bibliotheca, Italiæ ornamento, seruat; ne Vaticanam commemorem, quam veluti Christiani orbis tutelam, Illustrissimus Baronius in suis Annalibus, ad Fidei, & doctrinarum gloriam, & cognitionem explicauit.

## Pinti.

*Vastæ vrbis quondam Byzæ Patriarcha sepulcra*
*PHOCIVS, hospes, habet.*
*Ne capite obtecto adsistas, ne lumine sicco,*
*Ter venerare senem.*
*Et pius, & sapiens, & magni Præsul honoris*
*Profuit imperio.*
*Sed cur expendent hoc mille volumina busto?*
*Sunt ne trophæa viri?*
*Quid cum Marte libri? dedit hæc insignia summo*
*Filia nata Ioue.*
*Vndique congestis cumulauit tecta libellis*
*Sedulæ hic instar Apis.*
*Mellis vt hæc alijs: doctrinæ ita condidit iste*
*Et manu, & ore fauos.*



Ioannes

# Ioannes Georgius Trissinus.



Raui ingenio Trissinus, multis ex Dantis Alighierij libris de Vulgari eloquentia recognitis, & explicatis, multisq. ex Petrarca traductis, & ex suo additis, Italæ linguæ fuit adiumento, & ornamento. Dicerem eius quasi præscripto, normam eloquentiæ, & poëticè scribendi formulas ceteros esse sequutos,& vsurpasse, cùm de verborum electione,aut de Rithmis disputant. Nec Etruscæ linguæ puritatem in Guittone Aretino,Brunetto Florentino, Bonagiunta Lucensi damnaremus; aut laudaremus in Itala Guidum Florentinum, Cinum Pistoriensem,& Dantem, non docente Trissino. Nec ex quatuordecim Linguis, Sicula, Appula, Romana,Vmbra,Etrusca, Ianuensi, Sarda, Calabra, Anconitana, Latia,Longobarda, Veneta, Foroiuliensi, Istriana, vnam linguam Italam confici, quam Aulicam appellant,ità planè nobis esset cognitum. An tu Sisiphi quoque lapidem moues? Eritne æterna hæc concertatio? An ex ea mixtione aliquid nobile futurum tibi persuades? Rithmorum genera scitè explicat. Appositè combinationes ob oculos ponit. Perbellè versus ijs pedibus instruit, quibus incedentes, & eleuantur sæpenumerò, & deprimuntur; quibusq. numero, atque sono intelligimus ornari. Doctus itaque Trissinus. Veritatis poëticæ inuestigator. Ceteroqui ad maniam ductus. Condona hanc mihi vocem Georgi. Ex quo fonte nouarum litterarum introductio manauit? Saltim Carmenta in nostris characteribus fuisses. Quid in Latinis Græcus es? In monstrosissima pagina lucifugos ludere permittis,& Epsylon,& Omega ità crebrò irrepere finis, vt nostros characteres irrideas, atque eludas. Duo hæc corpora commisces. Fiet Hermaphroditus. Alcumena etiam opus esset, aut adesset Iuppiter, qui diceret, 57

*--- vno partu duo peperit simul.*

sed si vaticinaretur,

*Eorum alter, nostro qui est susceptus semine*
*Suis factis te immortali afficiet gloria.*

Tt Latinum


Latinum ne crederes, an Græcum characterem tibi nomen comparaturum? Dialogum, qui nomen Castellano, de Itala Lingua conscripsit. Dubitationes eiusdem Linguæ Grammaticales, quibus profectò docta, & vtilia propalauit. Italia à Gotthis liberata, Italis carminibus conscripta, aliquid ipsi honoris, & gloriæ conquisiuit.

## Pinti.

*Cæsar iustitiæ plenus ab hostibus,*
*Tu inculto Italiam carmine liberas*
*Oppressam Getica manu.*
*Exortus Danaûm sanguine non eras:*
*Ωμέγα tamen horum vtere, & Εψιλὸν,*
*Scriptis assiduo tuis;*
*Scriptis, næ redolent quæ sapientiæ*
*Et Nardi, & Casiæ, & cæruleum Thymi*
*Florem; quæ Aonides amant.*
*Dùm permista Ducum prælia concinis:*
*Adsistunt Charites tres sinu in hoc tuo*
*Vatum gloria TRISSINE.*

---

# Ioannes Salesberiensis.

58 

IOannes Salesberiensis, quem de Saresberijs nominat Petrus Blesensis quadam epistola, qua cum Thoma Cantuariensi Archiepiscopo, cuius discipulus, vel socius erat, in exilio degentem consolatur, Carnotensium Episcopus, doctrina, & bonitate insignis, diuinis, & sæcularibus litteris nobiliter eruditus, circà Alexandri III. Pontificis tempora claruit. Librum varia disciplina conspersum scripsit *De Nugis curialium, & vestigijs Philosophorum*, in quo de Magia differens, nihil de ariolis, imaginarijs, coniectoribus, sortilegis, auguribus prætermisit. Ad Mathematicam accedens, de Mathesi, prænotionibus, signisq. subtiliter disputauit. Nihil est, quod de Republica, Rege, Tyranno prætereat; nihil quod de militari

militari peritia contemnat. Philoſophorũ genera, dogmata, opiniones explicat; vt oſtendat ſub *Nugarum*, & *Philoſophorum* nomine, quibus vitiorum gurgitibus obruatur animus, quibuſq. virtutum adiumentis ad ſuperiora emergat. Non *pulcram in eo venuſtatem, nec diſertum eloquium* Tritemij teſtimonio reperies; ſed, *optimam eruditionis formam, & propter artificioſam ſententiarum varietatem ineſtimabilem materiam voluptatis*, quæ Bleſenſis tribuit encomia. Theſaurus planè hic liber eſt, ſi quis aurum colligere ſciuerit; nec cetera quæ ſupererint nomiſmata reijcienda dixerim, ſi quis impensè quò opus fuerit didicerit erogare. Principes enim, plebeios; doctos, ignaros; exemplis, præceptis; ſacris, profaniſq. doctoribus aduocatis, inſtruit; quæ omnia, licèt ad libitum expoſita, nullum ſeruent ordinem; ità nihilominus connexuit, vt multiplex rerum congeries ordinem non expoſcat. Thomæ Cantuarienſis vitam deſcripſit, quo à milite capite molctato, brachium huic Doctori ferè præciſum eſt. Quod cùm nullo pacto poſt integrum annum poſſe conſolidari Medicus ſperaret, à Sancto Martyre noctu linea faſcia inuolutum, ſanitati eſt redditum. Tunc in Epiſcopum electus eſt,

## Pinti.

*Hos paucos numeros quæ ſchola Palladis*
*Mittunt marmoreo, ſuſcipe, qui ſinu*
*Hoc paruo magnus abdere.*
*Procliui illa legit luce volumina*
*Quæ doctis tribuunt docta μαθήματα*
*Sacrata egreſſa de manu.*
*THOMAE tu eximio Antiſtitis Anglici*
*Et clarus ſtudio martyris inclyti,*
*Facta huius ſcriptor edoces.*
*Hoc ſit ſub tumulo longa quies tui,*
*Mens æternùm habeat gaudia cœlitum,*
*Carnuti Præſul optime.*

# Adrianus Spathaphorus.

59 Nſcriptionum varietate, ſtatuarum numero nomiſmatum copia, lapillorum ſculptis imaginibus inſigniũ cumulo, vaſculorum excellentia, & peregrinarum rerum præſtantia, quas non modò ex Cumanis, & Puteolanis relliquijs erutas ſeruabat, ſed ex tota ferè Italia magno ſumptu conquiſiuerat, ex tenebris quas hominum inſcitia offunderat, omnem Antiquitatem Adrianus Spathaphorus in lucem reuocauit. Indè antiquarum rerum ſtudium Neapoli inclaruit, cùm anteà contemptui eſſet. Adriano in ea re plurimùm debemus. Ceteroqui pœna dignus, qui florentem huiuſmodi monumentis, ſqualidam reddidit. Cùm enim Peraſanus Ribera inter Neapolitani Regni Proreges maximus, Adriani monitu, eo ſtudio Principe digno, dilectari cœpiſſet, alter Verres, quicquid vetuſtatẽ in publicis, priuatiſq. locis redolebat, in Hiſpaniam tranſtulit, magna parte ex maris gurgite deuorata;

*I nunc argentum, & marmor vetus, æraq. & artes*
*Inſpice -----*

Nihil eſt, quod laudes, vel admireris. Vbi nam Amiclea, & Nomadum ſaxa? Vbi columnæ ex Eoa Siene exciſæ, quarum vna ad Baſilicam reliqua eſt, ex fundamentis eruta? Vbi Parthenopis ἄγαλμα, cuius Suidas meminit, quæ in ædium angulo ad D. Stephani poſita, antiquam Neapolim referre videbatur? In Caſtorum tantùm buſta iuramus. Hæc vigent. Hæc affabrè, & antiquo artificio elaborata, vel cum dolore manca conſpicimus. Quod ſi Theatri partem, in quo bonus Pythaules audiebatur, ſubmouere licuiſſet, farctam tectam ſuſtuliſſent. Nemo ex intima Europa Neapolim veniebat, quin ad Adrianũ diuerteret, ab Adriano opem peteret, Adriani quotidiana cõſuetudine perfrueretur. Nullus domi paries erat, qui aliquam vetuſtatis memoriam non contineret, aliquid lectu dignum, viſu delectabile non ſeruaret,

& de-

& deſcribendi materiã exteris non præberet; quapropter Adriani Antiquitatibus, eorum pietatem, qui veterum fragmenta varijs peregrinationibus collegerunt, ne prorſus deperdita iacerẽt, auctam, amplificatam, illuſtratam duobus nuper voluminibus cognouimus, quæ Iuſtus Lipſius, Ianus Gruterus, Ioſephus Scaligerus, Marcus Velſerus Antiquariorum vtilitate maximis laboribus edidere; quem vnum librum ſi quis legeret, nihil præterea in tota Antiquitate deſideraret; eaq. ex ſolis lapidibus ediſceret, quæ aut Iuris ciuilis corpus compilauit, aut ſacrorum rituum relligio protulit, vel Romanorum Faſti Conſulum, Magiſtratuumq. honoribus edocuere. Quid ab ijs abeſt, quod ad militiam ſpectet? Coniugum, parentum, liberorum affectus non exprimat? Veterum artes, & ſtudia non patefaciat? Prouinciarum, municipiorumq. leges non proponat? Quis verò eſt, qui abſque hiſce inſcriptionibus Latini ſermonis elegantiam aptè rotundet? Id quidem Adrianus fecit, qui eas ad antiquas accedentes multis in locis poſuit; & à quibus abſtineant, quæſo, qui antiquorum ſtylum ignorant, ne in ridiculas cantiones impellantur, quas ſexcentas legimus. Scriptiones dicas; & hiſtorias ferè percurras, vel teſtamenta rideas; quæ polygraphijs, & inutilibus prolegomenis non παμφαίνονται, vel quæ non

*----- miracula promant*

*Antiphatem, Scyllamq. & cum Cyclope Carybdim.*

Abeſt breuitas. Intercurrunt verborum phalanges, quas penè extrudebat Antiquitas vno contenta. Exulat candor, aſſidetq. barbaries, in *Regij Naualis finem indicat* cum abſolutum opus intelligeret; in *Ambulacro*, quaſi Balneæ fuerint publicæ viæ; in *Regiam vicem implente*, quàm lepida Proregis deſcriptio; in *Præfecto Prætorio*, quaſi ἔπαρχος τῶν δορυφόρων, vt Burrus ſub Nerone, & Perennis, & Lætus ſub Commodo, & ἔπαρχος αὐλῆς Præfectus aulæ, vt Nymphidius Sabinus dicitur à Plutarcho, idem ſit cum Proregibus Neapolitanis; ne duos Præfectos Prætorio ſub Auguſto, tres ſub alijs Imperatoribus commemorem; ac ſi neſciant Præfecturam Prætorianam, totius Imperij quendam eſſe principatum, ſed ſine purpura, βασιλεία ἐστιν ἀπόρφυρος;

quam-

quamobrem aurea virga insignitus, inter obsequia numerosa primus Præfectus Prætorio antè pedes Regios incedebat. Quid ad Proreges? Alia prætereà, quæ cùm stomacho ab eruditis leguntur, ex Calepino sententiarum ornatu deprompto, qui incomptus est, nisi veterum lapides suppeditauerint. Cum Sole Adrianus cœnatus cubitum ibat; antè Solem in templa se conferebat; mox domum reuertebatur tempestiuo prandio operam daturus. Diuturnam aiebat vitam victurum, quem Sol radijs non percuteret. Tranquillitati sic indulgebat, vt nec vxorem, nec liberos morientes videre voluerit, rus proficiscens cumprimùm Medici ijs moriendum prædixissent. Ad nonagesimum peruenit annum, nullo morbi genere, vno tantùm dolore afflictus, quòd domum in Alfonsi Sancij Grottulanorum Marchionis potestatem, quocum litigabat, venturam, & ornamentis spoliandam præsagiuit. In villam Arpinam ad Atellam ea comportanda iussit, domusq. quæ non domino magis, quàm ciuitati erat ornamento, concidit.

## Pinti.

*Hospes iter repete: hùc rursus vocat inclyta Siren,*
*Longe alia hæc oculis dona vetusta feret.*
*Omnia non vidi? An ne breui quis plurima cursu*
*Temporis aspiciet signa relicta Deùm?*
*Quæ? Quæ Romulides, quæ olim coluere coloni*
*Argolici, & sculptis marmore busta notis.*
*Sunt vbi quæ mira hæc memoras? Non protenus. Ire*
*Nonne licet? Cur non? Nomina pande domus.*
*SPATAPHORI domus est. Vltra ne nota reponas;*
*Vltima luminibus sunt simulacra meis.*
*Prima sed aspexi: næ primo digna decore,*
*Ac multum me non prima notasse pudet.*
*O vir ab externis æque ac sat cognitus ipsis*
*Ciuibus. o patrij gloria magna soli.*

Cæsar.

# Cæſar Cardinalis Baronius.



Equicquam cum Elogijs de Cæſare Baronio 60
agitur, cuius virtutum laudes, & perenni famæ eloquuntur, & in cœlum extulere, & in eo honeſtando certatim Romana amplitudo, & florentiſſimæ Europæ Academiæ ſtudia conferũt, cùm fructuoſiſſima laboris, & ingenij gloria, ſua ſcripta Aeternitati commendarit. Maximum quidem opus aggreſſus, quod nemo ex Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarijs excogitauit, illud præclarè aſſequutum ſcimus, vt difficillimis ſcribendis rebus, ijs præſertim, quæ ad Eccleſiaſticæ hiſtoriæ veritatem ſpectant, ad Sedis Apoſtolicæ auctoritatem roborandam, hæreticorum prauitates refellendas, Apoſtolorum Conſtitutiones confirmandas, Sanctorum Relliquias venerandas, varios in Dei Eccleſia euentus, varioſq. Principum motus cognoſcendos, tantum luminis attulerit, vt ſi barbara Mors in ſcribendi itinere retardatũ vltrà progredi permiſiſſet, nihil eſſet quod eo amplius Chriſtianorum cœtus deſideraret, tàm illuſtria nouus hic Moyſes in laborioſo illo, vaſtoq. Vaticanæ Bibliothecæ deſerto, tot annos ſudando, algendoq. edocuit. Modoq. Manna colligentem videas, in quo omnium doctrinarum oblectamenta guſtantur; modò petras percutientem vndè eloquentiæ flumina eliceret, quibus Serana Veritas, Arpinatem facundiam labefactauit. Quid ſi deſerti mella confecerit, cùm veluti Apis cultiſſima ex omnium veterum ſcriptorum, ex deperditæ chartulæ, & aduerſariorum floribus, tàm dulces fauos, tàm ſuaues finxerit? Amariores ſeſe accuſent, qui illud in tanto viro reprehendũt, quod alienis verbis hiſtoriam texuerit. Ità ſanè faciundum in eo hiſtoriæ genere, in quo cùm diuina præcipuè tractentur, eorum verbis nitendum eſt, qui diluciditatem obſcuritati, dignitatem ordini, veritatem tempori afferre valuiſſent. Quid quod ab illuſtribus ſcriptoribus idem factitatum legimus? An Gelaſius ille Cyzicenus in conſcribenda Conſtantini hiſtoria, qua Nicæni Concilij

Acta

Acta erat narraturus, non vsus est Eusebij Pamphili verbis,quibus quæ protulit verissimè confirmaret? An verò Fabij Pictoris, Lucijq. Pisonis auctoritate spectatam Liuij fidem dicemus; & tot Sanctorum Patrum,totq. receptarum Scripturarum auctoritate, à Baronio quicquam detractum pronunciare audebimus? Sic vberiùs explicatas res legimus, & enucleatius tractatas, quæq. litigiosè fortassè ab alijs prolata fuerant,ab ipso vno Baronio paci esse reddita non dubitamus. Ingenerata huiusmodi verbis Christianæ Relligionis pietas; factumq. ex eius Annalium lectione scimus, vt multi quos irretitos hæretica fraus teneret, laqueos declinauerint,cognitaq. veritate,in Ecclesiæ Romanæ matris gremio educari desiderarint. Ex Congregationis Oratorij instituto,primùm in rebus gestis Ecclesiæ, in vitis Sanctorũ Patrum immoratus est; deindè ad Annales, Antonij Carrafæ Cardinalis Bibliothecarij hortatu se contulit; primaq. volumina Sixto V. Bibliothecæ restauratori dicauit. Mox in Cardinalium Collegium à Clemente VIII. cooptatus,alacriori animo scribendi munus prosequutus (licèt Dauidis exemplo, qui armatus contrà Philistæum incedere nequibat, purpuræ grauitatem se perferre non posse, fatebatur) ad duodecimum vsque volumen progressus est, quod Paulo V. extremum laborem obtulit. Vir antiqua fide,& bonitate, qua meruit in Comitijs,quæ habita sunt post Clementis obitum, in Pontificem inaugurari.

## Pinti.

*Incede hàc. tumulo est, Musa, BARONIVS,*
*Multos cui numeros, vel nihil afferas,*
*Silendo humana pensitans.*
*Angustum hæc poterit lamina marmoris*
*Amplas ad laudes pandere nec sinum,*
*Meret quas CAESAR inclytus.*
*Ille hic, cuius erunt vasta volumina,*
*Quo mente hinc valeant percipi ab intima*
*Loca vt scriptoris arbitri.*

*Quos*

*Quos virtute sua vectus ad est gradus,*
*Non sic, hospes, ades nescius vt velis*
*Doceri. Fama perdocet.*

## Ascanius Cardinalis Columna.



ON familiæ splendoribus, quæ tot radijs emicat, quot suis orbem Sol terra, mariq. illustrat; non maiorum gloria, quæ præclaris facinoribus Columnensium stemma, vel extrà Herculis Columnas decorauit; non patris maximi Principis honoribus, quibus ab Austriacis Regibus, & Pontificibus ornatus, omnem rerum excellentiam, & in omni vita, propriæ virtutis dignitatem gentium præconio constitutam reliquit, Ascanio Illustrissimo Cardinali, honorum, amplitudinis, gloriæ, virtutis accessio facta est. Ea sibi illustriùs comparata retinuit, retenta sic amplificauit, vt sui ordinis Principibus facilè præpositus fuerit. Iam indè ab adolescentia in Salmaticensi Academia funebri oratione Annam Reginam Philippi II. vxorem celebrans, ea eloquentiæ copia, quam ex Cardinalis Varmiensis pectore hauxisse scribit ad Stanislaum Rescium, eximij sui ingenij specimen edidit. Mox omnibus disciplinis comparatis, tantus orando factus est, vt dicendi vbertate, vbertatis maiestate, maiestatis raritate, non modò sanctissimi Senatus Cardinalibus præstiterit, sed omnibus, qui dicendi facultatem profitentur. Testis Oratio illa quam in funere Philippi Regis erat habiturus, nisi palmam inuidi præripuissent. Et mecum ipse Romæ conquæstus est, Nazianzenum, atque Basilium publicè orasse; cur sibi pro Rege maximo, de Catholica Ecclesia optimè merito, non liceret? Testes, eius scripta, quæ veluti Palladium aliquod, aut sacrum depositum asseruare se scripsit Belgiæ ocellus Iustus Lipsius; & quæ nuper in Episcopos Venetos pro Romanæ Sedis, & Pauli V. Pontificis auctoritate edidit. Testes doctissimi Europæ viri, qui vndique aut epistolis, aut voluminibus, riuuli ad vastum doctrinæ, benignitatis, amoris,

amplitudinis flumen confluebant. Proh dolor. Quid confluunt, dicere non licuit? Hæc me scribente, in omnium mœrore Naturæ cessit, orbemq. Columna, qua virtutes omnes, omnia fulciebantur illustria, orbauit. Librorum helluonem appellarim, qui copiosissima Bibliotheca domum augendam curauit, quam Alexandrini Musæi æmulam nominat Rescius, & in qua ipse Sigonios, Muretos, Bencios desiderabat. Regnum Aragoneum ei administrandum detulerat Philippus III. in quo cùm se prudentissimè gesserit, suorum virtutis memoriam excitauit.

## Pinti.

*Vescentem nuper vitali vidimus auram:*
*Ast excita columna velut nunc corruit ictu*
*Atropos, atque hinc sunt tremefacta funditus ædes:*
*Extinctum te veste Patres luxere rubentes,*
*Et dolitum è solio descendit clauiger aureo*
*Rex, cui sacrato Petri sunt æquore Pinus*
*Tradita; & ex alto venerunt vertice Nymphæ;*
*Et feretro, & busto lacrymas, numerosq. ferentes;*
*Atque hæc dicta super tristes posuere sepulcrum.*
*Hic iacet Ascanius sobolis lux magna Columnæ*
*Purpureùm iubar ille senum, sat fidus Iberis*
*Regibus, & docta vel ad æthera Pallade notus*
*Maximus Ascanius. sat cætera Fama profatur.*

---

# Paulus Minerua.

62 N Dominicana familia, quis neget præclarissimos viros enituisse? Nemoq. non nouit Paulum Mineruam Barensem, quem si philosophicè tractantem audias, Philoponum dicas; si Theologicè, ferè cum optimis Patribus conferas. Ex Concionatore, fructum; ex Mathematico, disciplinarum varietatem, & concinnitatem percipies. Si Hebraicè loquutus fuerit, Talmudicæ rei gnarum probaueris; si Græcè: nihil sibi ad Philosophos, & Theologos enucleandos deesse

deesse affirmabis. In Gymnasio Neapolitano abstrusos Metaphysices, Meteorologicorum libros, moralem Theologiam exactissimè explicauit. Scripsit de Neomenijs Solomonis perpetuis contrà Hebræos, & Hæreticos. In sententias paræneticas è Græco in Latinum conuersas commentaria. Orationem in obitum Beccariæ suæ familiæ Generalis. Editurus est, De præcognoscendis temporum mutationibus iuxtà triplicem viam, Cœlestem, Meteorologicam, & terrestrem, libros. Opus in Bibliam celeberrimum. De libro Apocrypho. De Mundi Duratione. De rebus Astrologicis. Opiniones hominum de Deo, & creaturis. Defensionem Caietani contrà Lecchetum.præter ea,quæ lingua Italica conscripsit, & Hispanica traduxit; vt inter nostri temporis Monachos, doctrina,relligione,bonitate admireris. Illud verò in hoc viro maximè laudabile existimes, quòd cùm Regni Prouincialis à suis Patribus summo omnium consensu creatus esset,& Neapolitani, procurante Claudio Milano, Diuum Thomam Aquinatem in Octaui Vrbis Patronum à Clemente VIII. Summo Pontifice feliciter impetrassent, tanto studio in ea re suam ipse nauauit operam, vt Electis Ciuitatis, publicis tabulis, relliquiæ Brachij eius Sancti partem, benignè concesserit. Hoc in Paulo æternum vigeat. Vigeat in Neapolitanorum memoria, qui Claudio præclarissimum, & post hominum memoriam celeberrimum opus debent; & Paulo rei perficiendæ nomen consecrarunt.

## Pinti.

*PAVLI hæc effigies mei Mineruæ,*
*Cui sint lustra seni quòt astra in axe*
*Poli; inde & latices pluant feraces*
*Lauro, tempora quæ ipsius salutet.*
*Hic est ingenuo satus parente,*
*Hic splendor patrij, decusq. Bari,*
*Domus hic & honos suæ; piorum*
*Exemplar parium virùm. quid vltra?*
*Et vates? adeas meum Mineruam:*
*Quæris ne Historiam? dabit Minerua.*

*Sophus ne es? meum & hunc adi Mineruam:*
*Clarus ne Astronomus? petas Mineruam:*
*Rerum scriptor eris? Dei? Mineruam*
*Adi; quicquid aues, docet Minerua,*
*Hic &, quicquid habes, habet Minerua*
*Latus sorte sua. parum Mineruam*
*Amet? quis celebret parum, Mineruam?*

---

# Thomas Natalis Marcanensium Episcopus.

63 
VVm Rachusium habuit Aesculapium Epidauro proximum, Thomam Natalem, quem sibi Archiatrum præfectum, summo honore semper coluit. Is cùm Thraciæ vrbem nobilissimam Constantinopolim inuiseret, tantum laudis Medica, & Philosophica disciplina consequutus est, vt non modò Arabes illi Medici, *Hogsialar* eorum lingua appellati admirarentur, sed Turcarum proceres libētissimè exciperēt, ipseq. Imperator Bobaniæ restituto Comitatu insigniuerit. Sed tantū in ea vrbe pro Christiana Fide profecit, vt cùm Germaniæ Protestantes de Catholica opinione Ieremiam Constantinopolitanum Patriarcham dimouere conarentur, monitu, & doctrina eum Thomas iuuerit, atque ad scribendum impuleiit, quod tanta pietate Ieremias effecit, vt cladem hæreticis intulisse visus fuerit, adhibita Stanislai Socolauij Stephani Battori Poloniæ Regis Theologi solertia, qui docti eius viri scripta Latina faciēs, maximum fructum earum prouinciarum hominibus attulit. Quamobrē ab ipso quoque Polono Rege Thomas dignitatibus decoratus est, Eques, & Cracouiensis Ecclesiæ Canonicus electus, demùm à Paulo V. Summo Pontifice Trebinij, & Marcanæ Episcopatu ob singularia virtutum merita donatus, eiusdem Pontificis nutu artem Medicam in sua patria ære publico exercitaturus. Sed à litteris, ad nobilitatem. Ex Budislaua gente

originem

originem ſibi prouocat, ab Vdislauo Alexandri Magni Philippi filij equite; proprioq. id elogio narratur à Nicolao Bolizza Aſcruuienſe Patricio Patauini Gymnaſij Rectore. Sunt qui eam gentem Gentio Illyriæ Regi, alij Alexandro ipſi Macedoni tribuant. Qui aliquot Myſſiæ veteranos, bello in Perſia confecto, ob egregiam virtutem mirto coronans, *Endoxos*, fortes ſcilicet in bello appellauit, clypeos ex argento largitus, vndè primum nomen Argyraſpidum emanaſſe Cleſias ſcribit, domum reuerti permiſit; quos indigenæ peregrinũ nomen aſpernantes, Budislauos nominarunt. Adduntq. Dobroslauum Budislaui filium Regi affinitate coniunctum, ne ciuilis belli cauſam dediſſe videretur, ſolum vertiſſe, & Stæam præclaram vrbem in Illyrio incoluiſſe. Quiſquis autem Buslauorum primordia aluerit, præſtanti nobilitate virum, Alexandri Magni priuilegium Slauis conceſſum propalat, quod vt nouum, & Conſtantinopoli repertum, è Græca in Latinam linguam verſum, curioſorum gratia adſcribam, huiuſmodi enim eorum Regum diplomata nuſquam reperiuntur;

*Nos Alexander Philippi Regis Macedonum Archos Monarchiæ figuratus, Græcorum Imperij incboator, Magni Iouis filius, per Natbabanum nunciatus, alloquor. Et Brachmanorum, & Arborum Solis, & Lunæ conculcator, & Perſarum, & Medorum Regnorum. Dominus mundi ab Ortu Solis ad Occaſum, à Meridie ad Septentrionem; Illuſtri Proſapiæ Slauorum, & Linguæ eorum, gratiam, & pacem, atque ſalutem à nobis, & ſucceſſoribus noſtris, ſuccedentibus nobis in Gubernatione mundi; Quoniam nobis ſemper affuiſtis in fide veraces, in armis ſtrenui, noſtri coadiutores, bellicoſi, & robuſti; Damus, & conferimus vobis liberè in perpetuum, totam plagam terræ ab Aquilone vſque ad fines Italiæ Meridionales; vt nullus audeat ibi manere, aut reſidere, aut ſe locare, niſi veſtrates. Et ſi quis ibi alius inuentus fuerit manens, ſit veſter ſeruus, & poſteri eorum ſint ſerui veſtrorum poſterorum. Datum in ciuitate noua, noſtræ fundationis, Alexandrina, fundata ſuper magno Nili fluuio; anno Regnorum noſtrorum xij. arridentibus magnis Dijs, Ioue, Marte, Plutone, & maxima Dea Minerua. Teſtes huiuſce rei ſunt Athleta illuſtris Lotaterra noſter,*

*noster, & alij Principes xj. quos nobis sine prole decedentibus, relinquimus nostros heredes, ac totius Orbis.*

Accepit illud Philippus Triuultius Archiepiscopus à Sigismundo Philochristo de Gorgiata milite sancti Sepulcri Hierosolymitani. Ab eoq. accepit Thomas, à quo typis editum seruabatur. Quamobrem & virtutum, & stemmatis gloria per omnium doctorum ora viuus volitat, summorum hominum consuetudini, & amori coniunctus; Regumq. litteris, & muneribus honestatus. Neapoli interijt anno 1608.

## Pinti.

*Delmata me claro nascentem sanguine vidit,*
*Palladis edocuit Felsina plena virum.*
*Munificum, plenumq. auri me Vistula fecit,*
*Teutonicum me Equitem Rex dedit esse suum.*
*Me ciues, me Bosphorida coluere: Medentum,*
*Persæ, Arabisq. fui gloria prima togæ:*
*Regum, adij Tybrin, studijsq. opibusq. perauctus,*
*Mercanæ titulum Præsulis vnde tuli.*
*Expertus sum multa foris sudore, geluq.*
*Et terra, & passus magna pericla salo.*
*Allexit, tenuitq. diù me prodiga Siren*
*Delicijs: tandem mi pia busta dedit.*
*Vos Podaliriadæ date vos lacrymasq. precesq.*
*Pierides: vestræ sat placuere lyræ.*

---

## Antonius Orificius.

64 

nobili Surrentina Orificiorum familia Antonius per omnes Regiorum Magistratuum gradus ad Consilij Præsidis fastigia euectus, tanta eam prouinciam auctoritate, & integritate administrauit, vt eius Officij munera in eo conquieuisse omnes existimarint. Inerat in eo viro tantæ dignitatis grauitas, tanta in verbis, gestuq. seueritas, vt vnus veluti ex Areopago Senator dicendo, tacendo, cunctis esset formi-

formidolosus. Marcus Antonius Columna, summus ille Romanus Princeps grauitate,& maiestate præclarus, expertus est. qui cùm gerendi negocij causa eum inuiseret, vultus reuerentiam, sermonisq. laudauit sine fuco pondus, sed obseruantiam in comitatis limine, qua duriùs caruit, maximus Heros desiderauit; ac dixisse ferunt, *Malle se omnia negocia interire, quàm eiusmodi homines alloqui,& intueri.* Ab austeritate, cum amicis agendo, decedebat. Quòd si quis eorum de rebus forensibus fortasse pertractaret, illicò componebat sese, videbatq. geminos orbes à grauibus superciliorum arcubus coronari, vt alium iàm euasisse intelligeres. Domi semper erat. Nunquàm alienis mensis interfuit, nec in suis impolitam liuentis argenti congeriem, aut ferculárum nitorem amauit. Contempsit ludicra. A littoralibus amœnissimis Pausilypi oris abstinuit. Quis de Neapolitano credat? Et cùm à quodam familiare Pausilypanum coemptum accepisset, *Vita, & fortunis mox eum cariturum*, edixit. At dùm inter scyphos, & pateras ridere cunctos prospiceres, in Regia ipse disciplina Græcam elegantiam indutus, admittens supplicationibus suspiriosos negociatores, audiebat plurima, pauca respondebat, sola enim erat illi cura iuuandi. Surrentinum suum petebat, cùm Forum à iudicijs refrigeret, eòq. cum aliquo ex amicis diuertens, Sirenarum delicijs in ea felicissima omnium regione oblectabatur. Habes doctrinam. grauitatem habes. Quid de Prudentia? Quàm sapienter venenatum Fortunæ telum inuidorum prauitate iactum, quàm prudenter excepit? Quatuor annos ventorum turbinibus è summo gradu deiectus est. Sed nec solertiæ, nec auctoritatis, nec loci in quo domi sedere solebat oblitus, adhibita innocentiæ medela, annuente Philippo II. qui eius fidem,& bonitatem nouerat, tanta alacritate telum eduxit, ventosq. repulit, vt ad eadem fastigia summa cum sua laude fuerit reuocatus. Domo diuitijs amplificata, nonagerius obijt. Locupletior diuitijs, & titulis reddita est à Ioanne Francisco filio Acernensium Episcopo, qui vt nepotum rem familiarem diligentiùs curaret, Episcopatu se abdicauit.

F. Cyrilli

## F. Cyrilli Candidi Carmelitæ.

*Consilio viuus populos, & lege regebas,*
*Lege tibi euenit, consilioq. mori.*
*Consilio superum quo gestis præmia ferrent*
*Fati lege, diu viuere quæ probibet.*
*Non tibi lege tamen, parent cui cætera, vt ipse*
*Communi exemptus conditione fores.*
*Nam si sorte pari viuis, morerisq. fatendum est*
*Vnum te, ANTONI, viuere cum moreris.*

---

# Vincentius de Franco.



65 ' Campana nobilitate Vincentium de Franco Antonius habuit successorem. Doctrinam, grauitas; celeritatem, maturitas; Iurisprudentiam, iuridicundo facilitas, atque disciplina. In ijs Vincentius acrior erat, in quibus ob iuris difficultatem faciliùs ingenij acies hebescit; & eò dilucidior, quò vel interpretando, vel decernendo, obtusis rerum ambagibus obscuriora sese negocia offerebant. Audiebat, scribebat, consulebat, tanta promptitudine, vt ad ea natum, & Adriani Imperatoris æmulum dixeris. Denegandis, concedendis supplicationibus, frequentiq. Senatu (qui ab eius ore pendebat) sententijs ferendis, diuinus fuit; vt adhuc eius voces sarctis, tectisq. Aularum parietibus occlusæ, sacrarum Legum mysteria, & Iurisconsultorum placita, & quicquid iure ad Rerumpublicarum statum reconditur, resonare audiantur. Subsellia eius splendore conspicua, eiusq. ingenij ardore prudenter accensa, lumen Foro perferunt; neque vllus consessus ibi est, quin dùm peregrinarum rerum præconia in memoriam reuocant, Solem qui singulis horis illucebat, cum Neapolitani Regni mœrore non occidisse affirmet. Sancti iuris custodem appelles, & veritatis, bonorumq. hominũ amantem; æquitatis, atque clementiæ, iustitia præeunte, in maximis Principibus æmulatorem.

Quas

Quas præbebat benignas dicentibus aures? Quàm prouidè Legum arma quilque ad eum accessurus capiebat? An sæpè solus nō iudicabat affectus (de hoc illud scriberet Cassiodorus) solusq. sæpè noxias contentiones abscindebat? Sic vice cotis ingenia illustria, & causarum assiduitate politissima, & concinna reddebat, dùm redundans politicarum rerum copia, inexhausto solidæ doctrinæ cibo satiaret. Seueritatem is quoque sibi comessationibus, & ocio indixerat, nullius prætereà rei nisi litterariæ studiosus, & legalis tantùm scientiæ gurgite mersus, à disciplinis, quæ à Reipub. commodo aberant, longè alienus, velut alter Papinianus iuris tantùm arcana interdiù, noctùq. indefessis laboribus perscrutabatur, vt Iurisconsulti gloriam, & præmia (quæ plurima consequutus est) à suis sibi Regibus compararet. Decisionum luculentissimos scripsit libros, quibus causarum bella dirimuntur. Calculi difficultate perijt grauis annis. Domum non tàm diuitijs, quàm virtutibus auxit liberorum. Ex eo enim orti sunt Iacobus Cōsiliarius, Andreas Tranensium Archiepiscopus à Clemente VIII. Felix ex Theatina familia à Paulo Quinto Aequensis Episcopus creati; Laurentius Fisci patronus, Lucas Philippi III. Regis Cappellanus; Thomas, atque alij, qui magnam virtutum, & honorum opinionem concitarunt. Vt ea potissimùm re Vincentij bonitas, atque felicitas dignoscatur, qui tot filios, tàm splendidè educatos procreauit.

## Ascanij Colellij.

*Hic est quem quæris Vincentius, hospes, in vrna;*
*Siste gradum, & tanti numinis acta lege.*
*Infractus Legum studijs hic pectus obumbrans*
*Sontibus intorsit, ciuica tela, reis.*
*Aurea Saturno, quo nobiliore vigebant*
*Secula, & Imperijs aurea lustra suis.*
*Huic dedit Imperium, hoc terras Astrea reliquit*
*Fessa diù, & magni ducere Atlantis opus.*
*Felix parue lapis. quis te felicior? ardent*
*Sidera delitijs inuidiosa tuis.*

# Angelus Politianus.

66 
Vrem, & auem Vespertilio refert. Et Vespertilionem se cultissimus Angelus Politianus appellauit, quòd Latinus græcissabat. Et quàm candidè, propriéq. Latinus, licet Ciceronem fastidiret, & nihil in Ciceronianis præterea quam imitationem reliqui esse diceret, in ea re temeritaris à plerisque accusatus? Et quàm Atticè Græcus? Quare sic laudatur à Pico Mirandulano, vt in Latinis nemini è primo loco cessurum, & in Græcis non esse tàm Atticas Athenas ipsas, quàm eius scripta affirmet, & huiusmodi vtrumque implere, *Vt vtrum magis haud satis constet, qui & Græcam, & nostram Mineruam ità pulcrè amplecteretur, quasi Cinnus vtriusque linguæ, vt quæ inscititia sit, & quæ genuina, non facilè discerni possit*. Maiorem laudem nemo habuit; vt in Italia natus, Græciam videatur habuisse nutricem. In vtraque lingua herclè imitandus est. In altera seruauit nitorem, ne obsolesceret (quamobrem eruditissimus, & candidissimus Italorũ dictus est) in altera non nitorem, quem nunquam amisit, sed pristinam dignitatem aut versa, aut prorsa oratione retinuit. Seueritate, an liuore alienas scriptiones castigabat? Distorto, & immani eius naso id detulere, ingenioq. iniquo, interdùm iudicio exacerbato, cùm nec vngue, nec obeliscis errata notaret, sed planè versus libera veritatis fronte (vt ipse dicebat) confoderet, & Momi personam induens, Sandalium Veneris tandem culparet, cùm Venerem non posset. Cùm verò lauda bat, redundantem dixeris. Testes laudes Hermolai Barbari, Pomponij Læti, Guarini, Beroaldi, Donati, Leoniceni, Sabellici, Pucci, Maffei, Ficini, Scalæ, Criniti, Antiquarij, Merulæ, & aliorum quos habuit contemporaneos, & familiares, & eorundem studiorum amatores, & ad quos scribens varios epistolarum locos tanta eloquentia conspersit, vt oratoriam potius dignitatem, quàm familiaris sermonis comitatẽ fuerit amplexus. Grauis in iudicijs. Accuratus

in emendationibus. Examinandis auctoribus, acutus; & elegans in aliorum sententijs explicandis. Scripsit Miscellanea, in quibus non modò quæ ad litteraturam, ac Poëtarum, & Oratorum cognitionem plurimùm conferunt, sed & Medicorum, & Philosophorum innumera (habuit autem in Philosophia Argyropolum Byzantium præceptorem) in vetiorem lucem educta, scribit Leonicenus. Tantum Poëtis tribuit, vt eum qui illorum interpretationem susceperit, *non solum ad Aristophanis, sed ad Cleanthis etiam lucernam lucubrasse*, dicat, *oportere*. Ideòq. nòn modò Philosophorum, Iurisconsultorum, Medicorũ, Dialecticorumq. sed eorum etiam, qui doctrinæ illum orbem faciunt, quæ vocamus Encyclia, & Philologorum quoque familias esse perspiciendas, & in penetralia, & intimas familiaritates arcessendas. De Philosophia ità benè meritus est, vt à vanitatibus, quas sibi alii proponerent, semper abhorruerit, laudauitq. Picus cùm sermonibus Leoniceni contrà Astrologos adesset. Lucam Pulcium versibus, Demetrium Chalcondylem Græcis lectionibus vicit; quo factum est vt Chalcondyles Florentino Gymnasio cesserit, in quo Politianus vocis dulcedine (legens enim ferè cantabat) iuuenes libentiùs detinebantur. Herodiani historiam, Epicteti Stoici Enchiridion, Alexandri problemata, Plutarchi amatorias narrationes, opuscula Athanasij in psalmos, è Græco transtulit. Opuscula in Priora Aristotelis Analytica, De ira, Præfationes in Homerum, in Suetonium, in Quinctilianum, & Statium, Dialecticam, Prælectionem in Persium scripsit; varia item carmina, Nutriciam, Rusticum, Ambra, Mantho, Elegias, Epigrammata, quibus Latinitate, candore, spiritibus poëticis floruit. Laurentium Medicem, Innocentium VIII. Patronos habuit; semper tamen de incommoditatibus doluit, quas humana vita, litteratis viris præcipuè, afferre solet.

## Petri Cardinalis Bembi.

*Duceret extincto cum Mors Laurente triumphum,*
*Lataq. pullatis inueheretur equis,*

*Respicit insano ferientem pollice chordas*
*Viscera singultu concutiente virum.*
*Mirata est, tenuitq. iugum, furit ipse pioq.*
*Laurentem cunctos flagitat ore Deos.*
*Miscebat precibus lacrymas, lacrymisq. dolorem,*
*Verba ministrabat liberiora dolor.*
*Risit, & antiquæ non immemor illa querelæ*
*Orphei, tartareæ cum patuere viæ.*
*Hic etiam infernas tentat rescindere leges,*
*Ferq. suas, dixit, in mea iura manus?*
*Protinus & flentem percussit dira Poëtam,*
*Rupit & in medio pectora docta sono.*
*Heu sic tu raptus, sic te mala fata tulerunt,*
*Arbiter Ausoniæ POLITIANE lyræ.*

---

## Ioannes Picus.

67 N Ioanne Pico laudando Paulus Iouius, licèt eloquentissimi fluminis venam aperuerit, cum Phœnicem, virum admirabilem, in Astrologicis, & Apologetico grauissimum, in Heptaplo diuinum nominauit; debuerat tamen extrà quotidianarum laudum fines in præconiorum immensitatem linguam promouere. Hæccine tàm exigua Pico Mirandulano sufficere arbitratus est, cuius ingenio nec omnium rerum natura parens suffecisset? Et hac maceria eius sepulcrum circumseptum venerabimur, quod nec orbis perficiendarum rerum humanarum magnitudine, nec cœlorum gyri intellectus altitudine consepirent? In generis amplitudine dùm Ioannem efferimus, tempus terere putidum censeo. A Constantino seriem ducas. Nosti Euridem Constantij filiam, eiusq. amores, & matrimonium cum Manfredo; nostiq. prolem, Picum, Pium, Papazzum. An quempiam latet, post Constantij in Italiam aduentum, & Manfredi ad eum in Aquileiam Legationem, agnitam fuisse filiam, & genero Comitatus, & Marchionatus titulo,

quicquid

quicquid agrorum Pado, Penaro, atque Secia fluminibus intercludebatur, perpetuo Romanorum Imperatorũ patrocinio fuisse traditum? Sed Concordiæ, & Mirandulæ ditionem quam idem Manfredus propagauit, ex Alexandro illustrissimo Principe, Aurati Velleris Equite, in quo nobilitatis, & virtutis stemma coaluit, noscito; quem Neapolim, dùm hæc scriberem venisse ex Alexandro Viustino, Cæsaris Estensis Serenissimi Ducis Mutinæ, ac Rhegij, eius Principis soceri, procuratore audiui, nec videre licuit, vt venerarer. Quid Pici ingenio prodigiosius? Philosophiæ latices non primis labris gustauit, sed profundissimè hausit, non modò vt Aristotelem à Platone non dissentire ostenderet, tunc potissimùm cùm de Ente, & Vno differit, & cùm præsertim in Platonicis, diuinum Picum dicamus; sed vt aliorum Philosophorum doctrinam, qui in Arabia floruere, Auerrois, Auicennæ, Alpharabij, Auempatenis, Isaaci, Abumaronis, Moysis, & Mahumetis; & eorum qui apud Græcos eandem Peripateticorum sectam professi sunt, Theophrasti, Ammonij, Simplicij, Alexandri, & Themistij, præ oculis, præ manibus, doctor potiùs, quàm auditor demonstraret. Quantum verò in Platonica doctrina viguit, quam cum Plotino, Porphyrio, Iamblico, Chalcideo, Proclo, Litio, & Adelando examinauit? Et quàm illustria dogmata in noua Philosophia introduxit? Nihil respuit Mathematicum, vt vel cum Pythagora concertaret. Nihil renuit Chabalisticum, vt secretiora mysteria, veluti Aegyptiorum, Hebræorum, Chaldæorum sacris initiatus; & ad Magica traductus, vel cum Zoroaste contendit, vel ex hymnis Orphei, secretam diuinarum, & naturalium rerum sapientiam studuit perscrutari. Quid profecerit in Theologicis, doceant sex dierum opus, & arcana, quæ in Moseos voluminibus recenset, quem cum Platone Attico Mose à Numenio appellato, huiusmodi conciliat, vt quæ Salomon Naturæ rerum interpres, ex Mosaicæ Legis penetralibus acceperit, quæ Philon, Empedocles, & Democritus elucubrarint, quæ Hermippus à Pythagora ad eandem Legem translata affirmat, acutissimo intellectu cum vetere illa Theologia sapienter expoliat. Cum Chaldæis, quàm varia sentit? Cum

Chaba-

Chabaliſtis, quàm abſtruſa pronunciat? Cum Mercurio Triſmegiſto, quot priſcorum placita dilucidat? Sed Apologiæ labores attentè euoluas. Theologorum omnium habes ſaniorem doctrinam, qua eruditum, laborioſum, inſignem, Chriſtiana pietate præclarum, & Catholicæ Eccleſiæ propugnatorem admiraberis. Quid blacterant inuidi? At ſi hæc omnia ignoraſſet Picus, & hoc tantum conatus eſſet, vt vanas Aſtrologorum fabulas obliteraret, quibus & Philoſophia corrumpitur, & Medicina adulteratur, & roboratur ſuperſtitio, & fouetur Idolatria, moreſq. polluuntur, atque cœlum afficitur contumelijs; quis doctior, aut prudentior eſſet exiſtimandus? Memoriæ felicitatem quis deſcribet? Diſceptandi facilitatem quis depinget? Corporis in eo rara venuſtas. An laſciuiam ea de cauſa exprobras? Cui tamen vitæ ſanctitatem, exacta adoleſcentia non producis? Celer commentando. Velox ſcribendo. Officijs familiaribus creber. Vultu ſemper placido, & miti natura, qua omnium animos alliciebat. Omnium Doctorum familiaritate vſus; duorum præcipuè, Politiani, & Ficini, ad quos refertas ſalibus, & doctrina ſcripſit epiſtolas, quas etiam hortatorias perſæpè ſcripſit, vt patris officio cum varijs amicis perfungeretur. Quæ tanta in eum beneficia cœlum contulit? nobilitatem, Principatum, diuitias, pulcritudinem, diſciplinas, linguarum peritiam, comitatem, mores, omnium gratiam, perennem famam. En, Mors omnia turbauit, atque protriuit. Secundum & trigeſimum ætatis annum agebat, cùm Florentiæ fato ceſſit, anno 1494.

## Pinti.

*Occluſo ore ſile ne mea, fare age*
*Muſa, expelle moras. vt coluber pigra*
*Ibis Niliacus fœtidi ab alitis*
*Penna contactus, manes?*
*Surge, & da lacrymas iuſſa VIVSTINO,*
*Cuius dat fidei Dux ſua Mutinæ:*
*Nunc par eſt numeros fundere cum Roſa*
*Pæſtanis lecta iugis.*

PICVS,

*PICVS, qui Oenotriam Pallade, qui plagas*
*Terrarum decorat quòt videt astrifer*
*Mons: hac nobilium PICVS auùm nepos,*
*Regnante exortus Ioue:*
*Auro est cuius opus nõ pretiosius,*
*Quin mille ingenij, artisq. volumina,*
*Excelsis domibus lecta potentium,*
*In cunctis Regum micant.*
*Hac est PICVS humo flos sapientium,*
*Hac splendor iuuenum patre satus tholis*
*Auratis, populis diuite & omnibus*
*Caris fortunæ bonis.*
*Sex post lustra abijt, monstrum in honoribus,*
*Monstrum diuitijs, & specie genæ,*
*Monstrum luminibus mentis, bonos suæ*
*Natalis MIRANDVLAE.*

---

## Scotinus.



Lterum Pico non absimile monstrum nostris temporibus Natura protulerat, quem Scotinum dicebant, generis, formæ, virtutum excellentia nobilissimum. Genere, ex Scotiæ Regibus originem ducens. Corporis præstantia adeò excelluit, vt ad eius amores intuentes cogeret. Virtutibus, ea omnia assequutus fuerat, quæ eminentiori quadam gloria, præstantissimos viros ad immortalitatis nomen post hominum memoriam euehere potuisset. Vix vigesimum secundum annum attigerat, cùm viginti Idiomata calluit, quibus loquebatur, dictabat, scribebat; tanta memoriæ felicitate, vt obliuionem prorsus ignoraret. Quamobrem de quauis proposita materia disputabat acriùs; & cuique disciplinæ, vt consultum præbebat ingenium, sic etiam præmeditatum iudicium adhibere poterat, atque censuram. Quæ pro perspicuitate responderi poterant, in promptu habebat, occulta, 68

& in-

& inuoluta parata quadam celeritate aperiens, vt nihil recondita Philosophia admirabile absconderet, quod veluti ex apertissimo ærario non promeret explicatum; nihil Hebræorum scholæ Chabalistica scientia retinerent, quod veluti in sua officina repositum non ostentaret. Apud multos Principes, gratia plurimum potuit, quibuscum versatus, multa suæ virtutis exempla edere non recusauit. Saltatione, cantu, fidibus, alijsq. Musicis instrumentis doctissimus. Tractandis armis ità solers, vt Heroem diceres. Ità demum omnibus disciplinis, artibusq. præclarus, vt spirituum familiaritate præstigiatorem, non studio, & labore curiosum, ea comparasse omnes ferè arbitrarentur. Heu, cruenta Mors præcocem fructum diuellit. Mantuæ, dùm noctu ad cuiusdam mulieris portam caneret, occisus est.

Pinti.

*Docte, & insignis specie SCOTINE,*
*Cui est decus Regum Scotiæ propago,*
*Mantua, hoc, olim stupor inquiline*
*Condere busto?*
*Ille, cui tantum placuit virago,*
*Cuius ardebas oculos, præusto*
*Pectore, heu pro qua miserè est imago*
*Perdita vita?*

---

## Adrianus Turnebus.

69 *Ex fimbria vestem cognoscis!*



Rcana doctrina pectus huiusce viri imbutum dicas, quod tàm docta, tàm varia promere cultissimis laboribus studuit. Ergò, ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκεις; Et a multis, quæ congessit, & ab omnium doctorum vocibus, quæ vbique terrarum eius nomen referunt, non verè illustrem appellaueris? Quid Turnebo illustrior? Percontare ex Lutetia, quò ex Tolosa, Tusano vita functo successor appellatus, quid ad rem litterariam propagandam, atque illustrandam omnium disciplinarum generibus non præstitit? Quid pollutum,

aut

aut deprauatum ab eo purgari non intellexit? Ex quo fonte vberiore ex Sequana, an ex eius ingenio emanasse dices, dùm orabat, explicabat, scribebat? Dùm cum grauibus erat auctoribus; aut ludebat cum Musis? Repetant quæ nationes sub Sole eius scripta admiratæ (vt ad Stephanum Turnebum filium in suprema Francorum Curia amplissimum Senatorem, narrat Lazarus Zetznerus) gratæ memoriæ celebratione adhuc testantur. Repetat Scæuola Sammartanus, quem Franciæ Quæstorem Petrus Ronsardus ad Buisium scribens, illius sæculi Poëtis antepostuit. Is *ex Andalia Rotomagensis agri oppidulo natum*, Turnebum scribit, *tanti viri natalibus in posterum nobile*, & totius Galliæ doctissimum nominat, & detestatur æmulos, qui quòd incredibilis ad ceteras virtutes accedebat viri modestia veluti opprobriũ objicerẽt, quòd virginali ferè pudore vultum demissum gereret. Quis verò ingentes, & acres nouerat spiritus? Repetat Genebrardus, qui eum in Græcis præceptorem habuisse gloriatur. Tùm Ledegarius à Quercu, *qui amorem, gentis ornamentum, Galliarum dulce decus*, nominat. Indefessos laudat sudores, ingenij diuinitatem, memoriæ felicitatem, iudicij acrimoniam, in disciplinis progressus in summo Oratore, summo Poeta, summo Philosopho extollit. In arithmeticis, geometricis, astrologicis, musicis, geographicis, Romanæ antiquitatis, Latinæ, & Græcæ linguæ scientissimum, Peripateticis explicandis Alexandris, Themistijs, Simplicijs; Platonicis enodandis, Theophrastis, atque Plutarchis parem celebrat Dionysius Lambinus. Atqui inter summos nostri sæculi litteratos nitet. Emicant Commentariorum in Ciceronem, in Varronem, in Horatium, in Plinium radij. Emicant in versionibus aliquot Aristotelis librorum, Theophrasti, Plutarchi, Philonis, Demetrij, Arriani, Oppiani. Quid quòd, Ciceronis Paradoxa in linguam Græcam vertit? Emicant in Opusculis, Orationibus, Præfationibus, Epistolis. Quàm splendidè lucet in Poëmatibus? Quàm variè ad omnem disciplinam in Aduersarijs, varijs explicandis auctoribus, grandior, & locuples est? Quid obijcis? vocum mutationes, interpunctiones, prælectiones? Hoc ingeniosi viri est, & curiosi,

& eius, qui genuinas proprietates elicere, in lucem dare conatur.

St. Paschasij.

*Quod, Turnebe, tibi doctoq. proboq. pioq.*
*Solennes rarus soluerit inferias,*
*Ne culpæ adscribas doctisq. probisq. pijsq.*
*O raros inter vir numerande viros.*
*Nam quid in astra iuuat tumuli tibi ducere sumptus,*
*Quem certum est seclis viuere perpetuis?*

---

# Petrus Chrysologus.

70 

Inguæ Italia in Chrysologo contulit, quod ori in Chrysostomo Græcia tribuit. Aurum non ex Pactolo, sed ex facundiæ flumine mitti ex illius lingua, ex huius ore intelliges; sic tamen, vt quæ Chrysostomus vastè profundit, Chrysologus auidè hauriat, vt legentes ex fluminis capite in fontem deriuatam aquam iocundè perpotent. At Pygmæum cum Gigante confers? Næ Pygmæus hic scriptione exiguus, Gigas est à Diuo Cornelio Episcopo optimè institutus; à Beatissimo Sixto III. Rauennatis Ecclesiæ Archiepiscopus adlectus; qui Concilijs Rauennati, & Romano interfuit, ad Chalcedonensem Synodum aduersus Eutychem litteras dedit; & tandem perfuncto sexaginta annorum Pontificij munere, sanctitate claruit. Non multo post Chrysostomum vixit, cui vt nomine proximus, sic orationis co-ia, & vocum grauitate simillimus, dùm linguæ plectro, & eruditionis cythara suauissimos in Homelijs obloquitur numeros. in quibus quò breuior est, atque cōcisior, eò grandiorem sententiarum pondere, & coactæ phraseos maiestate iudicabis. A deductione, & translatione verborum tàm longè proficiscitur, vt Christianam puritatem, sinceritatemq. nihil præterea æmuletur; cùmq. violentiorem interpretandi rationem subterfugiat, limpidissima simplicitate fluit, nec nisi ex tempore auctoritatibus

ritatibus vtitur ſcripturarum, quaſi multorum vſum deteſtatus, qui illuſtri, ſed inutili pompa centones confarcinant, à Catholici Oratoris inſtituto decedentes. In ea profectò re admirabilis, quòd dùm dictionis illecebram aſpernatur, eadem adhibitis gratia, & venuſtate, animum irretit, & capit, & nunquam ſatietatem parit. Nunquam confuſis æſtibus in varietatis mare iactatur, ſed auram ſectatur placidam, littus legens lembo moralitatis; ità verò, vt ex ipſo littore, vnica dictione, orthodoxæ pietatis, & Euangelicæ virtutis profundum liceat intueri. Clariùs in eo Latinum idioma enituit, cùm potiſſimum Gotthorum ætate floruerit. Apud Forocornelienſes (Imolam dicunt) natus eſt, & excesſit è vita. & iuxtà glorioſi martyris Caſſiani corpus ſepultus.

F. Bonauenturæ Genocchij Carmelitæ.

*Dicitur obryzo tibi Petro nomen ab auro,*
*Aurea quod flueres ore fluenta dari.*
*Aurea ſint igitur licet atramenta, papyrus,*
*Pluma, &, quod laudet, cuderit arte Mydas.*
*Haud tibi maiores referent hæc aurea laudes,*
*Quàm quos ex auro nomina ducta dabunt.*

---

# Cornelius Tirobofcus.



BRixia doctisſimo gloriatur viro, quem Theologia primùm, mox Philoſophia, Laurea accepta ab Illuſtrisſimo Cardinali Alexandrino, ad Relligionis Dominicanæ honorem coronat. Hic Cornelius ille Tiroboſcus eſt, quem proximè ad Cornelianam eloquentiam accedentem 71 efferimus. Quem Venetiæ, Ancona, Bononia, Mediolanum publicè quotidianis laboribus legentem, ornatisſimè dicentem, acerrimè diſputantem maxima cum ſua laude audiuere. Neapoli grauisſima ætate, laudatisſimis ſtudijs, lecturis, & concionibus floruit. In qua vrbe apud Octauium Aquiuiuum Cardi-

nalem Amplissimum Archiepiscopum, princeps Theologus electus, & adscriptus, veluti etiam Anconæ Fidei Orthodoxæ negotijs ob vitæ integritatem, & doctrinæ columen præfuit. Ab Episcopo Fundano, quòd apud Carthusianos Neapoli legendi fama percrebuerat, ad Canonicos sacris litteris instruendos est accersitus. Antithesi de Beata Virgine, & Eua Italis versibus edita, eruditionis plena, Commentaria in D. Thomæ summam, aliaq. quæ ad Theologos, & Philosophos pertinent, est editurus.

## Pinti.

*Hinc vox, Italicè si spectes, prima figurat*
*Te trahere: inde picem Græcum idioma monet.*
*Næ trahis, & more, & lepido sermone, virorum*
*Corda, ac protecta relligione fide.*
*Bistonio vati idem sis, mihi crede; trahendi*
*Attamen haud ratio par ab vtroque venit.*
*Ille feram: trahis ipse hominem: illi sola voluptas:*
*Vtilitas tibi sed, dùm trahis, omnis adest;*
*Ipse Deum: canit ille Deos: tu vera: sed ille*
*Falsa: ille in siluis: tu facis vrbe moras:*
*Serui illi sensus: paret Regina canenti*
*Mens tibi; & hancce tenax pix velut vsque tenes.*

---

# Cornelius Mussus.

72 Loquentiæ flumen, nouus χειρονομος, sacræ artis dicendi campum irrigauit Cornelius Mussus Episcopus Bitontinus, quem veluti doctrinarum inuentrices Athenæ, Franciscana familia omnibus disciplinis enutriuit. Aruerat quidem facundia, & copia ornatæ orationis in Mayronibus, Hebronis, Vtinis, Licijs, eiusq. scholæ asseclis, qui licèt in doctissimorum hominum corona niteant, nullam tamen in dicendo exercitationis viam, neque aliquod artis præceptum arbitrati sunt; nec eam rationem studiorum attigerunt, qua adhi

bitis

bitis posteà Doctoribus, lectisq. libris Oratorum, alij quibus Cornelius facem prætulit, incredibili quodam concionandi muneris studio flagrauerunt. Is primus, in quo eius artis venustas inuenta est, & perfecta; in quo non solum eruditione libero dignam, & electione conformatã audiuimus orationem, sed etiam constructione verborum admirabilem, & in eius oris figura compositam, & corporis compositione nobilissimam, ad motus, gestusq. quibus decor omnis coniunctus inerat, è scholæ tenebris difficiles, subtilesq. quæstiones eruit, & in facilitatis, & intelligentiæ lucem eduxit, vt ea de quibus disputaretur obscuriùs, cùm essent ornatiùs explicata, & planiùs expressa, omnium mentibus clara, & perspicua innotescerent, & ingeniorum sterilitatem, ad Euangelicæ perfectionis, & Christiani cultus propagationem, fœcundarent. Elangueret pro rostris in Romano Senatu, vel Foro, vis, & vbertas Hortensiorum, si Cornelius audiretur in pulpitis, qui cumulatissimus laude Orator effectus, rerum magnarum, atque artium scientiam consequutus, nec motu vastus, aut agrestis, nec voce absonus, nec lingua hæsitans, persuadendo suauiter, acutè differendo, artificio distinctus, varietate diues, elegantia expolitus, sententiarum pondere elatus, non homines modò, sed etiam feras allicere valuisset. Certarum rerum, quæ ad Fidem faciunt, Theologicis cancellis circumscriptam veritatem, cum omni grauitate, & iucunditate expiicabat. Nunquam tenuis, aut exiguus, vel si ad ima descenderet; quid faceret cùm ad sensus animorum vel inflammandos, vel extinguendos, humani generis mores, atque naturas grandis, & incitatus, alter Hyperides, alter Dinarchus, alter Demades, actionis dignitate, sermonisq. magnitudine peruestigaret? Vt benè diceret, memoriter ediscebat. Nunquam enim ad concionem accessit, quin ea quæ scripsisset, memoriæ mandata recitaret. Ergo ne Orator erit, qui cùm antè hominum conspectum venerit, & eruditorum hominum, & eorum quibus procliuia de alijs iudicia enascuntur, erit fortuitò loquuturus? An illustris dicendo erit, qui præcipitante lingua feretur ad ridicula, cùm temerè, & effrænatè impulsus, ieiunis conceptibus marem ne, an feminam pepererit, ignorabit?

ignorabit? Nectar eliciebat ex Patribus, quod non Stoico more gustatum, sed Theologico potatum, suauissimè omni animum hilaritate perfunderet; & quòd cum ijs versari assuesceret, cùm ijs quoque loqui dicendo non recusauit; maluitq. dùm eorum sententias, integras periodos verteret, apum furto notari, quàm magniloquæ, & raræ dictionis, quæ in Patribus claret, salubritatem perdere, vt de Attica dictione Oratorum Princeps loquitur Cicero. Quamobrem vt semel ex eius ore, veluti ex Piręæo, eloquentia euecta est, omnes peragrauit orbis locos, & dicendi artem sacros Oratores edocuit, qui à Cornelio penè loqui didiscerent, quem in celeritate copiosum, in maiestate pressum, in rerum inopia, in qua sæpius Oratores egent, redundantem, nec Asiaticum dixeris, nec Rhodium, nec Atticum, sed in omnibus Oratoribus vnum Oratorem, qui non vt Lysias paucos, sed cuiusque generis homines, vel mortuus habeat laudatores. Quid Valerios, & Dictatorem, & Potitum, in sedandis discordijs; Appium Claudium in inclinatis animis reuocandis; C. Fabricium in recuperandis captiuis; Titum Corruncanum in Pontificum Commentarijs, cum Cornelio conferes, qui omnem iniuriarum furorem Christiano dogmate mitigabat; ex omni scelere, ex omnibus vitijs tanta efficacia reuocabat, vt mores inuerterit nimia licentia corruptos, è postribulo deduxerit scorta; in sacrorum Canonum libris, Apostolorum Constitutionibus, Conciliorum Oecumenicorum actis, ità versatus, vt vno periodi gyro, omnem Ecclesiasticam disciplinam complecteretur? Quis cum Catone conferet quo grauior in laudando, acerbior fuit in reprehendendo, & in edisserendo subtilior? Quis cum Theopompo, quo altior; cùm Demosthene, quo propter Religionem augustior? Felices, qui Cornelium dicentem audiuere. Ascendebat in pulpitum; expectationem concitabat. Subleuabat oculos; rapiebat. Indicebat silentium; excitabat. Loquebatur; delectabat, docebat, mouebat. Longus erat; breuior existimabatur. Discedebat; nihil iniucundius nunquam saturis auditoribus relinquebat. An ipse dicam de Cornelio ad saturitatem? Quid in corpusculo illo, in scamnorum angustijs, quæ pedibus in pulpitis suberant,

ſuberant,non fuit admirabile,auguſtum? In ijs quæ ſcripſit,tanta rerum ineſt,& verborum proprietas, vt legentes vocē audire arbitrentur.Ea re aliquantò ambitioſior,quem virtutū ad ſupremæ dignitatis honores euocabat. Ad quos cùm non perueheretur, dixiſſe ferunt, *Magnum ſe detrimentum Eccleſiæ facturum.* Cùmq. ex eo ſciſcitatum fuerit, quonam pacto id fore minitaretur? Reſpondit; *Tacendo.* Erat in reprehenſionibus liber, & in quoſuis graues Præſules verbis animaduertebat. Ceterùm comis cum familiaribus ruſticabatur ea humanitate, quæ Antiſtitem doctrina præclarum decebat; vt omiſſo Cethego, de hoc Cornelio fuerit vaticinium,

*Additur Orator Cornelius ſuauiloquenti*
*Ore -----*

Concilio Tridentino adfuit.Alexandro Cardinali Farneſio vixit chariſſimus. Placentiæ natus,Romæ fato ceſſit. Extat ex eius familia Hippolytus Muſſus Sancti Inuenti Archipresbyter, virtutum Cornelij æmulator.

Pinti.

*Quid noua portenta hæc? ſtellæ quid vultus in vrna?*
*Oſſa boum capti quidve recurua notant?*
*Cornua Niliacus ſapiens dat ſigna laboris,*
*Prove illi eſt cæli lucida flamma, Deo.*
*His ab imaginibus decoratur iure ſepulcrum*
*Præſulis, & Muſſæ gloria prima domi.*

# Ioannes Vollarus, & Franciſcus Pannicarola.



Doleſcens Ioannes Vollarus Neapolitanus in Franciſcanam familiam ſe abdidit, & Ioannis Luberæ,qui Profecretarij munere fungebatur, adiumento, dùm in D. Mariæ Nouæ degeret (nouerat enim perpolitum ingenium, additis pennis, ad ſublimia volaturum) tantum Theologicis 73 74


logicis ſtudijs profecit, vt inter primos in ſua Religione habitus fuerit. Mox vt præclaros conceptus multis vigiliis meditatos parturiret, aſcendit in pulpita, & eximii Oratoris imaginem repræſentauit. Expectationem adduxit, deſiderium vbique locorum tota Italia concitauit. expectationem piis tuebatur laboribus; deſiderium dicendi generis eximii igniculis fouebat; qui adeò creuere, vt quiſque Vollarum audiendi cupiditate arderet. Sed animorum furem dicam, & mentium raptorem. Rapuit Franciſcum Pannicarolam Mediolanenſem, nobilem genere, qui iàm grandior ætate, ſæcularibus ſtudiis inſignis, ſemel audito Vollaro, ſæculum repudiauit, tantoq. viro & Relligione, & familiaritate coniunctus, eiuſdem gloriæ æmulus, egregiè Theologicis arcanis inſtructus, in Oratorum arenam deſcendit. Profecit dicendo; vicit opinionem; & neminem præter Vollarum habuit æqualem; quem tamen Magiſtrum tanta reuerentia honorauit, vt ſi quò fuiſſet accerſitus vbi ille prædicaret, quouis propoſito præmio, abnueret, nihilq. liberius affirmaret, quàm quæ Vollaro deberet, vllo vnquam tempore eſſe intermoritura. In pari verò amore, qui inter eos intercedebat, diſpar cognita rerum ratio eſt. Tardiori enim memoria Vollarus, oleo tempora illinibat, vt quæ dicturus erat, facilè retineret, quamobrem & dentes decidere. Eandem veluti theſaurum, infinitarum rerum perceptione, Pannicarolæ natura tribuerat, vt quæ vnico intuitu legeret, recto, vel præpoſtero ordine, nulla interpoſita mora recitaret, ſedatus idcircò Vollarus, qui oris maieſtate, corporiſq. habitudine, grauitatis ſimulacra quibuſque verbis, qualibet actione edebat. Vehemens idcircò Pannicarola, cuius oratione memoriæ præcurrente, rapidè fluminis inſtar inter floridas venuſtatis ripas ferebatur. Pauca Vollarus ſorbenda auidis auribus propinabat. Vberrimè Pannicarola multa haurienda fundebat; vterque nihilominus alienam ſitim expleturus. Nunquam lacrimas ille petiit, ſemper elicuit. Mollire hic neſciebat lacrimis, quæ in grandioris orationis ardore areſcebant. Pietate alter, alter doctrina flectere animos nouerat. Dùm verò alliceret Vollarus, oblectabat Pannicarola.
dùmq.

dùmq. vnus reprehenſione fauciaret, alter vulnera cœleſtis Aeſculapius, politico Chriſtiano regimine obligabat. Nihil fictum in Vollaro; nihil inane in Pannicarola. Quod ſi quis numero in illo capi animaduertebat; in hoc omnium rerum nexu illaqueari non ignorabat; nec alteruter vnquam præfatus eſt, quin magna auditoribus promitterẽt,quæ eſſent ſumma cum eorum laude probaturi. Nec quiſquam abſoluto ſermone diſceſſit, quin poſtridiè maiora expectaret. Quæ ex vno proficiſcebantur, Alexander de Ales diſciplina, rerum varietate Plutarchus ſuppeditabat,ex eorum enim officina Vollarus cuncta depromebat. Quæ ex alterius Marte prodibant, ornatiore ſupellectili, omniũ Auctorum laboribus, videbantur comparata, cùm adeò ſe diuitem Pannicarola varia lectione præbuerit,vt aliorum defectibus ſuppleuiſſe,fuerit exiſtimatum. Nunquam abſterrebat ſecuritas in Vollaro,nunquam corrumpebat facilitas. Nec intemperanter poteſtate abutebatur Pannicarola, nec ad inuidiam ſupercilium oſtentabat.Sed quæ Vollarus ex ſtudijs aſſequutus eſt,voce tantum propalauit; Quæ Pannicarola & voce diſſeruit, & ſcriptorum memoria ſeruauit,ſermones enim Quadrageſimales,in Paſſionem Dominicam doctiſſimos edidit, tùm prætereà in Hæreticos inuexit, & magnæ ſibi gloriæ tribuit, Annalium Illuſtriſſimi Baronij fuiſſe compilatorem. Vollarus cum ad Anſanenſem Archiepiſcopatum aſpiraret, Neapoli in Crucis templo ſepultus eſt. Pannicarola iàm Aſtenſis Epiſcopus, cum omnium dolore deceſſit.

## Pinti.

*Hoc Crucis in templo requieſcit Vollarus vrna,*
*Hac Franciſcanæ gloria ſumma togæ.*
*Quòt mala perpeſſus ſcelera hic quot flexit ab Orci*
*Tramite, diuinos dùm dedit ore ſonos?*
*Næ ſatis hoc Franciſce tuus perfloruit Ordo,*
*Nominis hinc ortus Pannicarola tui eſt:*
*Iamdudum hic obijt, ſed adhuc pia pulpita lugent,*
*Viuus & vſque virum viua per ora volat.*

# Antonius Sanfelicius.

75  Mœnissima Italiæ pars Campania, inter illustres scriptores, Plinio, & L. Floro veriorem (vt qui patrium solum optimè nouerat) Antonium Sanfelicium monachum Chorographum habuit. A puero mirificè terrarũ cognitione fuisse delectatum, ipsemet testatur. Sed satis fuisse arbitratus est, si Italicas vrbes cum Higino, & M. Porcio Catone, quorum labores periere, descripturus, vnius modò Campaniæ imaginem tota Europa exquisitam repræsentaret, quæ licèt exigua in hac orbis parte cernatur, maxima tamen cultis, doctisq. coloribus effecta, eò felicior prædicatur, quòd Sanfelicium habuit depictorem; quem nec videas

*Fingentem immanes Læstrygonas, atque Cyclopas,*

sed amœna littorum, sinuũq. placidos recessus, salubres aquas, vitium, arborumq. luxuriem, camporum felicitatem, oppidorum numerum, nobilitatemq. ità describentem, vt suæ Campaniæ præconio apud exteros celeberrimus euaserit, & cùm de illustrandis regionibus agitur, primus in litteratorum consessum aduocetur. Ad Plinij Secundi vberem, sed breuem facundiam accessit, qui Latinæ orationis copiam profundens, nunquam à rerum proprietate digreditur, vnico versu historiarum volumina complexus. Epigrammatum scriptor elegantissimus, quorum vno in D. Anelli Neapolitanorum templo pro Andrea Alexio elatus est quantum suis Catullus potuisset gloriari;


*Quæ miser imposui lugubria saxa sepulcro,*
*Mi pater, innumeris accipe pro meritis.*
*Quòd si marmoream licuisset sumere formam,*
*Te natus tegeret non alio lapide;*
*Incisæq. notæ legerentur; Gratus Alexis*
*Reddidit ossa patri, sitq. patri tumulus.*

Pinti.

*Felix, qui potuit patriamq. genuſq. togatum,*
*Et iactare animi munera magna ſui;*
*Felix, qui valuit cauſſas exponere rerum,*
*Et qui diues erat ſat pietatis opum;*
*Felix, qui Phœbi meruit geſtare corymbos,*
*Atque ſuum lauro ter redimire caput;*
*Felix Campanæ ſcriptorum gloria terræ,*
*Omine felici ſub requieſcit humo.*
*Nomine, flos niger eſt, Felix cognomine: felix*
*Ex meritis (ſpes eſt) incolit ille forum.*

---

## Angelus Conſtantius.



Onſtantiorum nobilitati, quæ multis hono- 76
rum dignitatibus Neapoli iam indè cùm è Germania Chriſtophorus Conſtantius aduenit, ſemper claruit, Angeli virtutes maximo ornamento fuere. Is poëtices ſtudijs deditus, tantum profecit, vt inter primos ſuæ ætatis ſcriptores numeraretur, qui

*Adſciuit noua, quæ genitor produxit vſus*
*Vehemens, & liquidus, puroq. ſimillimus amni*
*Fundit opes. Latiumq. beauit diuite lingua.*

Naturali facundia, & puritate Lyrica fudit carmina, Poëtarum Principem Petrarcam imitatus. Rideret profectò horum temporum calamitatem, quæ ſeſquipedalibus verbis, tubarum quaſi clangores obſtrepentibus, omnem candorem deturpauit, ingenitiq. ſpiritu quo res efferre conatur, & deliniri patitur aſperitatem, & ſuaui quodam ſtylo, qui genus illud ſcribendi decet, legentium animos permulceri. Cùm ad ſenectutem perueniſſet quam frigidam ignes amatorij lambere nequeunt, conſcribendæ hiſtoriæ incubuit, in qua dùm Neapolitanorum Regum geſta pertractat, nobiles Neapolitanos in antiquam fidem vindicat, qua eos caruiſſe perperam, & malignè Collenuccius notauit.

Erat Cantalupi in Samnitibus, cùm eam rudiùs texeret, vt Neapoli (quod fecit) perpoliret.

### Pinti.

*Dùm tua nobilium decorat te plena virorum*
*Gens: nihil est genus vt Regibus inuideas:*
*ANGELE dùm dulces Petrarcæ imitare Camœnas:*
*Temporis æterni tunc tibi pignus alis:*
*Constanti subitos reprimis dùm corde furores:*
*Σπεῦδε ἀεὶ βραδέως quàm pia verba decent:*
*Musa quid extinctum alloquere? hac somnum capit vrna*
*Angelus, extremas Angeli ad vsque tubas.*

---

## Isaacus Casaubonus.



77 Iale conuiuium dùm parat magnifico antiquarum rerum apparatu Athenæus Græcorum doctissimus, frugalem apponit cœnam, earundem penè rerum appendicem Isaacus Casaubonus à Gallis ob eximias virtutes plurimi faciendus. Multa quæ in illius Conuiuio desiderabantur dapes, huius diligentia, & solertia conquisitæ, in secundam Mensam allatæ fuere tanta cum conuiuarum voluptate, vt nunquàm, licèt lautè cum Athenæo cœnitarunt, absque Casauboni ferculis exatiari potuisse iudicauerint. Quæ narro? mancum vidisses in Athenæo Triclinium duobus prioribus libris, tertij principio, & vltimi magna parte deficientibus, nisi Aldus emendatarum ille litterarum parens, Masuri Cretensis adiumento fulcire studuisset. Sed nihil eo turpius iudicasses, nisi reiectis aliorum traductionibus Animaduersionum exacto iudicio Casaubonus multo labore aptasset, exornasset, atque ità vt diuina Critice, & Græca, & Latina reddiderit meliora. At verò in hisce in Naucratitam Auctorem lucubrationibus triumphare Casaubonum dixeris? Lipsius æuum ab hoc viro illustrari scribit, & fugitiuas

è Gallia

è Gallia ſiſti Muſas; tùm ſi Lutetia Orbis theatrum, illum habuerit. In hæc demum verba iurat,

Ἤ σέγε μῦσ' ἐδίδαξε Διὸς παῖς ἢ σέγ' Ἀπόλλων. *Vel te Musa Iouis proles docuit, vel Apollo.*

Librum de Critica legito. Non volgiuagas profectò narrationes animaduertes; ſed eas quæ ſpiritum afferunt ſtudijs litterarum; & quibus Hebræorum, Latinorum, Græcorum arcana penetraſſe eruditiſsimum virum intelliges, qui omnem Hiſtoriam, Philoſophiam, Iuriſprudentiam, Philologiam excellenti quadam ratione rimatas, in præſtantium Europæ litteratorum Album relatus eſt. Legito ſcripta in Suetonium; in alios auctores annotationes. In Polybium promiſſa expectamus.

## Pinti.

*Quiſquis Athenæo maius ſtudet addere lumen,*
*Dictaq. ſub memori condere docta ſinu.*
*Mirari quicunque cupit bona mentis Iſacce*
*Te ſatis auditum Galle diſerte legat.*
*Quis Critica appoſuit melius, coluitq.? quis abſque*
*Mendoſis ni tu dat monumenta locis?*
*Extinctum nondùm pleno te Lypſius ore*
*Laudibus ad ſuperos prouehit vſque larus,*
*Quicquid in hiſtoricis ſpectata claſſis es vſus,*
*Perfice: te nemo eſt clarior hiſtoria.*

# Hieronymus Olzignanus.



Ec ex hac tantorum virorum Academia explodendus Hieronymus Olzignanus, quem ex quattuor in Patauino Collegio electum, à Carolo Cæſare maximo, Friburgum ad legales lecturas honeſtiſſimè accerſitum, plaudētes Germani, qui doctorum ingenia admirantur, ſummis honoribus proſequuti ſunt. Cuius fama cùm per omnium aures, tùm præcipuè Imperatorias percrebuiſſet, celerrimè tanto Principi charus eſt renunciatus; cuius amoris cumulus tunc libera- 78

liberaliter factus est, cùm eius virtute cognita, Consiliarium, atque Regentem in Belgiam misit. In eo munere illud sibi noluisset obtigisse, vt contrà Egmondanum, & Hornensem Comites, in aliorum Iudicum sentētias, instante Fisco Ioanne de Bois, pro suo Rege, & pro Fide Catholica, de Christiana Rep. benemeritus Senator, pedibus iret, cùm Duce Albano in ijs Prouincijs Prorege capite damnati sunt, quòd conflatæ ab Auriaco Principe, alijsq. in Deum, Regemq. coniurationis socij, participesq. fuerint; quòdq. Margaritæ inclytæ, Senatui, multisq. priuatim persuaserint, ea quæ tunc gerebantur, non alia quàm dissimulationis ratione posse frænari, idq. è Regis, publiciq. status vsu euenire. Duas in eam rem Hieronymus luculentissimas Actiones ex processu erutas quanta facundia ex vetustis quispiā Iurisconsultis potuisset, conscripsit, in quibus omnis eloquentiæ thesauros aperuit, vt fatear paucos dicendo habuisse æquales. Aduerte sententiam. *Quod Regi, Proregi, pacatisq. prouincijs benè vertat. Egmondanus, Hornensisq. Comites, perduellionis conuicti rei, gladio medio foro feriuntor; vtriusque capita reste suspenduntor; eorumq. vniuersa bona Fisco adiudicantor.* Quid magis consultum, magis graue, & purius? Cui sententiæ Albanus Princeps subscripturus, lacrimabūdus ex Hieronymo, alijsq. Senatoribus sciscitatus est, *An ei quod olim Cæsari de Q. Ligario fecerat, libellum hunc proijcere liceret?* Et cùm responsum esset *non licere*, mœrens, gemensq. manu tremula, quòd neque anteà, neque posteà contigit, sententiæ subscripsit. Animi acerbitatem protestantes in Hieronymum è Belgia decedentem, incensa domo, & bibliotheca euomerunt. Sed vt eius gloriæ fructus augeretur, à Rege ad Lotharingiæ Ducem pro grauissimis negocijs Legatus missus est; omnibusq. feliciter confectis, eiusdem Regis iussu se Romam contulit. Indè Neapolim petere iussus, à Consilijs fuit. Propræside creatus, Præses fuisset, nisi in pristinam dignitatem Antonius Orificius esset restitutus. Mors viri indolem occupauit, cùm typis, præter cætera, *Receptorum moderatorum, emendatorumq. iudiciorum* opus graue, atque vtilissimū, vt Franciscus de Oddis Patauinus nepos retulit, fuisset mandaturus.

Pinti.

Pinti.

*Cæsareis animum decorauì legibus, auo*
*E' tenero, Euganeis proximus, atque Pado.*
*Regali, augusta, & iuuenis bene visus in aula*
*Consilij vsque fui plenus, & officij.*
*Me Belgæ coluere senem, Oenotrijq. tribunal*
*Quale meum fuerit dicite vos Comites.*
*E terris vario lustraui tramite cœlum,*
*Et Siren tumulo hoc nunc mea membra foues.*

---

# Antonius Posseuinus.




Lossemata, censuras, argumenta, coronides, 79
falsatos indices, appendices, corollaria, castigationes, antidota, veluti prauarum opinionum phalanges Catholicæ Ecclesiæ huius sæculi hostes instruxerant, cædes, rapinas, euersiones, Sanctæ Romanæ Apostolicæ Sedis vastationem minitantes. Iàmq. sese per Orientis tractum torrens infuderat, iamq. Lutheranismo, Caluinismo, Arrianismo, Transiluaniam, Poloniam, Lituaniam, Polociam, Liuoniam inundarat; Gothiam, Suetiamq. ab optimo instituto cursu alij Sathanæ satellites omnibus viribus retardare, & blasphemiarum veneno inficere, alij litterariæ rei ambitione, atque fastu Euangelicam veritatem euertere conabantur; cùm Antonius Posseuinus, litteratorum nostri temporis eruditissimus, ex Societatis castris, quibus fortissimi Christianæ militiæ Duces doctrina, atque moribus semper præsidio fuere, impauidus progrediens, responsionum thorace indutus, iudiciorum clypeo obtectus, examinis lancea armatus, adhibitis interim centurionibus Ioanne Cochlœo, Friderico Staphylo, Georgio Cradero, Fabricio Leodio, Alfonso Viruesio, Ioanne à Dauentria, Ioanne Hoffmeistero, Ruardo Tappero, Iacobo Latomo, Fontano Surio, Genebrardo, Lindano, Edero, Stapletono, Bellarmino, ipsoq. Antesignano Carolo Quincto Lutherum iugularunt, Zuinglium cæcidere, Carolstadium

dium trucidarunt, Caluinum transuerberarunt, quorum doctrina labefactata, diuulsaq. feces opinionum, fraudes fallaciarum, sordes insolentiæ propalauit. Habeat Posseuinus Ferdinandum Cæsarem, Galliæ Reges, Moscouiæ Duces, habeat Stephanum Poloniæ Regem Serenissimum laudatores quibuscum de grauissimis Christianæ Republicæ rebus multis lucubrationibus egit. Habeat omnium disciplinarum auctores, ad quorum lectionem sublimia ingenia instruxit. Habeat Græcos, Vngaros, Boëmos, Picardos; habeat totius Europæ, tùm Asiæ populos, quos saniori dogmate edocuit, quosq. ab Hæreticorum erroribus abducere voce, scriptis, nutu vigilauit.

Pinti.

*Musa te tollat mea, POSSEVINE,*
*Laudibus, fama super astra notum!*
*Exiges illud? celebret Camœna*
*Prima Maronis.*
*Exigis nostros numeros? reponam*
*In tui summum decus hosce: rara*
*Praeuales tantum pietate, quantum*
*Arte Mineruæ.*
*Nominis cœtum decoras IESV:*
*Mensa te gustat sapientis instar*
*Cecubi, mons quale ferat Sabellæ*
*Gentis opimus.*

# Robertus Cardinalis Bellarminus.

80 
Ommilitonem habuit strenuum Posseuinus Robertum Bellarminum aduersa fronte contrà hostes indefessis laboribus pugnantem, qui de Christianæ Fidei Controuersijs aduersus Hæreticos ob atroces, grauesq. in Ecclesiam calamitates quas impostor ille extremo mundi excidio allaturus est, Antichristo similes. Scripturas conciliat, traditiones

traditiones retinet, CHRISTI Naturas explicat, Pontificem Maximum tuetur, sacrorũ Conciliorum auctoritatem, Ecclesiamq. Catholicam contrà varium, & multiplex sacrilegorum hominum genus, admirabili fortitudine defendit. Quamobrem noui Arriani, noui Samosateni, Zuingliani, Caluinistæ, Melancthonici, Lutherani, Berengariani, Vualdenses, Albigenses, Vuiclefistæ, Confessionistæ, Anabaptistæ, ex hoc viro veluti ex Adamantina turri, mille clypeos ad tutelam pendere, mille tela ad interitum contorqueri, summo cum ipsorum impietatis dedecore, sentiunt. Quid verò? Cùm ex celsissima Relligionis arce manus conserentem Orbis Hierarcha vidisset, Galeri galea, & Purpuræ thorace indutum, in Vaticanum Capitolio illustriorem triumphantem summis honoribus excepit, extulit merito, dignitate honestauit. Armamentarium Bellarminus est, ex quo quisque cum Ecclesiæ hostibus certaturus, arma sumat. Nauis est qua cum inter fluctus, tempestatesq. perfidæ prauitatis tutò nauiges. Dicam hunc totius Academiæ ornamentum, vndè omnia disceptationum genera elicias. Dicam Patrum promptuarium, omniumq. Doctorum interpretem; sed omnium Historicorum ærarium, quod in libro præsertim De translatione Imperij aperuisse omnibus patet. Vitæ candorem in tanto viro huiusmodi quis probet, vt Archiepiscopatu Capuano se abdicauerit.

## Pinti.

*Si de te nihil afferant Camœnæ,*
*Rarum purpurei decus Senatus:*
*Satis te celebrem dabit volumen,*
*Et centum ingenio, ac tua Mineruæ*
*Orta, in queis pietas, Deiq. cultus*
*Notescit, cathedris pijsq. rostris.*
*An nomen sileam tui ROBERTE,*
*O BELLARMINIAE domus decoris*
*Pars magna, &. patriæ, tuiq. cœtus*
*Lux Ignatiadum dicati IESV,*
*Diua Agnetis honos, amorq. ciuis,*

*Cui tandem ſupera immanebis aula*
*Propinquus. ſed habe dies ſub altis*
*Iouis tegminibus diu ſerenos,*
*Sit quorum Atropos immemor; ſorores*
*Neant ſtamina. Tybridis per vndas,*
*Totaſq. Italiæ per ibit vrbeis*
*Tui Fama, & feriet polos remoto*
*Terrarum ſitu, vbique nominato*
*Te BELLARMINIO hoſtis extremiſcet*
*Quiſquis Chriſtiadum, Deiq. legum.*
*Quis docto, eximio, proboq. claro*
*Seni nomine non roget ſenectæ*
*Annos tòt quòt agit furens arenas*
*Fretum, quot ſiluis aluntur orni?*

---

## Hieronymus Cardanus.

81 X ſordido ſtatu, priuſquàm naſceretur, exilium expertus (abortiuum enim medicamentũ alieno mandato mater bibit, vt de ſeipſo in opuſculo de paupertate teſtatur) omnium doctrinarum apicem conſcendiſſe Hieronymum Cardanum dixerim, quibus non tantùm Mediolano, in qua vrbe ortus eſt, & Bononiæ, cuius Academiam illuſtrauit, ſed omni ferè Italiæ, in qua prouincia claruit, attuliſſe honores. Doctiorem fortaſſe eius non nouit ætas; ſed varium, ſed curioſum, ſed Naturæ arcanis perditè delectatum, vt ſuperſtitionibus ſe emanciparit. An dices in ſcribendo non fuiſſe cultum, cùm quicquid in buccam venerat, ſcripſiſſe viſus fuerit? In re Medica multus fuit; ſed quem perſæpè aliorum opinionibus aduerſari huiuſmodi animaduertes, vt illud ſibi ambitioſius popoſciſſe credas, vt appeteret laudem

*Eques ipſe melior Bellorophonte*
*Neque pugno, neque ſegni pede victus.*

Nec teduit in ſubtili rerum varietate ea narrare (num puerilia?) quibus

quibus ingenij acumen exerceret Scaliger. Accusas in eodem, genituras? Meritò. Mathesim ad naturæ auctorem transferre, quam vanum? Hem; tàm inani labore de CHRISTO nascente loqui? Quàm latè hominum prorupit audacia. Hoc verò illepidum condire eum iudicaui, cùm in Raimundum Lullium animaduertit. Quid facere potuisset præclarius, quàm nebulonem illum, litterarumq. parasitum ex doctorum cœtu explodere? Quid eo stolidius, aut spurcius? Quid Lullianorum asseclarum amentius? An & amentem Cardanum appellaueris in *Arte magna*, quas *Algebraicas regulas* dixit, & amentiorem in *Iudicijs Geniturarum?* Sanioris hoc ingenij iudicium esto. Scripsit præterea *De Immortalitate animæ*, *Contradictiones Medicorum*, *De Sanitate tuenda*, *De simplicium medicamentorum noxa*, *Commentaria in Ptolomæum*, *Arithmeticam*, *Arithmeticæ practicam*, *De vtilitate capienda ex aduersis* libros quatuor, quibus vt in omnibus excelleret, in Ethica praxi se versatum præbet, vt Mathematicus, Medicus, Orator eximius, Philosophiam quoque ex omni parte calluisse patefaceret.

**Incerti.**

*Non me terra teget, cœlo sed raptus in alto*
*Illustris viuam docta per ora virùm.*
*Quicquid venturis spectabit Phœbus in annis*
*Cardanos noscet, nomen & vsque meum.*

---

# Iouianus Pontanus.



ACademicorum eius ætatis Princeps hic est. 82
Ioannes ille, qui in Iouianum, nomen commutauit, factusq. alieni quoque nominis persuasor, Iacobum Sannazarium, Actium Sincerum appellari procurauit. Ceretum in Vmbria protulit, Parthenope in Campania enutriuit. Adolescentulus patria cedens (de seipso sic loquitur) propter ciuiles dissensiones, magna rei domesticæ iactura facta, ad Alfonsum

Regem in Etruria aduersus Florentinos bellum gerentem, se contulit. Haud multò post Neapolim venit. Litteris ibidem ità dedit operam, vt annos natus vix quatuor & viginti, etiam inter senes, eosq. qui in litteris consenuerant, excellere iudicaretur. Alfonso mortuo, cùm à Ferdinando eius filio arcesseretur, graui bello implicitũ plures annos grauissimis laboribus, atque ærumnis sequutus est. Alfonsum quoque filium, iubente patre. Quibuscum ità vixit, vt eorum causa, Panormithæ successor, pericula etiam non mediocria adierit. Nobilem se huiusmodi facit,

*----- moxq. sequutus*
*Arma tulit meritum primæ legionis honorem*
*Pontius, à quo etiam ducta est Pontana propago.*

Ambidextrum cernito, Lyra, & tuba canentem; illa nitidum, hac peregrinũ; enodi illa carmine; absoluto hac stylo, quo nihil aut facilius, aut elegantius. Lasciuire, & vagari Musas flosculorum corollis ab eo ornatas laudabis; mox easdem ad Heroum gesta, ad magnas res euocatas, non lembi varietate lepidas, sed vestium ornamento, & maiestate graues animaduertes. Quid ambidextrum dixi? Centimanus est. Felici omnia tentauit audacia. Et si versus scribit, quæ in ijs venustas, quæ hilaritas? quæ, materia volente, asperitas? Quis in hendecasyllabis candor? Quæ in Meteoris altitudo? Quæ in Hortis suauitas? Quæ in Elegijs comitas? Quis in Eclogis cultus? Quis spiritus in Epigrammatibus? Maxima cum dignitate, & copia cetera quæ voluit, calamo subiecit. Res Ethicas quàm variè, Politicas verò multorum exemplo, quàm sapienter disposuit? Quòd si quis & Historiæ Leges, & Poëtices iura, & totius Latinæ elegantiæ arcana perquirat, quæ non habebit recondita in Dialogis? Si verò Philosophiam voluerit perscrutari, quid est quod in scholis Eleatibus, Locrensibus, Tarentinis, & Latinè in Salernitana non explicat? Neque in hac postrema ambitiosum dicas; nec laudes à Neapolitanis, quòd eam vrbem in illa disciplina cum Calabria, Brutiaq. & Lucania conferat, voluisse aucupari affirmes. Vera dixit. Floruere in ea vrbe ingenia. Quis nescit? Quis Pythagoricam disciplinam ignorat? Mersit se profundiùs in rebus

coele-

cœlestibus; nec à Ptolemæi sententiarum gurgite emersit; tametsi hoc in libro à veritatis indagatoribus Theologis erratorum quorundam non immeritò conuincitur. Curiosior in ijs fortasse? Non nego. Sed cum ætate curiosissima, in eas ineptias illisit. In ea autem re maximus, quòd restincta antè sua tempora Latina lingua, eius laboribus cui nullo adhuc promptuario ductore si qua dicendi formula indiguisset, totus auctor fuerat perlegendus, adeò viguit, vt summus Latinorum diceretur. Nescio quid cū Græcis mussitauit. A Græcanico studio abfuit. Maluitq. Græcos auctores illudere, quàm Romanus non existimari. Acutissimo vir ingenio, sed amarulento, qui nemini lingua parceret. Charonticum dialogum testem habes. sic lingua, vt vultu austerus. Optimè dices, si mordacem dixeris, vt delectaretur

----- *Bioneis sermonibus, & sale nigro.*

At mordacitas illa est, quæ aliorum vitia notat? Quo pacto fluuius cùm erumpit, se contineat, vt arenarum fœces non prouoluat? Næ tu qui mordacitatem occupas, modestiæ obstruere videris. In tranquillissimo ocio constitutus (vt de seipso scribit) cœlitùm visus est sortitus vitam, villæ delicijs incubuit. Sacello ad D. Mariæ Maioris Neapoli ornando intentior, in quo multa marmoribus inscribenda epigrammata curauit, & in quo septuagenarius sepultus est. Vera eius effigies in marmore cernitur in ædibus Marchionis Arpaiæ, quas ipse cum vxore Adriana possederat:

## Pinti.

*Pons erat: argentum subter læto amne fluebat,*
*Et circum extructa turres: solamen Apollo,*
*Turba tuum: mæstum dabat aurea tibia cantum.*
*Venerat hùc vatum pro lauro cincta cupressu*
*Tempora sacra cohors: fractis cytharisq. lyrisq.*
*Sederat hic Siren, furua redimita corolla,*
*Quò, PONTANE, loci, clamans, quò pergis, amice,*
*Cultorum princepsq. virùm, Aonidumq. voluptas?*
*Nonne tibi Iouis imperio datur inclyta sedes?*
*Liquisti doctis voluenda volumina dextris,*

*Liquisti*

*Liquisti terris, notum super æthera nomen;*
*Hic summæ pietatis erunt delubra perenni*
*Fama, signa tua; Hispanis, Gallisq. Italisq.*
*Carus eris, nunquamve diem tua Pallas obibit.*

---

## Iacobus Sannazarius.

83 
Iuunt in elegantissimi Senis vultu Veneres, & dùm colludentibus Nymphis Musæ Lauream nectunt, Apes in oris fauo mella liquant. Ambidextrum quoque Iouius diceret, Latinos, atque Italos versus exarantem. Sed sinistra in Latina oratione, dextra in Itala vsum accusabis. Nec sua tamen id culpa factum. Doctis viris illa placuit, hæc vulgo, qui à reconditis rebus abhorret. Opus illud præclarum, & aureum *De Partu Virginis*, quod viginti & vnius annorum laboribus edidit, cuius causa felicissima genitura ad Christianorum poësim illustrandam natum nominat Sixtus Senensis, & Maronem Christianum alij, quod Prudentios, Seduliosq. vicerit, Leonis X. litteris expetitum, Clementis VII. laudibus ornatum, Aegidij Cardinalis epistola summo honore affectum, piè, cultè luculenter scriptum, Diuinis arcanis imbutum, contemptui habuere,

*Denique non omnes eadem mirantur, amantq.*

Rude ingenium, ad vilia, atque inania deflectit. Placuere quæ per indoctorum manus liberè poterant vagari; placuere & ingenuis viris, sed quibus ocium cordi est, quosq. Arcadum pastorum lusus, vmbrarumq. ad fluuiorum ripas, frondiumq. susurros tegmina oblectant,

*Vt puerorum ætas improuida ludificetur.*

Admirabilis in ijs est Sannazarius, & iocundus nouo carminum rithmo; eaq. nouitate Pontanum superauit, quem vllo pacto dicendi copia, & disciplina potuit consequi. At quandò se consequuturum Sannazarium Pontanus sperasset in lectissimis Eclogis Piscatorijs, quibus antiquos omnes stylo, atque candore ante-

antecelluit? Sed Pontani fluenta potauit. Quis neget? Sed latices vberiores reddidit. Et vitam ipsam Sannazario Pontanus acceptam referat. Summa in eo pietas, qui sopita, ac neglecta post obitum eius scripta Francisci Aelij, & Petri Summontij consilio in lucem reuocauit, rem litterariam omnem renocaturus, si inter codices variorum auctorum, quorum ex Heduorum finibus, & Turonibus aduexerat, alios quos conquisierat, adnumerasset. Sed Ethnicorum aliqua suis epigrammatibus immiscuit. Conticesce Grammaticule, cuius in ore Sannazarij laudes contabescerent. Poterat ne Christianus Eques, qui de Verbo, & Virgine tàm piè scripserat, Romano Pontifici tanta cum reuerentia sua scripta subiecerat, deuotissimè Diuinis Numinibus templum consecrarat, à Fide aberrare? Quòd multa poëtico more scripserit, quid tum? Celebret suos Statios antiqua Neapolis; suos nunc demum laudet Sannazarios, quibus Musarum domicilia, tumuli gloria, lauri enatæ testimonio, Petri Bembi floridissimis carminibus, maxima cum Neapolitanorum dignitate cernuntur. Ex marmore nitidissimo eius sepulcrum conspicitur in Mergellinæ villæ templo, in quo ad viuam eius effigiem à Ioanne Montursolo ex Seruitarum familia monacho, Taddæ socio in Carraræ montibus sculptam, inter illustria Italiæ monumenta veneraberis. Nobilitatem, doctrinamq. & virum Regibus charum in demortui Pontani locum subrogatum, annos natum duos & septuaginta contegit. obijt anno 1533.

Pinti.

*Hæc puluis Iacobe tuus claudetur in vrna,*
*Muscosum hic Tethis donec olebit opus.*
*Huc Gallis veniet vatesq. egressus Iberis*
*Tractibus, & Musas tollet ad astra tuas.*
*Hic SANNAZARIVS manet, inquiet ille virentis*
*Hic prope Pausilypi littora culta sinus.*
*Littora diuinæ exultantia numine Matris,*
*Hic pia ab hoc tanto condita vate domus.*
*Nympharum huc soboles lætissima Mergellines,*
*Quæ tibi sunt Publi, serta decora ferat.*

Pompeius

# Pompeius Phylantes, & Laurentius Anania.

84 85 N hisce duobus viris Tabernatibus, præter ceteros quam pulcra Calabria proferat animaduertimus. PHYLANTES, genere clarus, poſt exantlatos Iuriſprudentiæ labores, quibus enituit, ad manſuetiores Muſas huiuſmodi acceſſit, vt ab earum conſuetudine nunquam diuelli potuerit. Poëticos luſus, Agatium patrem imitatus, venationis voluptate condiuit, tùm de Aucupio libellum conſcripſit. De arte Rhetorica præcepta ad Ioannem Andream, & Philippum filios legibus præclaros edidit, quibus Ciceronis Orationes multis locis illuſtrauit. Epigrammata, atque Elegias varijs floribus poëticis conſperſa eius Auctoris leges, tùm in L. Florum annotationes, quibus ingenij pompam oſtentauit. LAVRENTIVM, nunquàm humanarum rerum ſatietas cepit, qui hominum mores, gentium ritus, prouinciarum cultus quibuslibet horis perſcrutabatur. Nec diem elabi patiebatur, quin ad molem Neapolitanam proficiſceretur, naues, phaſelos, vndique terrarum ad eum portum appellentes, obſeruaturus. Efflagitabat, percunctabatur, moleſtiſſimus nauarchis erat, vt ea ediſceret quibus & Strabonem, & Plinium locupletaret. Iàmq. laboribus peragrari cœperat, cùm itineris initio concidit. Curioſum confecit opus, varietate, non ordine diſtinctum; nouitate, non lepore concinnum, ſed quod vllo pacto ad rerum memoriam aſperneris. Scripſit etiam de Spiritibus libellum, in quo cum ipſis viſus eſt perbellè colluctari. Mente quaſi captum tunc dixeris, quòd ſpectra, atque laruas, vbique locorum intueri ſibi perſuadebat, atque ità, vt cùm in D. Mariæ Nouæ aliquandò eſſemus, ſuillam ſibi in foramine effigiem offerri, opuſq. de Spiritibus Venetijs linearum, & punctorum multitudine ab ijſdem confuſum, & obſcuratum affirmarit.

## Pinti.

*Duo, quos celebres mea Camœnæ*
*Locat laus super astra: sunt Philantes,*
*Ac Laurentius auctus Anania*
*Virtute, ingenio, omniumq. laude,*
*Tabernas Calaber nitens vterque,*
*(Nisi pe decipiar) domo superni*
*Regis: na fuit alter & Poëta,*
*Velis vel Latio, velis Etrusco*
*Vel sermone virum probe loquentem,*
*Sacraq. historiæ fuit Magister,*
*Natorum fuit optimus duorum*
*Viuentum genitor, decoris almi*
*Iuris: ne fuit alter & sacrarum*
*Rerum doctus, & ingeni nigrorum*
*Inferni puerum domus camini*
*Terrarumq. hominumq. sat peritus.*
*O quantum patriæ forent Tabernæ*
*Felices magis, ac magis decoræ,*
*Conuiuentibus his Iouis sub auræ.*
*Sed viuunt hodie vtriusque doctæ*
*Mentis Dedalei editi labores.*
*Hos Siren memorat, colitq. passim,*
*Atque ad sidereas faces reponit.*
*Anania quies, tibi Philantes*
*Quies esto, poli vsquequo silebunt,*
*Atque vltra ore Dei vsque perfruentes.*



# Iacobus Gallus.

26 D Iurisprudentiæ columen Neapolitanũ Gymnasium euexerat Iacobus Gallus,quo viro doctiorem, facundiorem, prudentiorem nouerat neminem; quamobrem nullis Academijs inuidere, cum omnibus potuerat æquari. Maxima peruasit Neapolim calamitas. Veluti ex relligiosissimo fano pulcherrimum Virtutis signum sustulere. Quàm impiè cum tanto viro, cum eius vrbis gloria, cum omnium ciuium, atque exterorum vtilitate, cum ipsius Iuris ciuilis corporis maiestate actum est? Proditum id volo memoriæ, & litteris. Bonæ perierunt artes, & disciplinæ, nec Solares Legum radij prænoscuntur, iàm indè cùm non concinit Gallus. Decessit, eo discedente, Latona,& longo errore, virtutibus grauida, Apollinem Messanæ, Dianam Patauij peperit,vt nec Persæ,nec Græci, nec alius quispiam ea loca attingere audeant, Delum, quæ Gallus incolit existimantes. Proderat Gallus lingua, præsentia ornabat,consilio erat emolumento,omnium votis, vocibus, oculis accommodatus. Incommodis iàm, difficultatibusq. eiusdem absentia,aliquorum leuitate afficimur, quorum libido totius Iurisperitorum ordini attulit offensionem. Quem dabo cognitorem iuris? Quem iniuriæ vltorem? Actor Deus erit. Resonent interim Patauina Gymnasia Itali Galli voces, quibus toto orbe redditur celeberrimum,& immortale. Patrium aliquandò honorem, de repetundis lata lege, expectamus.

## Pinti.

*Aucte o Palladia dote, & honoribus,*
*O diues cumulis, GALLE, pecunia,*
*Seu cum Parthenopes sub Ioue degeres,*
*Seu nunc cum frueris luce Patauij:*
*Quando nos patriæ viseris incolas,*
*Ciueis condecores quò sapientia*

*Iuris*

*Iuris luminibus, quò tibi publico*
*Aures exhibeant plurima sub tholo*
*Misforum iuuenum vis ? tibi iurgij*
*Quid cum Galle tuis ? quisquis amat tuos*
*Mores, quisque rogat, quò redeas. redi*
*Sic te Pausilypi flore vocent sinus,*
*Sebethusq. suo lenis aquæ sono,*
*Sic te tres Herebi tam validæ colo*
*Non lædant famulæ, stamina sed neant*
*Sic prolixa tibi, vitis vt est agro*
*Pingui vinifero palmite Cypria;*
*Excudenda tua, donec erit Leo*
*Galli voce citus, captus & is metu,*
*Sic mentis maneant docta volumina.*

---

# Aemilius Portus.



Ebent Φιλέλληνες, & Φιλόμουσοι Aemilio, qui Græcæ Linguæ Thesauros nobilissimè locupletauit. Quæ narro? Græcorum Dialectis, quæ multiplici obscuritate à Græcorum lectione studiosos deterrebat, tantam luci attulit, vt Græcos volutare auctores quisque cupiat, & neminem iàm tædeat cum ijs immorari. Videbantur Ionismi, atque Dorismi scopulorum immanitates, quibus cum vix lembo littus legere iuuenes cœperint, allidere non dubitarent. Ionica Dialectus occurrebat, *Heu fuge crudeles terras.* Objiciebat sese Dorica, veluti *Dorica castra* timorem incutiebat. Sic deserere Græcarum litterarum studia, veluti in horribili deserto destituti, earum amatores cogebantur. Et quid cogebantur deserere? omnium studiorum vitam, & spiritum. Intermortuæ siquidem litteræ sunt, absque Græcarum litterarum cognitione. Neruos scientiæ habere poterunt; sanguine tamen carebunt, si ijs litteris caruerint. Herodotum illustrauit, eaq. occasione mentis pur- 87

gauit, facilemq. reddidit. Theocrito, Bioni, Moscho, Doricisq. omnibus quantum luminis attulit? Viuuntq. huiusmodi huius viri Lexicis (ne alia commemorem, cùm omnis litteraturæ diuitias in hisce protulerit, vt ad hominum manus facillimè perductos, nullo vnquam tempore perituros poterimus existimare. Vtilia qui hæc promptuaria publico commodo congerunt, magni hercules sunt faciendi.

## Pinti.

*Colligas Clio (maris inter æstus*
*Hactenus pinus animo, manuq.*
*Carminum rexti) bene plena faustis*
*Carbasa ventis.*
*Ecce nos portus penes, explicemus*
*Præpetes tanquam, volucresq. pennas*
*Nisibus magnis, hilarisq. dura ex*
*Arbore remos.*
*Hic vir est ille AEMILIVS Latina, &*
*Graia gaza satis auctus, ille*
*Vatibus Græcis meliora fecit*
*Lumina linguæ.*

---

# Victorinus Mansus.

38 

IN Casinensi familia multorum laudibus, quas vitæ sanctitate, studiorum doctrina, dignitatum amplitudine compararunt, vt tot annos in Romana sanctissima Sede viguerint, elata, cognita, illustrata, viget demum Victorini Mansi, Arianensium Episcopi, præclara virtus, qua vel administranda Monachorum Republica, vel amplissimorum Cœnobiorum Præfecturis, aut disciplinarum thesauris, vel scribendi nitore, & maiestate, quæ rara in hoc hominum genere reperitur, vel modestia qua omnium ferè sibi animos allicit, & deuincit,

uincit, vel comitate qua inter amicos & liberior, & dulcior, & ad omnem facilitatem cum grauitate procliuior quoscunque alloquitur, ad obsequium parat, eò admirationis prouectus est, vt tantæ familiæ columen dicam, moribusq. hominum adhibere culturam affirmem, eundemq. nec falsa opinione, nec errore hominum commendatum, vllo pacto ipsiusmet vitæ posse habere reprehensorem. An illud satis fuisse credendum est, quod laudatorem habuerit maximum illum virum Stanislaum Hosium Cardinalem Varmiensem, qui cùm eum in Sublacensi Cœnobio inuiseret, ad edendas in Salomonis Ecclesiastem lucubrationes impulerit? Habuit in ea re doctissimorum virorum præconia, qui in politissimo illo stylo quo veterum Patrum scripta æmulari studuit, commendarunt eruditionem, in eruditione puritatem, qua & inania verba, & dicendi inanem arrogantiam ablegauit. Habuit quoque in Patrum, & Scholasticorum Theologica Harmonia, qua cùm Doctores ad consensionem reuocat, quæ ipse viginti ferè annos in Casinensi, Cauensi, Mantuano, Perusino Cœnobijs, Theologiam interpretandi munere profecerit, luculenter ad sui nominis gloriam in medium protulit.

## Pinti.

*Præsulum iacta genus Arianum*
*Daunia cliuis, & agris propinquum,*
*Vrbs feri quondam venerata templis*
*Numina Martis.*
*Inter at primas referas mitellas*
*Quas gerit diues pietate MANSVS,*
*Cui beatorum Benedictus æde*
*Secla precatur.*
*Dic mihi o doctis bene culta Pallas,*
*Nonne amas tantum senij decorem,*
*Nonne in huic omni famularis æuo*
*Sedula MANSO?*

D.Tho-

# D. Thomas Aquinas.

89 N illustrium, summorumq. virorum pompa, quem postremum cernis ordine, primus dignitate censendus est. Primus itaque in extremo labore Thomas Aquinas. Præcedant præcones quotquot in eum ordinem cooptati sunt, ad quem fama celebres viros euocandos duxi. Sed præcedant ceteri, quibus eadem seruatur laus, iiq. omnes qui litterarum nobilitate, doctrinarum splendore, scientiarum thesauris clarescere in orbe studuere. Stegma, virtus, sanctitas, Thomæ Aquinatis elogia sunto. Angelorum comitem, Sanctorũ decus, Doctorum principem, Ecclesiæ clypeum, hæreticorum malleum, efferant. Quis efferat? Qui ex stegmate illustrissimo prodeunt nobilissimi ex Aquina familia Proceres, in quibus Diui emicat gloria, quæ Regum, & Pontificum gloriæ coniuncta est, si Frangipanes, si Piccolomineos, & Pios II. inspexeris; si Longobardos, & Nortmannos cum Conrado Imperatore, cum Casinensium Præfectorum gestis contuleris; si Guaimarios, si Pandulfos Principes, si Laidolfos Theani Comites memoraueris. Sed quænam in Aquini Comitibus amplitudo? Nostis Adenulfum primum Castiglionis dominum, qui ab Acerrarum Comitibus originem duxerat? An iàm indè series ad Carolum Martirani Comitem, Castiglionis Principem non deducta est? Nec is quidem degenerat, qui cum nouerit Adenulfum functis domi, forisq. sub Carolo secundo, & Roberto dignitatum honoribus à quibus muneris loco Castiglionem, Marsicum veterem, aliaq. plurima Regia monimenta accepit, eundemq. à Roberto generalem constitutum, Regnum Neapolitanum à Ludouici Imperatoris Impetu, qui aliquot Italis ciuitatibus in potestatem redactis, Regno, & Ecclesiasticis vrbibus potiri conabatur, maxima cum sua laude fuisse tutatum, maiorum gloriam, atque virtutes æmulatus, non tantum Principatus titulo à Philippo II. insigniri studuerit,

duerit, ſed omnes ſtegmatis honores in dies omnium virtutum ornamentis augere, atque excolere conatur. Efferant Dauali. Quos Dauалos nomino? Qui maximos virtutum fructum pace, & bello vbique terrarum pepererant. Quibuſcum præclarè cum Hiſpanis Regibus actum eſt. Quorum fides, eorundemmet corporum ſanguine viget. Quis neſciat Piſcarios, atque Vaſtios? Quibus belli fulmina non illuxere? Quos Principes in Europa tantorum Heroum virtus latet? Sed nobilitas, quæ latiſsimè diffunditur elogium faciet? Faciat virtus, quæ in ſolo D. Thoma coronatur, vt rectè Theodora mater protulerit, quæ omnium bonorum felicitatem, Deo annuente, protulit. Quid potuiſſe ignorare Thomam dixerim, quem Chriſtum crucifixum ſciſſe non ignoramus? Ecquid in aliorum doctrina ſapidum dixeris, quod Thomæ doctrina non fuerit conditum? An ſciſſe aliquem affirmabimus, qui à Thomæ ſcientia aliquo pacto aberrauerit? Ex eo fonte puriora dogmata ad ſcripturarum veritatem, & ornamenta emanant. Ex illa ditiſſima officina omnia quæ ad veram ſapientiam faciunt, depromuntur. Omnia in Eccleſia Thomas eſt. Omnia docet, explanat, atque dilucidat vniuerſa. Conciliorum ſoliditas. Theologicarum rerum firmamentum, Philoſophorum norma, atque diſciplina. Quid? Nihil Thoma in orbe maius.

## Pinti.

*Cunctarum princeps ſphærarum, prima rotatrix,*
*Stellarum errantum, Sol tibi primus erit.*
*Neptuni è gregibus prima eſt vaſtiſſima piſtrix,*
*Euolat inter aues nuncia prima Iouis.*
*Vis doctrinarum primas dignoſcere? AQVINAS*
*Perlege quas ſcripſit, quas probat ore Deus.*
*QVICQVID enim verum eſt, vero quod manat ab ore,*
*QVID veri vero verius eſſe poteſt?*

FINIS.

Imprimatur.
Petrus Ant. Ghibertus Locumtenens.

*Magister Cornelius Tiroboscus Ordinis Præd. Curiæ Archiepiscopalis Theologus vidit.*

*M. Chrysost. Marasca Carmelita dep. vidit.*






NEAPOLI,

Apud Ioan. Iacobum Carlinum, & Constantinum Vitalem.
M. DC. IX.

